ANTIFEBRONIUS VINDICATUS

SEU

SUPREMA

ROMANI PONTIFICIS

POTESTAS

ADVERSUS

JUSTINUM FEBRONIUM

EJUSQUE VINDICEM

THEODORUM A PALUDE

Iterum adſerta, & confirmata.

PARS III.

CÆSENÆ

MDCCLXXI.

APUD GREGORIUM BLASINIUM SUB SIGNO PALLADIS

SUPERIORUM FACULTATE.

Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de Beati Petri *sumsit honore principium , in quo regimen ejus , & summa consistit .* Ex ejus *enim* Ecclesiastica Disciplina *per omnes Ecclesias religionis jam crescente cultura* Fonte manavit . Nicænæ *Synodi non aliud præcepta testantur : adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere quum videret nihil supra meritum suum posse conferri .* Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa .

S. Bonifacius I.

Ep. XIV. *ad universos Episcopos per Thessaliam constitutis .*

INDEX
DISSERTATIONUM
HOC VOLUMINE CONTENTARUM.

DIS-

DIS-

DISSERTATIO VI.

De præcipuis Pontificii Primatus juribus in rebus ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, ac primum de iis, quæ Febronius *ex Christi institutione Primatui fuisse adnexa concedit, sed imminuit atque corrumpit.*

CAPUT I.

Potestas leges universæ Ecclesiæ ferendi Romano *Pontifici a* Febronio *jure videtur tribui, sed iis conditionibus, quæ illam omnino evertunt. De conditionibus infra disputandum proponitur: Interea* Romano *Pontifici adseritur vera & propria edendarum universæ Ecclesiæ legum auctoritas, ac* Nicolaus I. *vindicatur.*

I. QUo magis nostra cum *Febronio* disputatio progreditur, eo apertius infensus istius hominis in *Romanam* Sedem animus se se explicat. Jura enimvero *Romani* Pontificis in rebus ad disciplinam pertinentibus ea sunt, quibus ille maxime adversatur. Ne-

que id mirum. Quum enim nihil is magis ſpectet, quam ut *Romanam* Curiam Principibus & Epiſcopis inviſam reddat, utrique autem diſciplinam ſibi vindicent, illi quidem vel publicæ tranquillitatis obtentu, vel protectionis, quam Eccleſiæ ſe debere agnoſcunt, privilegio ac dignitate; hi vero ſua ipſorum in Eccleſias ſuæ juriſdictioni obnoxias poteſtate; quo minus juris in ſacræ diſciplinæ capitibus divina Chriſti inſtitutione *Romano* Pontifici tribuitur, eo iſte graviore veluti amplificatæ per ſummam injuriam dignitatis, alienorumque jurium ademptorum reus apud utroſque conflagrat invidia. Orditur itaque *Febronius* a ſtabiliendo Canone, qui deteriorem multo efficit Pontificii Primatus rationem, quam Epiſcopalis poteſtatis. *Habet*, inquit (1), *univerſalis Primatus ſua jura partim ex jure divino, partim ex humano; immo* PLURA EX HOC QUAM EX ILLO: *Habet ordo Epiſcoporum* FERE OMNIA SUA EX JURE DIVINO. Atque id quidem, etſi Pontificiæ auctoritati valde injurioſum eſt, ferendum tamen aliquo modo crederem, ſi facultates, quas ille tribuendas ait primatui ex divino jure, veræ & præcipuæ juriſdictionis facultates eſſent. Sepoſitis vero iis, quæ ad jus humanum ab eo referuntur, atque a nobis in ſequente diſſertatione opportunius diſcutientur; quid in rebus

(1) *T. I. cap. II. §. 7. n. 9.*

rebus disciplinæ reliquum est, quod primatui adjudicet ex divino jure, nisi quod merum *directorium* meram *inspectionem*, meram canonum exequutionem præsefert?

II. Id perspicue in ea quam *Romanis* Pontificibus tribuit, legum ferendarum potestate videamus. Episcopos divino suæ auctoritatis jure posse per suas singulos diœceses leges edere scribit vere *Febronius* his verbis (2): " Cum hoc Ecclesiastico regimine, & „ ei inhærente auctoritate leges condendi, „ conjuncta est, atque ab eadem potestate „ dependet facultas (Episcoporum) in iisdem „ legibus pro re nata dispensandi &c. Quid „ vero de *Romano* Pontifice? " Communi„ ter, inquit *Febronius* (3), agnoscitur, „ quod quamquam penes summum Pontifi„ cem solum legislatoria potestas respectu „ universalis Ecclesiæ non resideat, nihilo„ minus in magna congregandorum genera„ lium Conciliorum difficultate condere pos„ sit leges generales, easque toti Ecclesiæ „ proponere observandas ". Hactenus bene. Verum heu! statim addit, *non ante tamen vim habituras, quam communi consensu fuerint receptæ*. Alibi autem docet (4), " pertine„ re ad *Romani* Pontificis Primatum, ut le„ ges, quas necessitas vel utilitas Ecclesiæ

(2) *T. II. pag.* 256.
(3) *T. I. Cap. II.* §. 4. *n.* 3. *pag.* 106.
(4) *ibid. cap. V.* §. 2. *n.* 4. *pag.* 280.

„ heic & nunc postulare videtur, universali „ Ecclesiæ *proponat*, has propter *intrinsecam* „ earum æquitatem (non propter proponen„ tis auctoritatem) Episcopi tenebuntur ad„ ceptare, quando eas judicabunt aptas ad „ promovendum bonum Religionis, & di„ sciplinæ Ecclesiasticæ, & postquam statui „ publico Regni vel Imperii nullum digno„ scentur adferre præjudicium. " Prius autem (5) tradiderat, non omnibus *Romanorum* Pontificum decretis *inter Canones disciplinares* deberi locum, sed *illis tantum, quæ pro fundamento habent Canones ab Ecclesia agnitos, maxime Conciliares, & ad horum exequutionem pertinent*. Pergit *Febronius* suam quod ad Pontificias leges spectat, sententiam enucleate proponere (6): *Quando autem leges pro universa Ecclesia in Concilio latæ, & ab hac generali usu receptæ sunt, non est in solius summi Pontificis potestate illas abolere, aut eis, saltem absque præsumpto Synodi consensu, derogare. Quotquot etiam* Petri *successores* (7) *noverunt, ministerium sibi a Deo creditum esse ad* ædificationem *non ad* destructionem; *non contra veritatem, sed pro veritate: quotquot agnoverunt, se, si sua potestate adversus regulas, pro bono regimine Ecclesiæ summa sapientia conditas, idest, contra canones ute-*

(5) *ibid. cap. II.* §. 8. *pag.* 129.
(6) *ibid. cap. V.* §. 2. *n.* 9. *pag.* 287.
(7) *Cap. V.* §. 5. *pag.* 315.

uterentur, *adversus monitum sapientis sepem dissipare*, *& una manu destruere*, *quod Apostoli*, *quod Patres tanto laborum sanguinis*, *& vitæ impendio altera manu construxerunt* : *totidem etiam fassi sunt suam obligationem Christi & universalis Ecclesiæ institutis ac Canonibus*, *pro bono regimine ejusdem sacræ Reipublicæ legitima auctoritate conditis*, *se se conformandi*. At quænam quæso isthæc potestas est? *Hoc*, inquit *Ballerinius* (8), *meri* directorii *honoris & ordinis jus est*. Non negat *Febronius*, immo diserte profitetur (9): Jus proprium „ ferendarum pro universali Ecclesia legum „ *Romano* Pontifici neque in materiis Fi„ dei, neque in caussis disciplinæ compete„ re, probabimus *capite* V. Habet is quidem, „ uti *cap. II.* §. *6.* insinuavimus, jus nomi„ ne Ecclesiæ leges observandas proponendi, „ sed quia, uti ibidem demonstravimus, il„ læ vigorem non obtinent, priusquam ab „ Ecclesia agnoscantur & admittantur, heinc „ tantum abest, ut ex hoc præ taxationis „ jure absoluta propriaque potestas legisla„ toria deduci valeat, ut potius ejus oppo„ situm inde defluat". Recte deinde mo„ net (10) *ad cujuscumque legis rationem omnino pertinere* PUBLICATIONEM. At sufficitne Pontificia decreta *Romæ* promulgari? mi-

(8) *De potest. Eccles. pag.* 168.
(9) *T. I. cap. IV.* §. *II. n. I. pag.* 264.
(10) *ibid. n.* 1. *pag.* 285.

nime vero, inquit *Febronius*(11): " Exem„ pla Bullarum Pontificiarum, vi promul„ gationis in Urbe factæ undique, ut præ„ tenditur, receptarum, sunt petitiones il„ lius principii, de quo heic quæstio mo„ vetur. Clausulæ demum recentioribus qui„ busdam bullis & decretis insertæ, queis „ Papam sola publicatione *Romana* legem „ suam obligare velle declaratur, eadem „ contra se argumenta, ac bullæ ipsæ de„ cretaque pati debent &c. " Hæc *Febronius* in primo operis sui volumine docuit. Sui similis in altero tomo statuit (12), Pontificum decreta, *tanquam a suorum auctorum doctrina, sanctitate, & dignitate commendata*, ad Patrum placita *solum fuisse* (olim) *relata*, *quæ per se nullum legis vigorem obtinet, qualis noscitur Conciliorum constitutionibus inesse*. Quænam porro sint, de quibus aliquid decernere, seu potius decernendum Ecclesiæ proponere possit Pontifex, ita exequitur (13): " Sane mirandum foret, si *Romana* Curia privatis legibus novisque con„ stitutionibus veteres traditiones, atque u„ sus removere conaretur. Etenim contra „ statuta Patrum decernere, aut concedere „ aliquid Apostolicæ Sedis auctoritas mini„ me valet. Debet quoque Papa adtendere,

„ an

(11) *ibid.*
(12) *pag.* 415.
(13) *pag.* 426.

„ an ipſi potius obedientia ſit exhibenda, „ an illis Sanctis Patribus, qui in ſuis ſcri„ ptis nobis adhuc loquuntur. Quin immo „ ſi Papa ad hoc non adtenderet, eſſet ni„ hilominus noſtra ex parte abominabile fa„ cinus, ſi quas antiquitus a Patribus no„ ſtris adcepimus Traditiones, pateremur „ infringi. Idem etiam de antiquis atque „ innoxiis particularium Eccleſiarum conſue„ tudinibus tenendum eſt; quippe quæ hac „ in parte ne tantillum quidem *Romanæ* ce„ dere debent. Sed & tum incompetenter „ ac citra auctoritatem ageret Pontifex, ſi „ indifferentia, ideſt, talia mandaret, qui„ bus non ſervatis, ſalus nec periclitaretur, „ nec juvaretur. Itaque in omnibus his ca„ ſibus Papa humeris noſtris non ferendum „ onus imponere cenſendus, atque ea pro„ pter ei in his obediendum non eſſet". Addit infra (14) (quod in indice (15) dicitur *legum Papalium primaria conditio*): Univerſalis *Papa non debet edere legem, niſi* univerſaliter *tenentem: quod rationabiliter prævidet, univerſaliter non fore recipiendum, conſultius omittet*. Denique de promulgatione ita ſcribit (16): " Ab eo tempore (a ſæculis „ XII. & XIII.) Romani Pontifices ſe ge„ runt pro Legislatoribus univerſæ Eccle-

[14] *pag.* 438.
[15] *pag.* 638.
[16] *pag.* 416.

„ ſiæ. Sed quia haud ignorant, plures ex
„ iis, quas evulgant, Conſtitutionibus, ali-
„ bi non adceptari, aut publicari, eum in-
„ duxerunt ſtylum, quo aliis perſuadere vo-
„ lunt, publicationem *Romæ* in campo *Flo-*
„ *ræ* factam pro univerſo Chriſtiano orbe
„ valere. Hoc quam inhumanum ſit &c. “

III. Hæc ſunt ſuper Romani Pontificis in ferendis legibus auctoritate *Febronii* dogmata, quæ fuſius enarravimus, quod in prima diſſertatione ubi *Febroniani* ſyſtematis conſpectum dedimus, vix hac de re quidquam adtigimus. Sed vide, Lector, ac mirare hominis iſtius rationem. Duo juſta capita in *Antifebronio* ad exitiale hocce refellendum ſyſtema adhibui, octavum, inquam & nonum ſecundæ diſſertationis, tum etiam integrum alterius tomi ſecundum librum, in quo præcipuas quaſdam *Romanorum* Pontificum leges a *Victore* I. ad *Gregorium* II. collegi, & obſervationibus illuſtravi. Nihil horum egregius *Febroniani* operis vindex memorat, ſed quæ *Nicolaus* I. (17) ad confirmandam *Romanis* Pontificibus ferendarum legum poteſtatem adtulerat, confutare adgreditur (18); quam apte, & ad propulſandi *Antifebronii* munus adpoſite, nemo non intelligit. Sed ad quæſtionem redeo. Quum uti dixi, quæ pro *Romani* Pontificis poteſtate

[17] *in Can. I. diſt.* XIX.
[18] T. *II. pag.* 425. *ſeq.*

ftate ibi propofui fane graviffima, *Febronius* prætermiferit, quod fane facilius fuerat refellere; ea fane omnem quam antea habebant (habebant autem maximam) vim retinere jure meo fumo, dum illa adverfarius non folvat. Nihilo tamen minus aliqua huc conferam ad hujus fyftematis vitium clariore in luce collocandum. *Febronius* ex ipfa Primatus a Chrifto conftituti natura poteftatem repetit, quam *Romano* Pontifici concedit, *proponendarum* Ecclefiæ legum. Simul de nobis queritur, qui unum primatum *meri directorii* ab eo admiffum dicamus; negat id, pernegatque, atque *auctoritatis* præterea primatum fe agnofcere prædicat. Verum primatus, qui vi cogente fit deftitutus, eritne umquam *fupremæ auctoritatis* qualem hoc nomine *Tridentina* Synodus defignavit? An non Princeps Senatus proponit quid a Senatu fit confulendum? Quænam hæc jurifdictio eft? Si igitur *Romano* Pontifici jurifdictionis primatus creditus eft, utique ejus eft non folum proponere leges ab Ecclefia vel fanciendas vel fuo primum confenfu firmandas, fed auctoritate, quæ per fe cogat, eas ferre. *In fpeculis a Deo conftituti ajebat S. Cœleftinus* (19), *ut vigilantiæ noftræ diligentiam comprobantes & quæ coercenda funt, refecemus, & quæ obfervanda fanciamus; non proponamus*. Sed & alia funt, quæ

[19] *Ep. IV.*

quæ *Febronianum* syſtema ex diſſonis inter ſe dogmatibus efformatum demonſtrant. Nam quid quæſo eſt, niſi opinionum conflictus, Epiſcopis legum in ſuis diœceſibus condendarum jus adſerere, negare *Romano* Pontifici? Illi, inquit *Febronius* (20), ſucceſſores ſunt Apoſtolorum, quibus legum ferendarum tradita poteſtas fuit; at nonne *Romanus* Pontifex *Petri* ſucceſſor eſt? an autem *Petrus* leges ſicut ceteri Apoſtoli edere non poterat? Potuiſſe dices ut Apoſtolum, non ut Primatem Eccleſiæ; ſummum vero Pontificem *Petro* ut Apoſtolo tanquam *Romanum* Epiſcopum, *Petro* ut Primati tanquam univerſæ Eccleſiæ Primatem ſuccedere; poſſe proinde ſuæ *Romanæ* Eccleſiæ, non poſſe univerſæ leges dare. Sed hæc novis, iiſque maxime ſecum pugnantibus ſunt implicata commentis. Apoſtolis enim promiſſam eam poteſtatem ſcimus, quum Chriſtus illos his verbis adloquebatur: *Quæcumque adligaveritis ſuper terram &c.* ſed etiam *Petro* ut Primati Chriſtus dixit: *Quodcumque ligaveris ſuper terram*. Si ergo in ea promiſſione facta poteſtas quoque condendarum legum continebatur, cur non eadem in promiſſis *Petro* factis fuerit comprehenſa? Comprehenſam certe agnovit S. *Leo* Magnus, qui Epiſcopos per *Siciliam* conſtitutos redarguens (21) quod in

[20] *T. II. pag.* 255.
[21] *Ep. XVI. col.* 716. *Baller. edit.*

in die Epiphaniæ baptiſmum conferrent, ait: *in quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationem honoris adcipitis inde legem totius obſervantiæ ſumeretis: & beati* Petri *Apoſtoli Sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſticæ magiſtra rationis*. Neque enim quis ſanæ mentis dixerit, *Leonem* ut ſingularis Urbis *Romæ* Epiſcopum exigere a *Siculis* Epiſcopis potuerit, ut a ſua ſede LEGEM *totius obſervantiæ ſumerent*, eamque veluti *Eccleſiaſticæ magiſtrum rationis ſuſciperent*. Deinde quod Papa in Eccleſia poteſt, idem Epiſcopus ſuis in diœceſibus poſſe *Febronius*, & cum eo *Pereira* docent; eoque ſpectat *abſoluta*, non *limitata*, & *perfecta poteſtas*, quam Epiſcopis tribuunt (22). Quei ergo repente fit ut plus poſſint in ſuis diœceſibus Epiſcopi, quam Papa in Eccleſia? Non equidem puto, eos omnem abieciſſe pudorem, ut Epiſcopos *ſupremos* in ſuis diœceſibus *Paſtores* eſſe velint, negent *ſupremum* in univerſa Eccleſia Paſtorem eſſe *Romanum* Pontificem. Quod ſi Epiſcopi ſupremi Paſtores non eſſent, niſi leges, quibus ſuas oves aut in officio continerent, aut a noxiis paſcuis arcerent, edere illis liceret, quomodo ſupremum univerſæ Eccleſiæ Paſtorem hac ad eumdem finem tam neceſſaria auctoritate ſpoliabimus?

IV.

[22] *Ciaſcheduno*, inquit Pereira [de Epiſcoporum poteſt. p. 39.] *è nel ſuo diſtretto Paſtor ſupremo, che tutto può*.

IV. Hæc veluti ad *hominem* dicta sunt. Rem ipsam propius agamus. Meminerit *Febronius* se cum *Cypriano* & Catholicis profiteri, Primatum *Petro* datum, ut *una Ecclesia monstretur*, nempe in bonum unitatis, cujus centrum essent *Petrus* ejusque successores *Romani* Pontifices. Jamvero meridiana luce clarius est, non posse unitatem constare, nisi *Romanus* Pontifex suprema polleat edendarum legum facultate. Unitas nempe, alia fidei est, communionis alia, & caritatis; illi hæresis, huic schisma adversatur. Nam ut ait S. *Hieronymus* (23), *inter hæresim & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet*: quod & S. *Augustinus* tradit his verbis (24): *hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus*. Plerumque autem schisma si purum sit, res disciplinæ spectat. Quamobrem schismata a S. *Theodoro Studita* definiuntur *dissensiones eorum, qui propter aliquas caussas Ecclesiasticas & quæstiones medicabiles inter se dissident*. Sed undenam istæ dissensiones? docuit S. *Cyprianus* (25): *neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut natæ sunt*

[23] *in cap. III. epist. ad* Titum.
(24) *de Fide & Symb. cap.* 10.
(25) *Ep. IV. ad* Cornel.

ſunt ſchiſmata, quam inde quod SACERDOTI DEI NON OBTEMPERATUR (in Fidei definitionibus, ſi hæreſes; in legibus diſciplinæ, ſi ſchiſmata ſint) *nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur*. Ut igitur unitas communionis ſervetur, *Sacerdoti Dei obtemperare* debent ii, qui cum eo communionis vinculo colligantur. Auctoritatem ergo jubendi habeat is oportet, cui niſi *obtemperetur*, ſchiſmatum periculum immineat. Nec ſolum ſchiſmatis ratio ſumit in *Sacerdote Dei* legum ferendarum poteſtatem, ſed ipſa unitatis conſervatio eam poſtulat. Nam licet diſciplinam ubique locorum omnino uniformem eſſe non oporteat, quemadmodum credenda dogmata, tamen ſæpe diſciplina ejuſmodi eſt, quæ vel cum dogmatibus intime conjungatur ſive per ſe ſe, ſive eorum, qui illam ſervare abnuunt, errore; vel Chriſtum ipſum auctorem habeat: vel univerſalis Eccleſiæ obſervatione veluti ſit conſecrata; vel propter rerum, quas ſpectat, cum magnitudinem, tum varietatem nervus & vigor Chriſtianæ Reipublicæ merito ac jure exiſtimetur. Hanc ſane ſartam tectamque ubique ſervari magni intereſt, ſine qua vel ipſa fidei unitas tandem periclitetur. Id autem quei efficiatur, niſi ſummus Eccleſiæ Pontifex leges ferre poſſit, quibus ſubnaſcentes in eam abuſus cohibeat, aut etiam evellat?

Quid

Quid vero si quod *Græci* faciunt, qui *Latinam* Ecclesiam carpunt, quod in azymo pane, non in fermentato divina mysteria celebret, receptas apud magnam Christiani orbis partem, licet non summi momenti consuetudines insectentur, ob illasque cum ceteris Ecclesiis communicare detrectent? Legibus opus est, quibus sine crimine obsisti nequeat, ad tantam coercendam audaciam, ad vindicandam tot Ecclesiarum religionem, ad confirmandam reprehensæ disciplinæ integritatem. Quemadmodum autem diœcesanæ Ecclesiæ nonnisi aut Episcopus, aut diœcesana Synodus leges præscribere potest; ita universæ Ecclesiæ aut summus Pontifex, aut œcumenica Synodus legum edendarum habet auctoritatem; hæc quia si capiti suo, ut decet, adhæreat, universam repræsentat Ecclesiam; ille præterea, quia ejus curæ unitas commendata est.

V. Adcedit perpetua legum Christiano orbi dicendarum consuetudo, quæ apud *Romanos* Pontifices viguit. Hanc uti monebam, in *Antifebronio* demonstratam Lector inveniet. Pauca tamen heic quoque ejusmodi legum exempla indicabo, præter illud quod ex S. *Leone* M. nuper recitavi, eaque ipsa, quæ a *Nicolao* I. adlata sunt, ut quæ ad eorum vim eludendam *Febronius* excogitavit, profligentur. Sed primum agnosce Lector ingenium, fidemque *Febronii*. " Dum
„ sæ-

„ sæculo, inquit (26), IX. *Hincmarus Rhemensis* cum aliis *Galliæ* Episcopis Decretalibus RR. PP. epistolis illis, quæ extra receptum corpus Canonum vagabantur, quæstionem status movit, *Nicolaus* I. magno nisu probare contendit, etiam extravagantibus inesse vim Canonicam ". Agebatur de *Isidorianis* decretalibus, quæ circa illa tempora eruperant. *Hincmarus* porro illis inesse auctoritatem negabat *quod illa decretalia priscorum Pontificum in toto codicis canonum corpore non continerentur descripta* (27). Hanc, qua ad infringendam earum epistolarum fidem *Hincmarus* utebatur, rationem *Nicolaus* multis argumentis refellit. Quare quæ mox a *Febronio* audiemus, non tam *Nicolaus* protulit, ut illis epistolis *inesse vim canonicam* probaret, quam ut illud *Hincmari* argumentum refutaret. Cur autem ex *Gratiano Febronius* maluerit, quam ex ipsa *Nicolai* quæ in Concilio *Romano* VII. extat, epistola, ista decerpere quis divinet? nisi forte illud ægre tulit, quod *Hincmaro Gallisque Nicolaus* exprobrat, ipsos, *ubi suæ intentioni hæc* (*Isidorianas* epistolas) *suffragari conspiciunt, illis indifferenter uti*, & SOLUM NUNC *ac diminutionem potestatis Sedis Apostolicæ*, & *ad suorum argumentum privilegio-*

(27) Nicol. *ep. ad univ. Episc.* Galliæ *T. VIII. Conc.* Labb. *edit.* Paris. *col.* 799.

legiorum minus adcepta esse, *perhibere*; hæc enim ostendunt, in *Galliis* quoque receptas tum fuisse *Isidorianas* decretales, nec *Nicolaum* de earum auctoritate fuisse sollicitum, nisi quod *Gallorum* exempla ipsi præiverant, eorumque rationem probare non posset, qui ubi sibi suffragarentur, illas prædicabant, ubi ipsorum caussæ obessent, respuebant. Sed ad *Febronium* redeo de *Nicolao* sic loquentem. *Quas vero probationes adtulit?* In Can. I. diss. XIX. *non adducit Canonem Concilii alicujus generalis, quod decretalibus Pontificiis dedisset vim & honorem* Canonis *pro universa Ecclesia*: (Miratur hoc *Febronius*? quum *Romani* Pontifices non Ecclesiæ privilegio, sed Christi, ipsiusque vi primatus sibi potestatem ferendarum legum inesse agnoverint?) " potissimum refert auctoritatem „ trium Antecessorum suorum, nempe *In-* „ *nocentii* I., *Leonis* M., & *Gelasii* I. Ast „ *Innocentii* testimonium directum non inve- „ nit: duxit ergo argumentum ex eo, quod „ solius *Innocentii* I. epistola decretalis ad „ *Exsuperium Tolosanum* Episcopum cap. ult. „ primo nobis stiterit canonem completum „ S. Scripturæ. Sed vel ipse epistolæ in- „ gressus clare dicit, quod Pontifex consul- „ tus super diversis, ibi noluerit agere *ca-* „ *nonum conditorem*, sed *doctorem*, qui po- „ stulatus, ut doceat, aliquid semper addi- „ scat, qui pro captu intelligentiæ suæ,

„ quæ

quæ sibi sunt visa, respondit, quid sequen-
„ dum vel docilis ratio persuaderet, vel
„ auctoritas lectionis ostenderet, vel custo-
„ dita series temporum demonstraret: nihil
„ itaque ibi definit, sed pure docet; in
„ specie de libris canonicis sic tantum ha-
„ bet: *Qui vero libri recipiantur in Canone*
„ *Sanctarum Scripturarum, brevis adnexus do-*
„ *cet*". Ne credas Lector *Nicolaum* ita ine-
ptiisse, quemadmodum heic a *Febronio* ex-
hibetur. Revoca in mentem fuisse *Nicolai*
cum *Hincmaro* disputationem, num ea vale-
ret argumentandi ratio; *decretales illæ in Ca-*
nonum Codicem relatæ non sunt; nullius igitur
sunt auctoritatis. Ut hocce argumentum *Ni-*
colaus refutaret, adversariis objicit, Scriptu-
ras Novi & Veteris Testamenti in Codice
Ecclesiasticorum Canonum non exstare; num
propterea ait recipiendæ non sunt? Tum ad-
„ dit: " Sed responsuri sunt isti, quod in-
„ ter Canones inveniatur Capitulum Sancto
„ Papæ *Innocentii*, cujus auctoritate docea-
„ tur, a nobis utrumque testamentum esse
„ recipiendum, quamquam in ipsis paternis
„ canonibus nullum eorum contineatur ex
„ toto insertum". Non igitur *Nicolaus* ad
confirmandam Decretalium auctoritatem *In-*
nocentii epistolam appellat, ut *Febronius* gar-
rit, sed *Gallos* eam adlegantes inducit, ut
obiecto Scripturarum, quæ a Canonum Co-
dice aberant, exemplo satisfaceret. Quare

pergit *Nicolaus* . " Quibus ad hæc adferen-
„ dum eſt , quoniam ſi vetus novumque te-
„ ſtamentum recipienda ſunt , non quod Co-
„ dici Canonum ex toto habeantur adnexa,
„ ſed quod de his recipiendis ſancti Papæ
„ *Innocentii* prolata videtur eſſe ſententia ;
„ reſtat nimirum , quod decretales epiſtolæ
„ *Romanorum* Pontificum ſunt recipiendæ ,
„ etiamſi non ſunt Canonum codici com-
„ paginatæ ; quoniam inter ipſos Canones
„ unum B. *Leonis* capitulum conſtat eſſe
„ permixtum , quo ita omnia decretalia con-
„ ſtituta Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandan-
„ tur , ut ſiquis in illa commiſerit , nove-
„ rit ſibi veniam negari " . Ceterum ſan-
„ ctiſſimi Pontificis *Innocentii* modeſtia *Fe-
bronius* abutitur , qui quod conſulenti *Exſu-
perio* ſe pro *captu intelligentiæ ſuæ* quæ ſunt
viſa reſpondere dicat &c. nihil eum ibi *de-
finire* ſed *pure docere* adfirmet. " Si ad ali-
„ quos forma illa eccleſiaſticæ vitæ pariter
„ & diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo *Siricio* ad
„ provincias commeavit , non probabitur
„ perveniſſe , his ignorationis venia REMIT-
„ TETUR , ita ut de cetero penitus inci-
„ piant abſtinere . Et ita gradus ſuos , in
„ quibus inventi fuerint , ſic retentent , ut
„ eis non liceat ad potiora conſcendere .
„ Quibus in beneficio eſſe debet , quod hunc
„ ipſum locum , quem retinent , non amit-
„ tunt . Si qui autem ſciſſe formam viven-

di miſ-

„ di miſſam a *Siricio* detegentur, neque ſta-
„ tim cupiditates libidinis abjeciſſe ; ILLI
„ SUNT MODIS OMNIBUS SUBMOVENDI :“
ita ille(28). Eſtne hoc *pure docere* ; Et hoc
„ quæſitum ab *Exſuperio* fuerat quid de his
„ obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum
„ omni tempore incontinentiæ voluptatibus
„ dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœni-
„ tentiam ſimul & reconciliationem com-
„ munionis expoſcunt. “ Reſpondet *Inno-*
„ *centius*, conſuetudinem priorem retinuiſſe,
„ ut concederetur pœnitentia, ſed commu-
„ nio negaretur . . . . Sed poſtquam domi-
„ nus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit,
„ jam depulſo terrore, communionem dari
„ abeuntibus placuit, & propter domini
„ miſericordiam, quaſi viaticum profecturis,
„ & ne *Novatiani* hæretici, negantis ve-
„ niam, aſperitatem, & duritiam ſequi vi-
„ deamur TRIBUETUR ergo cum pœniten-
„ tia extrema communio : ut homines hu-
„ juſmodi vel in ſupremis ſuis, permitten-
„ te Salvatore noſtro, a perpetuo exitio
„ vindicentur “. Iterum quæro: eſt ne hoc
pure docere, an *definire*? Saltem Cl. *Couſtan-
tio definire* viſus eſt *Innocentius*. Audi illum
in adnotationibus ad hunc locum (29).
Quod vero NUNC DEFINIT Innocentius, *hoc
poſtea* Cœleſtinus *epiſt*. 4. *ad Epiſcopos* Vien-
B 2 nen-

(28) Ep. *VI. Epiſt*. R. P. Couſt. *col*. 792.
(29) *col*. 793.

nenſis & Narbonenſis *provinciæ n.* 3. & Leo epiſt. 100. *ad* Theodorum *n.* 5. *diſerte confirmant &c.*

VI. *Leonis* M. quam urgebat *Nicolaus*, ea erat ſententia: ne quid vero ſit, quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia „ decretalia conſtituta tam beatæ recorda„ tionis *Innocentii*, quam omnium deceſſo„ rum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis or„ dinibus, & canonum promulgata ſunt „ diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſto„ diri mandamus, ut ſi quis in illa com„ miſerit, veniam ſibi deinceps noverit de„ negari. " Sed, inquit *Febronius* (30), ex „ *Leone* non probatur intentum *Nicolai*, „ quod epiſtolæ decretales ab *omnibus* Epi„ ſcopis ſint recipiendæ, & ſub denegandæ „ veniæ pœna cuſtodiendæ, ut vel ex ipſa „ inſcriptione patet: Leo *Epiſcopus urbis* „ Romæ *univerſis Epiſcopis per* Campaniam, „ Picenum, Tuſciam, & *per univerſas* Ita„ liæ *Provincias conſtitutis*. " Videtur nempe *Febronius* hanc *Leonis* legem ad jus Patriarchicum referre, cui *Italiæ* Epiſcopi parebant, non ad jus Primatis. Verum ut hoc verum eſſet, fruſtra *Febronius* *Nicolaum* reprehenderet. Id enim unum (notet quæſo *Febronius*, ne in alienum plane ſenſum S. Pontificis ſententiam detorqueat) *Nicolaus* contendebat, illud *Leonis* caput, quum in Ca-

(30) *l. c. pag.* 426.

Canonum codice legeretur, eamdem vim ad decretalium quarumcumque epistolarum auctoritatem vindicandam habere, quam *Galli Innocentii* litteris, licet ad unum *Exsuperium* datis, quod in eodem codice exstarent; inesse adsentiebantur ad confirmandum Scripturarum Canonem. Præterea multa heic *Febronius* peccat. Sumit enim, Pontificum legibus eos tantum parere debuisse, ad quos mitterentur, hincque solos *Italiæ* Episcopos *Leonis* legi fuisse obnoxios, non ceteros. Qua in re primum non satis sibi constat; videtur enim fateri, *Leonianæ* epistolæ vi decretales litteras ab *Italis*, quos ejus epistolæ inscriptio memorat recipiendas fuisse; jus ergo ferendarum legum Patriarchæ tribuit; quo solum nomine *Leo* in ejus systemate potuisset universis *Italiæ* Episcopis imperare. Et primati totius Ecclesiæ jus idem negabit? Recolantur heic ejusdem S. *Leonis* verba in epistola ad *Anastasium Thessalonicensem* (31), de Sacerdotibus, seu Episcopis:
„ Quibus quum dignitas sit communis, non
„ est tamen ordo generalis: quoniam & in-
„ ter beatissimos Apostolos in similitudine
„ honoris fuit quædam discretio potestatis;
„ & quum omnium par esset electio, uni
„ tamen datum est, ut ceteris præemineret.
„ De qua forma Episcoporum quoque est
„ orta distinctio, & magna ordinatione pro-

(31) *Ep. XIV. col. 691. Ballerin. edit.*

„ visum est, ne omnes sibi omnia vindica-
„ rent; sed essent in singulis provinciis sin-
„ guli, quorum inter fratres haberetur pri-
„ ma sententia; & rursus quidam in majo-
„ ribus urbibus constituti, sollicitudinem su-
„ sciperent ampliorem, per quos ad unam
„ *Petri* Sedem universalis Ecclesiæ cura con-
„ flueret, & nihil usquam a suo capite dis-
„ sideret". Nimirum ipsa Ecclesiæ constitutio postulare videtur, ut quemadmodum in singulis urbibus positi Episcopi suis subditis, in singulis Provinciis Metropolitæ Episcopis, in majoribus urbibus Exarchi seu Patriarchæ Metropolitis leges ferunt, ita Patriarchas, ceterosque omnes Ecclesiæ Primas *Romanus* Pontifex legibus contineat, *quo ad unam* Petri *sedem universalis Ecclesiæ cura confluat*, *&* NIHIL USQUAM *a suo capite dissideat*. Deinde *Febronius* ignorare se ostendit, *Romanorum* Pontificum epistolas quæ ad unam mitterentur Ecclesiam, debuisse ad ceteras diligenter deferri ab omnibus custodiendas. Audivimus supra ab *Innocentio formam Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ ab Episcopo* Siricio AD PROVINCIAS COMMEASSE, nempe epistola prima, quæ tamen *Himerio Tarraconensi* Episcopo inscripta erat. *Coustantius* quoque (32), & *Ballerinius* (33) *Siricii* quæ legitur ad *Africanos* epistolam,

(32) T. I. *epist.* R. P. *col.* 653.
[33] T. III. *oper.* S. *Leon. col.* 1005.

lam, contendunt fuiſſe primo datam ad Epiſcopos Suburbicarios ſeu *Italos*, *Afris* deinde communicatam. Sic etiam *Gelaſii* epiſtola VII., quæ in Codicibus *Dionyſianis*, & *Iſidorianis* prænotatur *Univerſis Epiſcopis per* Lucaniam & Brutios, & Siciliam *conſtitutis*, in pluribus MSS. collectionibus, quas indicant *Ballerinii* (34) inſcribitur *Univerſis Epiſcopis per unamquamque provinciam conſtitutis*. „ Similis, inquiunt iidem *Ballerinii*, Inſcri„ ptionum varietas in aliis quoque aliorum „ Pontificum epiſtolis nonnumquam in di„ verſis collectionibus exhibetur, ut videre „ eſt inter ceteras in *Leonis* epiſt. 7. quæ in „ Codd. Dion. aliiſque ex *Dionyſio* profectis „ data traditur *univerſis Epiſcopis per Italiam* „ *conſtitutis*. At in duobus aliis coll. Corb. „ & noſtræ collectionis legitur: *univerſis E*„ *piſcopis per diverſas provincias conſtitutis*. „ Id ex eo profectum videtur, quod hu„ juſmodi epiſtolæ primum ad certas provin„ cias a *Romanis* Pontificibus directæ, po„ ſtea vero per harum Provinciarum Epi„ ſcopos vicinioribus communicatæ fuerint; „ & ſic ſubinde in alias atque alias pro„ vincias tranſierint, ita ut *univerſis Epiſco*„ *pis per unamquamque provinciam* traditæ di„ ci potuerint “. Sed non eſt cur ad alia excurramus exempla. Ipſa quam *Nicolaus* appellat, *Leonis* M. epiſtola id docet. Veritus

[34] *ibid. col.* 407.

ritus non est *Febronius* ejus inscriptionem insigni falsitate corrumpere : *vel ex ipsa* , inquit , *inscriptione* patet : *Leo* Epi-
„ scopus Urbis Romæ universis Episco-
„ pis per Campaniam, Picenum , Tusciam ,
„ & per universas ITALIÆ Provincias con-
„ stitutis ". Proh ! scelus ! Addidit *Febronius* de suo *Italiæ* nomen , quod Codices tum manu exarati , tum impressi ignorant , ut videre est apud ipsum *Quesnellum* , & *Ballerinios* (35). Porro Cl. *Coustantio* (36) probabile visum fuit , quod Episcopus *Thusciæ* , *Piceni* , & *Campaniæ* scriptum a *Leone* fuerat , id ad alios deinde missum , & longe lateque disseminatum , commune universis evasisse , *atque ideo in ejus inscriptione adiectum esse* ET UNIVERSAS PROVINCIAS : quod etiam *Ballerinis* placuit (37). Hæc sufficerent , si *Leo ad Italos* tantum Episcopos ista scripsisset , ut ei *Febronius* imponit . Quid vero quum *Leo* epistolam suam miserit ad *Episcopos* PER UNIVERSAS PROVINCIAS CONSTITUTOS ? *Ex* Leone , inquiebat *Febronius* , *non probatur intentum* Nicolai , *quod epistolæ Decretales ab omnibus Epispopis sint recipiendæ* , & *sub denegandæ veniæ pœna custodiendæ* . Cur ? quia *vel ex ipsa inscriptione patet* Leonem Episcopis tantum *per universas*

ITA-

(35) *Ep. IV. T. I. col. 611.*
(36) *Præf. in epist. Rom. Pontif. pag. LI.*
[37] *in not. ad eam epistol. T. II. col. 1297.*

ITALIÆ *Provincias constitutis* hæc perscripsisse. Igitur quum id falsum sit, atque epistolæ inscriptio *Episcopos* non *per universas* Italiæ *Provincias*, *sed per universas Provincias constitutos* præseferat, *probatur intentum* Nicolai, *quod epistolæ decretales ab omnibus* (an non enim *omnes* sint *Episcopi per universas Provincias constituti?*) *sint recipiendæ*, & *sub denegandæ veniæ pœna custodiendæ*.

VII. Quæri fortasse posset, num *Romani* Pontifices legibus quas Episcopis *per universas Provincias* constitutis inscribebant, etiam *Orientales* obstringerent? Equidem si quæ utrique Ecclesiæ communia esse voluere, ea etiam *Orientis* & *Ægypti* Episcopis observanda mandarunt. A S. *Leone* M. non discedamus. Exstat ejus ad *Dioscorum Alexandrinum* epistola a. 445. scripta, in qua " quod, inquit (38) a Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, A VOBIS QUOQUE VOLUMUS custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio conferatur ". *Antiocheno* quoque Episcopo *Maximo* nonnulla præscripsit. " In his illud „ quo-

(38) *Ep. IX. col. 629. Ball. edit.*

„ quoque, inquit (39), dilectionem tuam „ convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt „ Domini Sacerdotes, nullus sibi docendi „ & prædicandi jus audeat vindicare, sive „ ille Monachus, sive sit laicus, qui alicu„ jus scientiæ nomine glorietur. Quia etsi „ optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, „ quæ recta & sana sunt, sapiant; non ta„ men permittendum est, ut quisquam extra „ sacerdotalem ordinem constitutus, gradum „ sibi prædicatoris adsumat". Ubi fortassis „ *Febronius* consilium, cohortationemque, non legem videbit. Sed confer quæ eadem de re ad *Theodoretum* scripsit epistola sequente (40): " de his vero, quæ in sæpe dicto „ Concilio (*Chalcedonensi*) illicita contra ve„ nerabiles *Nicænos* Canones præsumptione „ tentata sunt, ad fratrem & Coepiscopum „ nostrum *Antiochenæ* Sedis præsulem scri„ psimus: adijcientes & illud, quod nobis „ propter improbitatem Monachorum quo„ rumdam regionis vestræ verbo mandasti „ per Vicarios nostros; ET HOC SPECIA„ LITER STATUENTES, ut præter Domini „ Sacerdotes nullus AUDEAT prædicare, seu „ Monachus, sive ille sit laicus". Non erit id animadvertisse inutile. Sæpe enim Pon„ tifices etsi legem sanciebant, præsertim tamen quum ad *Orientis* Patriarchas de re-

bus

[39] *Ep.* CXIX. *col.* 1217.
[40] *Ep. CXX. col.* 1227.

bus disciplinæ litteras darent, familiariore stylo ac temperatiore utebantur. Quamobrem quæ ad universas Provincias scribebant, etiam *Orientales* adligabant. Hinc *Nicolaus* I. (41) *Photium* ita redarguit. " Decretalia autem, quæ a Sanctis Pontifici-
" bus primæ Sedis *Romanæ* Ecclesiæ sunt in-
" stituta, cujus auctoritate, atque sanctione
" omnes Synodi & sancta Concilia roboran-
" tur & stabilitatem sumunt, cur vos non
" habere vel observare dicitis? nisi quia ve-
" stræ ordinationi contradicunt... Quod
" si ea non habetis, de neglectu atque incu-
" ria estis arguendi; si habetis & non ob-
" servatis de temeritate estis corripiendi, &
" increpandi ". Si tamen de rebus agere-
tur, in quibus certo sumi posset, noluisse *Romanos* Pontifices ut sua decreta licet generalibus concepta verbis, ad *Orientales* pertinerent, dubium non est, quin solis *Occidentalibus* illa præscriberent. Nec propterea *Febronio* jus erit, ejusmodi decreta Pontificibus non ut Ecclesiæ Primatibus, sed ut *Occidentis* Patriarchis adjudicandi. Œcumenica sane Concilia non *Occidentis* aut *Orientis*, dici a Catholico homine Concilia possunt, sed universæ Ecclesiæ. " Certa tamen
" est præsumptio, *Tridentinam* Synodum ut re-
" cte a *Ballerinio* observatum video (42)
" de-

[41] *Ep. VI.*
[42] *De potest. Eccles. pag.* 169.

„ decretis pertinentibus ad usum latinæ lin-
„ guæ in divinis officiis , ad ritus & for-
„ mas aliquorum Sacramentorum , ad usum
„ calicis , & alia similia disciplinæ capita ,
„ licet generalibus verbis fuerint expressa ,
„ noluisse Orientales obligare " . Ita etiam *Romani* Pontifices jure Primatus leges condere poterant, etsi justis de caussis *Orientales* illis devincire nolebant. Verum ad *Nicolaum* revertamur.

VIII. " Consonat autem , inquit ille in
„ Epistola ad universos Episcopos *Galliæ* ,
„ huic beatissimo Papæ *Leoni* sanctus & fa-
„ cundissimus in decretis suis Papa *Gelasius*,
„ ita inquiens : decretales epistolas , quas
„ beatissimi Papæ diversis temporibus de
„ urbe *Roma*, pro diversorum Patrum con-
„ sultatione dederunt , venerabiliter susci-
„ piendas decrevimus . In quo notandum ,
„ quia non dixit, decretales epistolas , quæ
„ inter Canones habentur " . Ubi *Nicolaum* vides *Gallicanorum* Præsulum argumento semper inhærere . *Febronius* tamen *Nicolaum* sumens hoc testimonio uti *directe* ad comprobandam decretalium Constitutionum auctoritatem , non ad infirmandum *Gallorum* Antistitum argumentum respondet his verbis (43) : " hoc decretum Concilii *Romani* ,
„ quod dicitur a LXX. Episcopis anno 494.
„ celebratum fuisse, in primis non est om-
„ ni

[43] T. II. pag. 426.

„ ni crisi superius: deinde non ponit hæc „ Synodus canonem *omnibus* Ecclesiis, sed „ ad Synodum illa pertinentibus: demum „ vel heinc liquet, quo gradu & ordine ve„ niant *Romanorum* Pontificum decretales: „ nempe ordo *primus* divinis Scripturis, *se*„ *cundus* Conciliis generalibus, *tertius* Con„ ciliis particularibus, *quartus* opusculis Ss. „ Patrum ibidem enumeratorum, & post „ hæc epistolæ B. *Leonis* Papæ ad *Flavia*„ *num Constantinopolitanum*, *quinctus* genera„ liter omnibus opusculis orthodoxorum Pa„ trum, *sextus* prædictis epistolis decretali„ bus, *septimus* gestis Ss. Martyrum, & sic „ deinceps ibi legitur esse adtributus". Sed ut ab hac extrema animadversione exordiar, supra ostendimus, nihil magis ridiculum esse, quam ex ordine, quo decretales epistolæ aut indicantur, aut referuntur, argumentari. Id vero majorem vim obtinet, ubi de *Gelasio* loquimur, quo nullus magnificentioribus verbis suæ Sedis auctoritatem extulit. Pauca de multis adfero. " Quod Sedes A„ postolica (de *Chalcedonensi* Concilio lo„ quitur) non consensit nec Imperator im„ posuit, nec *Anatolius* usurpavit; totum„ que ut dictum est, in Sedis Apostolicæ „ est positum potestate: ita quod in Syno„ do Sedes Apostolica firmavit, hoc robur „ obtinuit, quod refutavit, habere non po„ tuit firmitatem: & sola rescindit quod

„ præ-

„ præter ordinem congregatio ſynodica pu-
„ taverat uſurpandum“: ita in tomo de anathematis vinculo. Sub finem ejuſdem tomi ait: “ quapropter non veremur, ne A-
„ poſtolica ſententia reſolvatur, quam &
„ vox Chriſti, & majorum traditio, & ca-
„ nonum fulcit auctoritas: ut totam potius
„ Eccleſiam ſemper ipſa dijudicet“. Epiſtoſtola vero VII. poſtquam nonnulla de diaconibus ſtatuerat, “ quum, inquit, Sedes A-
„ poſtolica ſuper his omnibus favente do-
„ mino, quæ paternis canonibus ſunt præ-
„ finita, pio devotoque ſtudeat tenere pro-
„ poſito; ſatis indignum eſt quemquam vel
„ Pontificum vel ordinum ſubſequentium
„ hanc obſervantiam refutare, quam beati
„ *Petri* ſedem & ſequi videat & docere;
„ ſatiſque conveniens ſit, ut totum corpus
„ Eccleſiæ in hac ſibi obſervatione concor-
„ det, quam illic vigere conſpiciat, ubi
„ Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum“. Et credemus *Gelaſium* decretales ſuorum deceſſorum epiſtolas eo, quem *Febronius* expendit, ordine collocaſſe, ut Patrum ſcriptis illas auctoritate poſthabendas eſſe exiſtimaremus? De Synodo quod *Febronius* ait, Catholico Scriptore indignum eſt. Mitto in pluribus Mss. Codicibus apud *Ballerinios* in eruditiſſimo de *antiquis Collectionibus* tractatu, qui Tomo tertio operum S. *Leonis* M.
præ-

præmittitur (44), hoc procemium *Gelasiano* illi Catalogo inscribi: *Nunc vero de scripturis divinis agendum est*, *quid* UNIVERSALIS CATHOLICA recipiat ECCLESIA, & QUID VITARE DEBEAT: quæ sane indicant, quæ in ea *Romana* Synodo tradita fuere, totam spectasse Ecclesiam, non eas solum Ecclesias, quæ Synodi *Romanæ* erant. Numquid quæ *Damasus* aliique Pontifices in caussis Fidei, aut in deijciendis *Orientalibus* Episcopis constituerunt, non acta sunt in *Romanis* Conciliis? Quisnam vero *Orientalium* obiecit, illis decretis eos tantum teneri Antistites, qui ad Synodum *Romanam* jure vocari a summo Pontifice possent? Ad *crisim* quod adtinet, primo *Febronius* observare debuerat, licet de *Gelasii* decreto dubitari posset num legitimum sit, potuisse tamen illo *Nicolaum* uti adversus *Rhemensem Hincmarum*, a quo genuinum habitum fuisse constat. Nam in opusculo Capitulorum IV. ad *Hincmarum Laudunensem* ait (45): " Sed & B. *Gelasius* „ in catalogo, qui libri ab Ecclesia Catho„ lica recipiantur, descripto, authenticis „ Scripturis, & *Nicænæ*, *Constantinopolitanæ*, „ ac *Ephesinæ*, *Chalcedonensis* quoque Syno„ di, & aliis Conciliis, a Ss. Patribus in„ stitutis, & orthodoxorum opusculis atque „ decretalibus epistolis Apostolicæ sedis Pon„ tifi-

(44) *pag. CLV.*
(45) *Cap.* 24.

„ tificum, aliisque Scripturis discrete com-
„ memoratis , de his Apostolorum canoni-
„ bus penitus tacuit; sed nec inter apocry-
„ pha eos misit". Deinde post ea, quæ pro hoc decreto *Ballerinii* adtulerunt (46) hypercriticus sit oportet, qui illud reijciet. Difficultas, quæ ad abjudicandum a *Gelasio* ipsum decretum de libris ex Chronica notatione pendet nimirum ex consulatu *Asterii* atque *Præsidii* anni 494. quo anno posteriores sunt quidam libri in eodem decreto recensiti, nulla est, hanc enim consularem notam, quum in nulla collectione, in codice nullo nacti sint *Ballerinii*, perperam adfixam nihil ambigimus, ac propterea, inquiunt iidem *Ballerinii* (47), jure P. ~~Coustantius~~ (teste P. *Mopinot* in epistola edita anno 1724.) quincto loco probandum sibi proposuerat, *expungendam, quæ tot hactenus rixis locum dedit, chronologicam notam, utpote nulla satis firma auctoritate nixam, immo temere ex alia* Gelasii *epistola advectam*.

IX. Atque his *Nicolaum* vindicavimus. Piguit equidem me, immo & puduit, quum me ad tanti Pontificis sanctitate atque doctrina spectabilis defensionem coactum viderem. Quid enim in Religione intactum deinceps erit, si summorum Pontificum epistolæ; quas *Gelasius venerabiliter* suscipiendas decre-

(46) T. III. *oper. S. Leon. pag.* CLI. CLVII.
[47] *l. c. pag.* CLVI.

decrevit, veluti cujuſpiam de ſchola Theologi ſcripta ad examen præſidenti animo revocantur, & cenſoria virgula a privato homine audacter notantur? Bene tamen eſt, quod perſpicue oſtenderimus ſolis cavillationibus atque mendaciis potuiſſe tenebricoſum ſcriptorem contra præſtantiſſimi Pontificis effata quidquam moliri. Ceterum an non *Febronius* malæ ſe cauſſæ patrocinari fatetur, qui *Nicolaum* I. *plenam leges ferendi poteſtatem* Romanis *Pontificibus adſcribere conatum eſſe* pronunciat? (48) Uſus ad id ſit *inanibus argumentis* ut jactat Febronius; quid *Romani* Pontifices definiant, ab orthodoxo homine conſiderandum eſt, non quibus ſuas definitiones argumentis confirment. Si ergo *Nicolaus plenam* leges ferendi poteſtatem *Romanis* Pontificibus adſerit, quid contra mutire auſit *Febronius*? Nam eccleſiaſticæ leges plerumque ad diſciplinam pertinent; ſed earum poteſtatem in ſummo Pontifice venerari dogmatis eſt, quod certo definire ad ejuſdem Pontificis ſpectat auctoritatem. At quid deinde ſi quod *Nicolaus* adfirmat, idem *Gelaſius*, idem *Leo Magnus*, idem univerſa agnovit antiquitas? Nec ſacram tantummodo antiquitatem appello, ſed etiam profanam. Quid nempe hanc in rem luculentius edicere de *Petri* Sede potuiſſent *Romani* ipſi Pontifices, quam quod a *Theodoſio juniore*,

(48) T. II. *pag.* 425.

& Valentiniano III. Auguſtis a. 445. ſancitum novimus in ea, quæ inter S. *Leonem* M. & *Arelatenſem Hilarium* agebatur, cauſſa? Auguſtorum legem *Aetio* miſſam in *Antifebronio* dedi (49). Repetenda heic nihilominus eſt, ac *Febronio* ad fremitum uſque inculcanda: " Et erat quidem ipſa ſenten„ tia per *Gallias* etiam ſine imperiali ſan„ ctione valitura. Quid enim tanti Ponti„ ficis auctoritati in Eccleſiis non liceret? „ Sed noſtram quoque præceptionem hæc „ ratio probavit, ne ulterius nec *Hilario*, „ quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola „ manſueti Præſulis permittit humanitas, „ nec cuiquam alteri eccleſiaſticis rebus ar„ ma miſcere, aut præceptis *Romani* Anti„ ſtitis liceat obviare. Auſibus enim tali„ bus fides, & reverentia noſtri violatur „ Imperii. Nec hoc ſolum, quod eſt ma„ ximi criminis, ſubmovemus; verum ne „ levis ſaltem inter Eccleſias turba naſca„ tur, vel in aliquo minui religionis diſci„ plina videatur, hæc perenni ſanctione „ cenſemus, ne quid tam Epiſcopis *Gallica*„ *nis*, quam aliarum Provinciarum contra „ conſuetudinem veterem liceat, ſine viri „ venerabilis Papæ urbis æternæ auctorita„ te tentare. Sed hoc illis omnibuſque pro „ lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit a-

„ po-

(49) T. I. pag. 184.

„ postolicæ Sedis auctoritas “. (50) Intellexitne *Febronius*? Hæc *Gallicanis* Præsulibus indicta sunt. Quamobrem si ut ille ipse contendit (51), nunc *Gallicana* Ecclesia ferendarum legum potestatem *Romano* Pontifici abnuit, non solum tam solemni duorum Augustorum legi injuriam irrogat, sed etiam Apostolicæ Sedi, cujus auctoritati etiam absque Imperialium legum præsidio nihil non licere in Ecclesiis iidem Augusti palam profitentur. Sed revera *Gallicanæ* Ecclesiæ *Febronius* injurius est, qui tantam inclitæ illi Ecclesiæ calumniam impingere audeat. Fortasse tamen *Gallicanæ* Ecclesiæ sententiam ex illo *generalis Procuratoris substituto*, cujus superiore dissertatione meminimus, colligendam censuit. Nempe ille thesim quamdam, qua *Romano* Pontifici ferendarum de fide, moribus, & disciplina legum jus adserebatur, acerrime a. 1752. redarguit. Verum quid *Gallicana* Ecclesia hac super re sentiat, non a togato censore, sed ab Episcopis discendum est. Conferamus ergo *Senonensis* Archiepiscopi *Languetii* epistolam ad quemdam *Parisiensis* Senatus Consiliarium scriptam 18. Februarii a. 1753. Non solum ille *Romano* Pontifici legum edendarum auctoritatem tribuit, sed eam a *Gallicano* Clero palam agni-

[50] T. I. *oper. S. Leon. Baller. edit. col.* 643.
[51] T. II. *pag.* 531.

tam & prædicatam adfirmat (52). Numquid vero vel unus inter *Gallicanos* orthodoxos Antiſtites inventus eſt, qui *Senonenſem* Archiepiſcopum aut mendacii aut erroris arguerit? Unum ſcilicet *Febronius* nominet; cauſſa cadam. Sed ipſe ille *Hincmarus*, qui ſæculo IX. ut adverſarius ajebat, *cum aliis* Galliæ *Epiſcopis decretalibus RR. PP. epiſtolis extra* receptum corpus canonum vagantibus *quæſtionem ſtatus movit*, nonne eadem quæ *Senonenſis* ſentiebat? Non enim illis epiſtolis *quæſtionem ſtatus movit*, quod ſi legitimæ eſſent, parere iis detrectaret: genuinas eſſe illas negabat, quod in Canonum codicem relatæ non eſſent, ac propterea nullam ineſſe iis canonicam auctoritatem contendebat. Quare in ea ipſa quæſtione ſumebat: ſibi illis obtemperandum, ubi ſpuriæ non eſſe comprobarentur? Quantum ergo a *Gallicanæ* Eccleſiæ ſententia abhorret *Febronius*!

[52] *pag.* 2. " Il eſt evident, que c' eſt de l'obeiſſan„ ce au Saint Siège, dont il prètend, par ce mot d' *in*„ *dependance*, affranchir l' Egliſe *Gallicane*, puiſque c'eſt „ dans la mème phraſe, qu' il hazarde de diſputer au „ Pape la *puiſſance legislative ſur les moeurs et la diſci*„ *pline*; puiſſance ſi expreſsèment rèconnue par le Clergè „ de *France*, qu' il trouve un ſujet de gloire dan la *ſou*„ *miſſion*, qu' il rend au S. Siege, que Jeſus-Chriſt a „ ètabli pour ètre le centre, et le lien de l' unitè de ſon „ Egliſe. "

CAPUT II.

De quibusnam rebus leges ferre Romani *Pontifices possint? Canonibus obsequi debent, neque id tamen quidquid* Febronius *obganniat, veræ propriæque legum sanciendarum officit potestati, aut canonibus Pontifices subjicit. Aliqua de dispensationum jure.*

I. DUo, ut vidimus, a *Romanis* Pontificibus ubi Ecclesiæ leges proponant omnino servanda *Febronius* præscribit, quæ ad legum veluti materiem referri possunt. Primum est ut ne *indifferentia* præcipiant. " Tum enim, inquit *Febronius* (1), „ incompetenter, ac citra auctoritatem age„ ret Pontifex, si indifferentia, id est talia „ mandaret, quibus non servatis, salus nec „ periclitaretur, nec juvaretur: " alterum „ est ut meminerint, " ad jus & officium „ *Romani* Pontificis quidem pertinere custo„ diam & exequutionem Conciliarium, aut „ alias ab Ecclesia receptorum Canonum; „ non autem in ejus potestate esse novas le„ ges condere ". De primo paucis dicam; alterum etsi in *Antifebronio* uberrime ac pro dignitate expensum fuit, (2), quum tamen maximi momenti sit, non indiligenter re-

[1] *T.* II. *pag.* 427.
(2) *T.* I. *diss.* II. *cap.* VIII.

tractabimus. Illud ergo primum ex *Ivonis Carnotensis* epistola LXV., quam fere integram exscripsit (3), *Febronius* hausit. Ibi enim *Ivo* ad *Hugonem Lugdunensem* Archiepiscopum, Legatumque Apostolicum scribit: „ nos tamen interdicta, seu mandata pro „ fidei defensione, pro fidelium correctione, „ pro sceleratorum emendatione, promulga- „ ta a Sede Apostolica sic volumus obser- „ vare, ut parati simus Deo cooperante „ quælibet adversa pro eorum defensione to- „ lerare. Quum ea vero, quæ *indifferenter* „ *se habent*, & *quibus non observatis minime* „ *salus periclitatur*, *vel observatis minime ju-* „ *vatur*, tam obnixe servanda sancitis, vel „ quum ea, quæ antiquitas sanxit, consue- „ tudo servavit, venerabilium Patrum au- „ ctoritas sacra firmavit, prout vultis, mi- „ nuitis ac mutatis, adtendere debet pru- „ dentia vestra, quid saluti eorum, quibus „ debetis prodesse, per omnia conferatis, „ vel quorum institutio sit tenenda, vel „ quibus potius exhibenda sit obedientia, „ an illis sanctis Patribus, qui adhuc in „ scriptis suis nobis loquuntur, an vobis, „ quibus nihil est aliud propositum, quam „ sequi & honorare eorum vestigia“. Verum notandum continuo est Lectoribus, *Febronium* de more imponere, quum ait (4), *Ivo-*

(3) T. *II. pag.* 428. *seqq.*
(4) *ibid. pag.* 427.

Ivonem hac epiſtola *Hugoni* ſignificaſſe, *quo-uſque Pontificia ſtatuendi & Epiſcopis mandandi auctoritas, & reſpectiva obediendi neceſſitas ſe extendat.* Dicere debuerat, *quouſque Legato-rum Pontificis*, cujuſmodi *Hugo* erat, non *Pontificia ſe extendat auctoritas*. Nempe *Hugo* Legati Apoſtolici auctoritatem prætexens *Senonenſem* Electum *ante conſecrationem ſuam ſibi præſentari* juſſerat, *& jure primatus ſui* (ſcilicet Lugdunenſis) *ſubiectionem, & obedientiam profiteri: Quod hactenus*, inquit Ivo, *nec in* Senonenſi *Provincia, nec in aliis provinciis antiquitas inſtituit, nec conſuetudo ſervavit. Ivo* igitur non heic Pontificiæ auctoritati fines conſtituit, ut *Febronius* hariolatur, ſed Legatum, qui ſui muneris poteſtatate abutebatur, reprehendit. Quare mirari ſe ait, cur PRIVATIS legibus (an *privatæ* Pontificis leges ab *Ivone* appellarentur?) *& novis traditionibus veteres traditiones, & conſuetudines removere* (Hugo) *contenderet*. Sed id ex alio epiſtolæ loco, quem *Febronius* callide ſuppreſſit, manifeſtius fiet. *Nec iſta dico*, inquit *Ivo*, *tamquam velim adverſus Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel ejus ſalutaribus diſpoſitionibus obviare... Sed hæc vellem cum multis mecum pie ſentientibus, ut* ROMANÆ ECCLESIÆ MINISTRI *tanquam probati Medici majoribus malis ſanandis intenderent &c.* Quid inde ſequutum ſit, narrat ipſe *Ivo* in epiſtola ad *Urbanum* ſexageſima

octava his verbis : " Sed quia domino *Lugdunensi* Archiepiscopo quædam SIBI verba adversa secus quam vellet, sonuerunt maxime de PRIMATU LUGDUNENSI, postposita intentione Scriptoris, secundum quod tunc adfectus fuit participem vos suæ amaritudi-„ nis fieri voluit ". Subiratus *Ivoni* fuit *Urbanus* sinistra ab *Hugone* delatione deceptus. *Ivo* igitur ita ad *Urbanum* scribit : „ Liceat cuique dicere, quod sentit. Ego „ de me sentio, quod non est aliqua per„ sona transmontana, quæ pro fidelitate ve„ stra, *pro adsertione præceptorum vestrorum* „ tot contumelias pertulerit, tot injurias „ adceperit. Sed quia illa verba quacumque „ occasione animum vestrum exacerbaverint, „ non est meum adversus vos intrare in ju„ dicium. Malo enim omni Episcopatui „ renunciare, quam iram vestram juste vel „ injuste sustinere. Hæc satisfactio si pla„ cuerit vestræ paternitati, placet & meæ „ parvitati. Hanc si placet, adcipite : si „ plus placet, plus addite ". En quos *Febronius* appellat testes ad coercendam Pontificum *Romanorum* in ferendis legibus potestatem. Utinam *Ivonis* ipse vestigia sectaretur; non tam horrenda, ac nefaria per *Germaniam*, *Italiamque* nostram adversus Christi Vicarium disseminaret solis hæreticis, aut sacrilegæ cujusdam libertatis amatoribus placitura. Sed ut ad *Ivonis* axioma redeam, san-

ſancienda non eſſe, *quæ* indifferenter *ſe habent*, & *quibus non obſervatis minime ſalus periclitatur*, *vel obſervatis minime juvatur*, lubens illud admitto. An non etiam ab Epiſcopis, an non etiam ab œcumenicis Conciliis id in ſuis legibus ſpectandum eſt? Principes quoque a populorum utilitate ferendarum legum regulam ſumant, neceſſe eſt, imprudenſque omnino atque inconſulta lex eſſet, ſi quæ præciperet, quibus non obſervatis minime ſalus Reipublicæ periclitaretur, vel obſervatis minime juvaretur. Nec propterea quis recte colligeret, propriam legum edendarum poteſtatem penes Epiſcopos, œcumenica Concilia, Reges non eſſe. Hoc tamen maxime vereor, ne *Febronius* hujus *Ivonianæ* regulæ obtentu in Pontificias leges complurium ſæculorum obſervatione veluti conſecratas invadat. Agens enim de celebri Bulla Cœnæ, cujus fata *Wittembergenſi* plane ſtylo perſequitur, atque illius poſt *Paulli* III. Pontificatum incrementa indicans quærit quaſi per jocum (5): *quid autem* UTILITATIS *adtulit hoc ingens Bullæ incrementum?* Non eſt equidem hujus loci de hac Bulla tractationem inſtituere. Suſpicari tamen licet, *Febronium ad indifferentia*, quæ huic Bullæ adceſſerunt, incrementa contemptim relegare. Quod ſi ita eſt, monitum illum volo, ne ita deſipiat. Nihil enim in ea Bulla anathe-

(5) T. II. *pag.* 438.

themati latæ ſententiæ ſubijcitur, quod vel ſuapte natura peccatum non ſit, vel ſaltem a generalibus Conciliis, & a ſacris Canonibus non antea ferendæ cenſuræ ſententia fuerit ſæpius notatum. Num vero quod ejuſmodi ſit, inter ea, *quæ indifferenter ſe habent, & quibus non obſervatis minime ſalus periclitatur, vel obſervatis minime juvatur*, percenſeri catholica fides patiatur, Chriſtianus Lector dijudicet.

II. Ad alterum *Febronii* axioma me revoco. Contendit ille, a propria legum vi abbeſſe Pontificum *Romanorum* Sanctiones, quod a ſacris Canonibus ne latum quidem unguem deſciſcere debeant. Demus hoc tantiſper. At non animadvertit certe, quid ex ſua hac argumentandi ratione neceſſario conſequatur. Illud, inquam, quod abſurdum plane eſt, & a ſua ipſius ſententia maxime diſſentaneum, ne leges quidem aut ab Epiſcopis, aut ab Œcumenicis Conciliis, aut a Principibus conſtitui poſſe. Quæro enim ex *Febronio*, an Principes quidquam præcipere poſſint, quod cum jure naturæ, aut divinis legibus pugnet? quæro an Epiſcopis, & Œcumenicis Conciliis in ſuis legibus Sacros Canones pro arbitrio infringere liceat? Non equidem exiſtimaverim, eum tam væcordem, tam ſui immemorem futurum, ut id adfirmet. Verum ſi leges ſunt, quas ferunt Epiſcopi, Concilia, Principes, licet ad Cano-

no-

nonum, aut naturalium & divinarum legum præſcriptiones exigi omnino debeant, cur quæſo leges Pontificiæ non erunt, *quod pro fundamento*, ut ipſe ait (6), *habent Canones ab Eccleſia agnitos*, *maxime Conciliares*, *& ad horum exequutionem pertinent?* Quantum ſudabit, ſi huic expediendæ paritati ſerio ſe adcingat! At certumne eſt, nec ulla dubitatione implicatum, quod ipſe tam ſæpe inculcat (7), non eſſe Romanis Pontificibus novi juris condendi, ſed antiquorum Canonum ſolummodo renovandorum poteſtatem? Repetat *Febronius* animo, quæ ex *Barthelio* deſcripſit in primi voluminis appendice prima (8). " Probe notandum eſt diſcrimen, „ quod intercedit inter canones mobiles, & immobiles; *mobiles* ſunt ii, qui ritus v. g. „ externos & puncta diſciplinæ verſatilis, „ quæ nimirum pro temporis & loci varie„ tate mutari non refugit, concernunt; de „ his potiſſimum intelligendum illud vul„ gatum: *Canones per conſuetudinem abrogari*. „ Quin & veriſſimum eſt de ſimilibus, quod „ ſicut eos vigentes contemnere foret irre„ ligioſum; ſic abolitos perfracte velle re„ vocare, non raro foret periculoſum. Alii „ reperiuntur *immobiles* Canones non pauci, „ qui, quod juris Naturalis, vel Divini eſt, „ dum-

(6) T. I. *Cap.* II. §. 8. *pag.* 129.
(7) ut T. I. *cap.* II. §. 7. *n.* 4. Vide T. II. *pag.* 155.
[8] *pag.* 806.

„ dumtaxat exprimunt, aut explanant, vel „ particularibus caſibus jus naturale adpli- „ cant, aut *ad jus naturale vel divinum mul- „ tum adcedunt* . . . De his Canonibus hoc „ ferendum eſt judicium, quod, ſicut con- „ ſuetudo, vel præſcriptio, nihil adverſus „ jus naturale valet, ita nec horum Cano- „ num, qui jus naturale exponunt, aut de- „ terminant, *vel cum eo connexionem habent*, „ vim ſeu auctoritatem enervare poſſit “. Plaudo ex animo *Barthelio*, plaudo *Febronio*. Nunc ergo de immobilibus illis Canonibus loquamur, *qui quod juris naturalis, vel divini eſt, dumtaxat exprimunt*. Vel unum inter Theologos inveniat ut ut *Romanæ* Curiæ addictiſſimum, qui nihil adverſus ejuſmodi Canones a *Romano* Pontifice ſtatui poſſe non adſentiatur; vel unum inter Pontifices deſignet, qui aliquid hiſce Canonibus contrarium ſibi ſumpſerit ſanciendum. Nullum profecto indicare poterit; quin receptiſſima eſt apud noſtros Theologos ſententia, in his, quæ juris naturalis aut divini ſunt, ne diſpenſare quidem *Romanos* Pontifices poſſe. Id tamen caveat, ne hic Pontificiam legum ferendarum poteſtatem infirmari putet. Nam ut quæ de Epiſcopis, de Œcumenicis Synodis, de ipſiſque Principibus nuper dicta ſunt, prætermittam, ad hoſce obſervandos Canones tenentur quidem ſummi Pontifices, non tamen ipſorum Canonum vi, ſed altiore

tiore naturalis, aut divini juris, quod exprimunt, dignitate.

III. Quod ad ceteros spectat, quos *mobiles Barthelius* vocabat, hos quoque primum aio obligare ipsum Papam. " At ejusmodi
" obligatio, inquit *Ballerinius* (9) non pro-
" venit ex humano jure, cui summus quo-
" que Pontifex subsit. Concurrunt enim in
" statuendis ejusmodi canonibus & summus
" Pontifex, & Concilii Patres. Obligatio
" autem humani Juris, quod in subditos &
" inferiores tantum vim habere potest, sum-
" mum Pontificem adficere nequit, neque
" ex jure ipsius adsentientis, aut confirman-
" tis Pontificis, neque ex jure Patrum Con-
" cilii. Non ex jure ipsius Pontificis; ne-
" que enim is in se aut in successores suos
" sibi æquales habet imperium. Non ex ju-
" re Patrum Concilii, hi siquidem per se,
" etiamsi collective adcipiantur, quum sub-
" diti & inferiores sint summo Pontifice
" (uti superius demonstravimus), nullam
" in ipsum superiorem suum jurisdictionem
" proprie dictam obtinent, aut obtinere
" queunt. Solum iis Canonibus, quibus sum-
" mi Pontifices adsensi sunt, ita obstrin-
" guntur, ut suis & prædecessorum legibus
" obligantur, quas æque ac sacros canones
" servaturos olim in solemnibus professio-
" nibus etiam jurejurando firmatis pollice-
" ban-

[9] *de potest. Eccles. cap.* III. §. I. *pag.* 40.

„ bantur. Id autem non juri humano coa-
„ ctivo tribuendum, sed *vi directivæ*, ut
„ ajunt, ideſt altiori juri naturali atque
„ divino, quod exigit, ut in iis, quæ bo-
„ no publico conſtituta ſunt, ſuperior præ-
„ cedat exemplo, nec aliis violandarum le-
„ gum viam aperiat, quod in magnum ſcan-
„ dalum cederet. *Boſſuetus* in ſermone ad
„ celebria Comitia Cleri *Gallicani* habito
„ *Pariſiis* an. 1681. diſtinguens inter pote-
„ ſtatem Apoſtolis & *Petro* traditam, illam,
„ quam *ſuper omnes ſine reſtrictione S. Petro*
„ a Chriſto collatam confeſſus eſt, nullos
„ alios terminos habere adfirmavit, niſi
„ quos præſcribit REGULA. *Elle n' a des*
„ *bornes que celle, que donne la* REGLE.
„ Hæc autem regula, cui ſuberat idem S.
„ *Petrus*, qui *ſuper omnes ſine reſtrictione* præ-
„ fectus fuerat, nulla lex humana eſſe po-
„ terat, ſed naturalis tantum ac divina,
„ quam indicavimus. Hac de cauſſa *Gela-*
„ *ſius* ſcripſit (10): *Uniuſcujuſque Synodi con-*
„ *ſtitutum, quod univerſali Eccleſiæ probavit*
„ *adſenſus, non aliquam magis exequi ſedem*
„ *præ ceteris oportet, quam primam, quæ &*
„ *unamquamque Synodum ſua auctoritate con-*
„ *firmat, & continuata moderatione cuſtodit.*
„ Alia ſimilia aliorum Pontificum legun-
„ tur. Nullus eſt Princeps, qui licet nul-
„ li humano coactivo juri ſubſit, eodem
„ ta-

[10] *Ep.* 13. *ad Dard.*

„ tamen directivo, & naturali ac divino „ jure suis quoque legibus non obstringa„ tur, ne destruat exemplo, quod in bo„ num publicum statuit. Quare S. *Ambro„ sius* (11): *Quod præscripsisti aliis*, inquit, „ *præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator* „ *fert, quas* PRIMUS *ipse custodiat*. Et *Theo„ sius, ac Valentinianus ipse* (12): *Digna vox* „ *est majestate regnantis, legibus obligatum se* „ *profiteri*: quin tamen idcirco se iisdem „ aut prædecessoribus suis sibi æqualibus, „ vel sibimetipsi coactivo jure subesse dici „ possit. Hoc ergo sensu quum *Romani* Pon„ tifices se obnoxios adfirmarunt sacris di„ sciplinæ Canonibus, non idcirco Conci„ liorum quandoque etiam non generalium, „ in quibus dicti Canones fuerunt constitu„ ti, & ab Apostolica Sede recepti, jus in „ ipsos exinde deduci potest, quum ad eo„ rum observantiam non humano, sed na„ turali ac divino jure obligentur."

IV. Deinde dicimus, posse *Romanos* Pontifices, (ubi æqua caussa adsit), quæ præter Canones sint, neque a Canonibus sancita, statuere, immo etiam Canonum (de *mobilibus* loquor) disciplinam mutare vel abrogare. Qua in re liceat mihi *Charlasii* ver-

[11] *Ep.* 32. *ad* Valentinian.
[12] *l.* I. *Cod. tit.* 14. *de leg. & Constit.* Confer. Antifebron. T. I. *diss.* II. *cap.* VIII. *a num.* 5.

verbis uti (13). " Fatebitur quifquis ratione utetur, adcommodandas effe leges moribus eorum, quibus præftituuntur, atque, variandas fecundum perfonarum, locorum & temporum conditionem, non ita quidem, ut regulæ ad arbitrium hominum, forte perditorum infle&tantur, fed ut, penfatis illorum dotibus, adfe&ibus, ufibus, tales eis præfcribantur leges, quæ illorum faluti, vitæque re&e inftituendæ aptiores videantur. Quum autem hominum mores ficut & aliæ res omnes, mutationi fint obnoxii, neceffe eft, ut fi antiquis moribus novi adverfentur, per regulas antiquis contrarias ad bonum publicum deducantur. Non iifdem ægritudinibus animi femper laborant: fed quemadmodum in corpore nunc ille, nunc contrarius morbus graffatur; unde contraria, pro vario morborum genere, medicamenta funt adhibenda, ita mentes fucceffive contrariis erroribus, & vitiis fubjacent, quibus modo iftis, modo illis legibus occurrendum eft. Quocirca quum omnia, quæ in condendis antiquis legibus intercefferunt ad fubftituendas novas confentiunt, fcilicet au&oritas conditoris, utilitas fubditi, facultas parendi, aliæque conditiones, cur robore carebit, quod de novo præcipietur?

[13] *De libertat. Ecclef.* Gallic. *lib.* II. *cap.* 2. *edit.* Leod.

„ tur? Quicumque igitur Decreta omnia, „ quæ nova sunt, solius novitatis obtentu „ repudiaret, non solum iniquus esset, sed „ & desipere videretur. Sane qui Ecclesiam „ non eamdem hodie credit esse, quæ Apo- „ stolorum temporibus exstitit, aut eadem „ auctoritate præditam negat, vel eodem „ spiritu gubernatam, cum *Luthero*, & *Calvi-* „ *no* inter hæreticos censendus est. Num- „ quid enim potestas a Christo Ecclesiæ col- „ lata certis temporum spatiis definita est? „ Numquid se cum Ecclesia usque ad con- „ summationem sæculi futurum non pollici- „ tus est? Numquid hominum mores, qui- „ bus ut diximus, adcommodandæ sunt le- „ ges, variis mutationibus non subjacent? „ Numquid quod hominibus certo modo ad- „ fectis prodest, illis non obest contrario „ modo dispositis? Itaque qui manus Ec- „ clesiæ ligare contenderet, ne medicamen- „ tis contrariis contrarios filiorum suorum „ morbos, novis legibus novos abusus, cu- „ raret, is tanquam Reipublicæ Christianæ „ hostis habendus esset". Quod si Eccle- siæ hæc tribuitur facultas, ut novas inter- dum leges condat, abrogatis pro temporum humanorumque morum conditione veteribus canonibus, an non eadem *Romano* Pontifici insit potestas? laute tamen id, multaque a- dhibita moderatione agendum fateor, atque ita ut ex antiquorum canonum abrogatione,

vel mutatione vitentur scandala, publicumque bonum promoveatur. Illa enim decreta immutanda non esse tradit *Gelasius* (14), *quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas.* " Quæ conditio, inquit *Ballerinius* (15), jure suo naturali ac
„ divino imposita, summos Pontifices non
„ canonibus Conciliorum, seu humano ju-
„ ri, sed naturali ac divino subjectos adstruit.
„ Hac de caussa etsi multa possint *Romani*
„ Pontifices pro summa ipsorum potestate
„ in universam Ecclesiam; si tamen non
„ expediat, animadvertenda erunt illa Apo-
„ stoli (16): *Omnia mihi licent, sed non om-*
„ *nia expediunt*; ex quibus S. *Bernardus* ser-
„ monem faciens de quibusdam privilegiis,
„ quæ non omnino, nec universim expedire
„ judicabat, non dubitavit modeste scribere
„ ad laudatum *Eugenium* Papam (17): *sic fa-*
„ *ctitando probatis vos habere plenitudinem po-*
„ *testatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc*
„ *quia potestis; sed utrum & debeatis quæ-*
„ *stio est.* Qui potestatem non negat, sed
„ adesse profitetur; & solum ejus exercitium
„ & usum contineri vult intra justitiæ li-
„ mites, ne ad id excedat, quod non ex-
„ pedit; eamdem non canonum juri subesse
cen-

(14) *in decret. ad Episcop. per* Lucaniam & Brutios *ac* Siciliam *constitutos. cap. 9.*
(15) *l. c. pag.* 44.
(16) *Cor. VI.* 16.
(17) *lib. III. de consid. c.* 4.

„ cenſet, ſed naturali atque divino, quod
„ ſupremam quoque poteſtatem Principum
„ non abſimiliter obſtringit. Ita etiam quum
„ S. *Irenæus* in quæſtione de die paſchatis
„ S. *Victorem* Papam removere ſtuduit a fe-
„ renda excommunicationis ſententia con-
„ tra *Aſianos*? ni *Romanam* ac ceterarum
„ Eccleſiarum conſuetudinem amplecteren-
„ tur, non negavit illius poteſtatem, ſed
„ oſtendens, non expedire eos hac de cauſ-
„ ſa ſeparare a corpore Eccleſiæ, uſum tan-
„ tummodo poteſtatis intra eoſdem limites,
„ non humano, ſed naturali divinoque ju-
„ re, cuique ſupremæ etiam poteſtati præ-
„ finitos, coercendum indicavit."

V. Mirum igitur non eſt, *Romanos* Pontifices in capitibus diſciplinæ Conciliorum quoque generalium Canone conſtitutæ diſpenſandi poteſtate præſtare. Ejuſmodi diſpenſationum in unius S. *Leonis* epiſtolis multa proſtant exempla. Inſigne illud eſt in epiſtola ad Epiſcopos *Africanos* provinciæ *Mauritaniæ Cæſarienſis* (18). " Et quia, in-
„ quit Sanctiſſimus Pontifex, *univerſæ viæ*
„ *Domini miſericordia & veritas*, cogimur
„ ſecundum Sedis Apoſtolicæ pietatem ita
„ noſtram temperare ſententiam, ut truti-
„ nato pondere delictorum, quorum utique
„ non una menſura eſt, quædam credamus
„ utcumque toleranda, quædam vero peni-

(18) *Ep. XII. Ball. edit. col. 664.*

„ tus amputanda. Eos enim, qui vel ſe-
„ cundas nuptias iniverunt, vel viduarum
„ ſe conjugio ſociarunt, nec apoſtolica, nec
„ legalis auctoritas Sacerdotium obtinere
„ permittit; & multo magis illum, ſi fue-
„ rit in veſtro judicio confutatus, qui, ſi-
„ cut ad nos relatum eſt, duarum ſimul &
„ maritus uxorum, vel illum qui ab uxo-
„ re dimiſſus alteram duxiſſe perhibetur.
„ Ceteros vero quorum provectio hoc tan-
„ tum reprehenſionis incurrit, quod ex lai-
„ cis ad officium epiſcopale delecti ſunt,
„ neque ex hoc, quod uxores habent, poſ-
„ ſunt eſſe culpabiles, ſuſceptum Sacerdo-
„ tium tenere permittimus, non præjudican-
„ tes Apoſtolicæ Sedis ſtatutis, nec beato-
„ rum Patrum regulas reſolventes, quibus
„ ſalubriter conſtitutum eſt, ne primum
„ aut ſecundum, aut tertium in Eccleſia
„ gradum quiſquam laicorum quibuslibet
„ ſuffragiis ſuffultus adſcendat, priuſquam
„ ad hoc meritum per legitima augmenta
„ perveniat. Quod enim nunc utcumque
„ patimur eſſe veniale, inultum poſtmodum
„ eſſe non poterit, ſi quiſquam id, quod
„ omnino interdicimus, uſurparit: quia re-
„ miſſio peccati non dat licentiam delin-
„ quendi, neque quod potuit aliqua ratio-
„ ne concedi, fas erit amplius impune com-
„ mitti". Cum *Andrea* quoque & *Eufrata* diſpenſavit S. *Leo*, ut ad Presbyteratum ab

Ana-

Anatolio promoverentur. Sic enim ad eumdem *Anatolium* ſcribit (19): " *Andream* ſane, qui rationabiliter Archidiaconi eſt privatus officio, & *Eufratam*, qui ſanctæ memoriæ *Flaviani*, ut comperi, improbus exſtitit accuſator, ſi profeſſionibus pleniſſime ſcriptis non minus *eutichianam* hæreſim, quam *neſtorianum* execrabile dogma condemnant, quoniam venia eſt præſtanda correctis, Presbyteros conſecrabis: ut ſibi remedium catholicæ fidei ſentiant profuiſſe". Sed illud multo luculentius, quo *Maximum Antiochenum*, quem illegitima ordinatio ab Epiſcopatu repellebat, diſpenſatione uſus Epiſcopum recepit. Hanc enim *Leonis* diſpenſationem ab œcumenica *Chalcedonenſi* Synodo agnitam probatamque demonſtrat *Actio de domno Antiocheno*. Quum enim Vicarii Sedis Apoſtolicæ in ea *Chalcedonenſis* Synodi actione dixiſſent: *Sanctus & beatiſſimus Papa* (Leo), *qui Epiſcopatum Sancti ac Venerabilis* Maximi *Epiſcopi* Antiochenæ *Eccleſiæ confirmavit, juſto ſatis judicio ejus meritum adprobaſſe videtur*, Synodus illum inter Patres ſuſcepit (20), ut merito concludendum ſit *Queſnelli* verbis: *Jam præclariſſimum*

(19) *Ep. CXXXV. col.* 1278.

(20) Actionem quidem illam in dubium revocare ſtuduit *Queſnellus* [in S. Leon. diſſ. IX.] Sed eam *Ballerinii* adſtipulantibus *Tillemontio* aliiſque doctiſſimis Criticis ſtrenue vindicarunt (in obſervationibus ad eam Queſnelli diſſertationem).

mum antiquissimumque præ manibus habemus (*haberemus* ajebat *Quesnellus*) *testimonium summæ auctoritatis Pontificis* Romani *tum in Synodos*, *tum in Orientales Episcopos*, *majorum*, *inquam*, *ac primariarum Sedium*. Non negat equidem *Febronius* hanc *Romanis* Pontificibus potestatem, sed cuidam æquitati, & Ecclesiæ ipsius indulgentiæ tribuit. *Insuper*, inquit (21), *æquum est & patitur universalis Ecclesia*, *ut* Romanus *Pontifex tamquam caput in legibus*, *a Conciliis etiam generalibus*, *latis sapienter dispenset*, *eo scilicet casu quo ipsummet Concilium dispensaturum esset*. Qua in re egregie fallitur. Qui enim sui vi primatus Conciliis ipsis generalibus superior est, non aliena & quasi precaria, sed sua auctoritate in eorum canonibus dispensat. " Summis præterea Pontificibus, ,, ut bene advertit *Ballerinius* (22) facultas ,, dispensandi in generalium Synodorum Canonibus ab iisdem Synodis concessa, & ,, quodammodo delegata probari nullo ipsorum Conciliorum testimonio poterit. Immo quum *Tridentina* Synodus (23) declaratum voluit, ea, quæ statuit, *ita decreta fuisse*, *ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit*, *& esse intelligatur* ,, (24),

(21) T. I. *cap. II.* §. 4. *n.* 7. *pag.* 107.
[22] *de potest. Eccles. pag.* 43.
[23] *Sess. XXV. c.* 21.

„ (24), hæ formulæ, Apoſtolicæ auctorita-
„ tis præſervativæ, auctoritatem eidem pro-
„ prio jure competentem, non autem ab
„ ipſa Synodo conceſſam ſeu delegatam ſi-
„ gnificant". Iraſcitur. *Febronius* (25) *Iſidoro*, qui " in iis etiam negociis, quæ di-
„ recte ad Sedem Romanam referre non
„ potuit, ut tamen huic apertas liberaſque
„ manus ſervaret, addidit familiarem ſibi
„ clauſulam: *Salvo in omnibus* Romanæ *Ec-*
„ *cleſiæ privilegio; vel ſalva in omnibus Apo-*
„ *ſtolica auctoritate*". Nec certe *Iſidoro* um-
„ quam venit in mentem, Concilia his verbis facultatem *Romanis* Pontificibus conceſſiſſe, qua alias caruiſſent. An aliud *Tridentina* Synodus earumdem formularum uſu cogitare potuit (*Poteſtas enim*, inquit *Ballerinius* (26), SALVA *dici nequit illa, quæ cuiquam tribuitur, ſed quæ eidem aliunde competere præſumitur*.

VI. Quod vero dictum fuit, in abrogandis, mutandiſve antiquis canonibus caute, ac nonniſi ex cauſſa neceſſitatis, publicæve utilitatis *Romanis* eſſe Pontificibus agendum, idem quod ad eorumdem Canonum diſpenſationes adtinet, ſtatui neceſſe eſt. Egregie admodum explicat ſummi Pontificis in tem-

[24] Huc referuntur illa etiam ſeſſionis VII. in proemio decretorum de Reform. *Salva ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate.*

[25] T. I. cap. III. §. 9. n. 9. pag. 205.

(26) l. c. pag. 44.

perandis canonibus auctoritatem *Gelasius* I. in ea epistola, quæ est ad Episcopos per *Lucaniam*, & *Brutios*, & *Siciliam* constitutos (27). " necessaria rerum dispensatione con-
" stringimur, & Apostolicæ Sedis modera-
" mine convenimur, sic Canonum paterno-
" rum decreta librare, & retro Præsulum,
" Decessorumque nostrorum præcepta meti-
" ri, ut quæ præsentium necessitas tempo-
" rum restaurandis Ecclesiis relaxanda depo-
" scit, adhibita consideratione diligenti,
" quantum potest fieri, temperemus, quo
" nec in totum formam veterem videamur
" excedere regularum, & reparandis militiæ
" clericalis officiis consulamus ". Et mox (28): " priscis igitur pro sui reverentia
" manentibus constitutis, quæ, ubi nulla
" vel rerum, vel temporum perurget angu-
" stia, regulariter convenit custodiri, eate-
" nus Ecclesiis, quæ vel cunctis sunt pri-
" vatæ ministris, vel sufficientibus usque
" adeo dispoliatæ servitiis, ut plebibus ad
" se pertinentibus divina munera supplere
" non valeant, tam instituendi quam pro-
" movendi Clericalis obsequii sic spatia di-
" spensanda concedimus, ut si quis &c. "
Concinit *Gelasio Symmacus* Papa (29): " quia
" quod fit præter regulam, modo sit EX
" JU-

(27) *Cap. I.*
[28] *Cap. 2.*
[29] *in epist. ad* Avitum.

„ Justa caussa non infringit regulam „ (*canonum regulam intelligit*) quam ſola „ pervicacia & antiquitatis contemptus læ„ dit. Nam quamvis a Patribus ſtatuta di„ ligenti obſervatione, & obſervanti dili„ gentia ſunt cuſtodienda; nihilominus pro„ pter aliquod bonum de rigore legis ali„ quid relaxatur; quod & ipſa lex caviſſet, „ ſi prævidiſſet : & ſæpe crudele eſſet inſi„ ſtere legi quum obſervantia ejus eſſe præ„ judiciabilis Eccleſiæ videtur; quoniam le„ ges ea intentione latæ ſunt, ut proficiant, „ non ut noceant : " Quod tamen hæ diſ„ penſationes non paſſim nec temere, nec „ ſine juſta cauſſa a Pontificibus conceſſæ, „ aut condendæ ſint, id non ex eo pendet „ (recte monet *Ballerinius*) quod canones „ Conciliorum, in quibus eſt diſpenſandum „ jus coactivum in ipſos Pontifices habeant; „ ſed ne diſpenſantes ſine juſta cauſſa, po„ teſtate in ædificationem Eccleſiæ a Deo „ collata utantur, aut potius abutantur in „ deſtructionem: quod in divinam ac natu„ ralem legem pugnaret " . Huc pertinent illa S. *Bernardi* ad *Eugenium* Papam (30): *Non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas pro-*

(30) *lib. III. de conſid. cap. IV. n.* 18.

provocat, *dispensatio laudabilis est*; *utilitas* dico, *communis*, *non propria*. *Nam quum nihil horum est*, *non plane fidelis dispensatio*, *sed crudelis dissipatio est*. Urgeamus *Febronium* Episcoporum exemplo. Nemo certe inficiabitur, posse illos in Synodalibus suæ Ecclesiæ legibus dispensare; ad id tamen justam omnes caussam postulant, nec erit, qui a culpa Episcopum sine legitima caussa in iis dispensantem absolvat. Num propterea diœcesanæ Synodi leges jure Episcopum cogente pollere dicemus? Minime vero. Episcopus enim diœcesana Synodo superior est. Ratio igitur, cur justa absque caussa in ejusmodi legibus dispensare nequeat, ex alio fonte petenda, quam ex jure cogente, quod leges illæ in Episcopos habeant, ex naturali scilicet & divino jure, quo quisque legislator ac præsertim Ecclesiasticus potestate sua ædificationem uti debet, non in destructionem, quemadmodum diximus (31).

VII.

(31) Imprudens fortasse *Febronio* videbor, qui Episcopales dispensationes commemorarim. Ait enim (*T. II. pag.* 431.) *disciplinam dispensationum* Romanæ (Pontificiam intelligit) *Monarchiæ inimicam esse*. Cur quæso? Nam in *Monarchiis*, inquit, *solus Princeps dispensat in lege communi*, *aut si alii id faciant*, *hoc illi nonnisi supremi Principis auctoritate præstant*. *Non sic in Ecclesia Christi*, *in qua quilibet Episcopus*, *quoties id postulat necessitas*, *aut major utilitas*, *in lege Ecclesiæ dispensat pro sua diœcesi*. Gravius aliquid metuebam: si unum hoc est, unde *Romana* Monarchia *concutiatur*, salva res est. Quum enim Episcopi suam omnem auctoritatem a *Romano* Pontifice

VII. Liceat jam cum *Febronio* expostulare, quod inanibus, falsisque criminationibus *Roma-*

tifice immediate adcipiant, ut dissertatione altera comprobavimus, dispensandi quoque potestatem a summo Pontifice mutuentur, necesse est. Non equidem hanc ab illo habent, ut ejus nomine veluti ipsius Vicarii illam utantur; hoc enim Monarchiæ esset nulla Aristocratia temperatæ; ita tamen habent, ut *Romano* Pontifici subsit, ab eoque postulante Ecclesiæ utilitate, ac multo magis necessitate certis cohiberi finibus, immo & auferri possit. Si enim Provincialia quoque Concilia in ejusmodi capitibus potuerunt Episcoporum jura moderari, an non multo magis id possit, qui ut ajebat *Gerson* [*de statib. Ecclesiast. consid. III.*] habet *plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis?* Ceterum id ego nollem generatim a *Febronio* dictum, *quemlibet Episcopum* QUOTIES id *postulat necessitas aut major utilitas, in lege Ecclesiæ dispensare pro sua diœcesi*. Possunt nempe Episcopi vel ex *Romani* Pontificis auctoritate, vel ex Juris privilegio, vel ex επιειχεια in generalium quoque Conciliorum Canonibus dispensare; sed ubi nec præsto est Pontificis auctoritas, nec casus adcidunt jure expressi, nec locus est interpretationi, quomodo in Provincialium, aut œcumenicarum Synodorum legibus dispensabunt? quomodo in Pontificum constitutionibus? Ridiculum enim est exemplo *Romanorum* Pontificum, qui apud *Gallos* in decretis generalium Conciliorum dispensant, licet iisdem decretis subesse Pontifices iidem *Galli* existiment, velle, uti *Febronius* contendit [*T. I. cap. V.* §. 5. *n.* 3. *pag.* 320.] Episcopis inferioribus in superiorum Synodorum Pontificumque sanctionibus dispensandi facultatem adserere. Debuisset primum *Febronius* agnoscere, quam *Gallorum* illa de suprema Conciliorum in summos Pontifices auctoritate sententia nutet, ut quæ invicem pugnantia adserat, Pontifices nempe Conciliis generalibus subesse, & tamen illos posse in ejusmodi Conciliorum Canonibus, inferiorem nempe in superioris legibus dispensare. Deinde *Galli* ad jus primatus hanc dispensandi facultatem referunt. *Non agimus*, inquit de *Marca* [de Conc. L. III. cap. VII. n. 2.] *cum Sede Apostolica, quasi cum potestate quadam certis regulis ita devincta, ut eas nullo casu egredi possit,*

Romanos Pontifiees ejuſque defenſores in odium, invidiamque vocare ſtuduerit. Summo ille Pontifices exhibet veluti qui ſe *dominos Canonum* prædicent (32). Nam id eo quidem ſenſu ferri poteſt, quo nonnulli id nominis uſurparunt, ad deſignandam ſcilicet ſupremam in Canones poteſtatem, non autem *Febroniano*, quaſi aut *Romani* Pontifices pro arbitrio, & ulla abſque cauſſa Canones convellere ſe poſſe jactarent, aut *Curialiſtæ* pro

poſſit, quum ſciamus, canonum diſpenſationem, cujus eſt in politia eccleſiaſtica frequentiſſimus uſus, Summo Pontifici præcipue concreditam: ac ne fortaſſe *Febronius* ab Eccleſia *concreditam dicat*, audiat ſuos *Baſileenſes* in reſponſione Synodali [T. *XII. Concil. Labb. edit.* p. 705.] : *Per Concilium autem*, inquiunt, *ſtatuta in nullo derogant ſuæ* [Pontificis] *poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſſiſque & perſonis, utilitate vel neceſſitate ſuadente moderari diſpenſareque poſſe, atque uti* SUMMI PRINCIPIS επιειχεια QUÆ AB EO AUFERRI NEQUIT, utique quia divini juris eſt. Numquid vero ſingulis Epiſcopis *Febronius* tribuere audebit *ſummi Principis* επιειχειαν, *quæ ab iis nequeat auferri*; Quodnam inveniet Concilium quod quæ *Baſileenſes* de *Romano* Pontifice fateri coacti ſunt Epiſcopis adſerat? Deleat igitur ex priore ſuo volumine inconſultam illam, temerariamque ſententiam [*l. c.*] *hanc etiam* (diſpenſandi poteſtatem quivis Epiſcopus) *exercet reſpectu Canonum ab univerſali Eccleſia adceptorum, tamquam a Spiritu Sancto poſitus, ut in ſua diœceſi regat Eccleſiam Dei*; exercet ſcilicet, ſed non *ſummi Principis* jure neque in ſuarum facultatum uſu a *Romani* Pontificis, Conciliorumque generalium auctoritate omnino immunis. Quare poteſtatem diſpenſandi exercere ſolummodo in iis poteſt, in quibus per *Romanos* Pontifices, ac Concilia ſibi licet & univerſe, *quoties* id *poſtulat neceſſitas, aut major utilitas*, ſuæque Eccleſiæ regimen.

(32) *T. II. pag.* 155.

Romani *aut alii*, ut ipſe contumelioſe ait (33), *ſpiritu dominationis & independentiæ a S. Matre Eccleſia aut cupiditate ducti, Papæ perſuaderent, ut ſe Canonibus ſeu regulis Eccleſiæ ſuperiorem gerat, ſive in diſpenſando ſine cauſſa, ſive in exercitio auctoritatis incompetentis*. Appellet Pontificem, Theologum appellet *Febronius*, qui aliter quam nos ſupra loquuti ſumus de *Romani* Pontificis in Canones auctoritate diſſeruerit. Unum audiat qui multos indicat, & inter *Romanos* Theologos *Eximius* a *Paullo* V. appellatus fuit, *Franciſcum*, inquam, *Suarium* (34). " dicendum „ ergo eſt, legislatorem, etiamſi Princeps „ ſupremus, vel ſummus Pontifex ſit, non „ poſſe licite diſpenſare in lege ſua ſine „ cauſſa juſta, vel proportionata legi, in „ qua diſpenſat. Eſt communis Theologo- „ rum, tenet D. Thom. *l.* 2. *q.* 97. *art.* „ 5. Cajet. *q.* 59. *art.* 4. & alii expoſito- „ res ibi, & Soto *lib.* 1. *de juſt. q.* 7. *art.* „ 3. Ex juris autem peritis idem declarant „ Hoſtiens in *ſumm. tit. de filiis Presbyt.* in „ in fine verb. *non omitto*. Panormit. *in cap.* „ quæ in Eccleſiarum, *de conſtit. num.* 17. „ & *Cap.* extirpandæ, §. qui vero, *de præbend. in repet. num.* 44. & *in cap.* per „ venerabilem, *qui fil. ſint legit. num.* 4. „ ubi ita exponit ſententiam *Innoc.* ſupra „ alle-

(33) *T. II. pag.* 222.
(34) *De legib. lib. VI. cap. XVIII.*

„ allegatam, & dicta Doctorum, qui illum
„ sequuntur. Idem ex professo *Turrecrem.*
„ sententiam D. *Thomæ* ad litteram sequens
„ *in cap.* consequens, *dist.* 11. Rebuff. *in*
„ *concordat. tit.* forma mandati, *verb.* dispen,
„ sationes, & in Praxi *tit. de dispensat.*,
„ *in plural. benef. num.* 55. ubi *num.* 56.
„ dicit, hanc esse communem sententiam
„ Theologorum, & fere omnium juris ca-
„ nonici interpretum, & idem tenet Navarr.
„ *in cap.* si quando, *de rescript. except.* 8.
„ *num.* 13. & alii communiter". Inter cetera porro argumenta, quibus *Suarius* hanc adsertionem probat, hanc præcipuam vocat. Nam " Princeps etiamsi sit auctor legum,
„ non est dominus (ut sic dicam) sed di-
„ spensator illarum, ergo etiam quando in
„ illis dispensat, se gerere debet, ut fidelis
„ dispensator, & prudens, & non ut abso-
„ lutus dominus. At si absque caussa unum,
„ vel alium liberet ab obligatione legis,
„ nec prudenter, nec fideliter dispensat, er-
„ go abutitur suo munere, & peccat". Principis autem nomine ipsum quoque *Romanum* Pontificem heic denotat; ait enim:
„ Primum antecedens probatur, quia Pon-
„ tifex, vel etiam Rex non est absolutus
„ dominus communitatis sibi subditæ, sed
„ pastor & rector, & ideo non potest le-
„ ges ponere in suam privatam utilitatem,
„ sed pro communi civium utilitate". Ad-

do-

do & recentem Scriptorem, cujus opus *de Romani Pontificis judiciaria potestate* Romæ impressum prodiit a. 1717. ex typographio S. C. *de propaganda fide*. Is est *Franciscus Antonius de Simeonibus*. Ait ergo (35). „ Digladiantur inter se Theologi Canoni- „ stæque, & voluminibus certant, num sum- „ mus Pontifex Dominus sit Canonum? & „ tamen non minus illi, qui negant, quam „ qui adfirmant, re convenientes, vocabu- „ lis differunt: nam ii, qui *Romanum* Pon- „ tificem dominari Canonibus adserunt, ne- „ quaquam existimant, eum sine caussa le- „ ges abrogare, ac de illis aliquid remitte- „ re posse. Quod quum concedunt ii, qui „ voce illa non utuntur, nescio unde fiat, „ ut minime cognoscant, utrorumque unam, „ eamdemque esse sententiam ". Quid ergo cum *Benedicto Oberhauser* nobis objicit (36): „ non potest ergo non recentioris ævi esse, „ quod QUIDAM *dicunt*, SEMPER Romano „ *Pontifici* NOVIS *leges condere licuisse*. Causs. „ XXV. Quæst. I. Can. *6*. sane hæc sen- „ tentia ævum *Urbani* II. vix præcesserit. „ Id quod Dictatus *Gregorii* VII. (vel cu- „ jus alrerius sit auctoris) *ad articulum ne- cessitatis* "? quasi ullus *Romanarum* partium adeo Pontificiam potestatem extulerit, ut absque necessitate posse illum *novas* leges con-

(35) *Cap. VIII. §. I. pag. 226.*
(36) *T. II. pag. 415.*

condere, antiquis contemptis, ac conculcatis somniarit. Quid cum *Launojo* (37) garrit (38), *Pontificem in sacros Canones non peccaturum, ut eum peccare posse dicunt Theologi, si Concilio Canonum auctori non subiiceretur, si Concilii Canonibus non teneretur?* quasi ut peccare Pontifex possit, non sufficiat divina ac naturalis lex, quam Canones absque legitima caussa temperando, immutando, pessumando violaret, sed ipsa cogens Canonum vis postuletur. Quid *Didacum Payvam* adfert (39) dicentem, *constantem esse Theologorum sententiam, nefarium a* Romanis *Pontificibus scelus admitti, si Ecclesiasticarum legum severitatem dispensationum temeritate relaxent, & levitate magis, quam necessitate ad dispensandum inducantur*; quasi Theologi a *Payva* indicati non nisi *Gersoniani* essent, ac *Richeriani* Theologi, nostri vero *Romanæ* Curiæ defensores *suburrani* scilicet Ludiones, scholæque Theologicæ fæces, atque quisquiliæ in alia omnia abirent. Docti & acres, ingenuique Lectores statim animadvertent, hæc eo solum spectare, ut *Romani* Pontifices Christiani orbis odio ac ludibrio exponantur, ac Protestantes in suis adversus eum præjudicatis erroribus confirmentur. O egregium pacis nos inter & Protestantes conciliatorem *Febronium*!

CA-

(37) *Lib.* III. *epist.* 3. *n.* 82.
(38) T. II. *pag.* 222.
(39) *ibid.*

CAPUT III.

Convellitur Febronii *axioma, omnem legum Pontificiarum immo & Conciliarium vim ab Ecclesiæ consensione proficisci. Nonnulla adduntur de* Romana *legum Ecclesiasticarum promulgatione.*

I. NIhil non molitur *Febronius*, ut Pontificiis Constitutionibus legis vim & dignitatem adimat. Quamobrem eas cum Imperatoriis legibus comparans: " Quum, inquit (1), Princeps legem dictat, non est
" jus subditis cum auctoritate examinandi,
" an ea æqua sit & utilis, eamdemque pro
" renata reijciendi; hoc autem possunt &
" debent facere Episcopi circa Constitutio-
" nes a *Romano* Pontifice universali Eccle-
" siæ propositas ". Alibi etiam disertius ait (2): " in Monarchicis quidem ditionibus
" Principes, penes quos suprema auctoritas
" est, id juris obtinent, ut leges edicant,
" & exequutioni mandatas velint, non re-
" quisito aut exspectato subditorum consen-
" su. At non eadem est Ecclesiasticarum
" legum ratio, quas ferunt *Romani* Pontifi-
" ces, etenim hæ vigorem & exequutionem
" tum solum habere possunt, quum libere

[1] T. II. *pag.* 60.
[2] *ibid. pag.* 418.

„ ab Episcopis receptæ adprobatæque sunt “. Hocce paradoxum in utroque *Antifebronii* volumine refutavimus (3). Quoniam tamen illud *Febronius* iterat; rursus refellere non gravabor. Videtur ergo *Febronius*, in ea esse sententia, quam etiam cl. P. *Zallwein* propugnavit (4), Episcoporum necessariam esse adceptionem, ut Pontificiæ leges vi polleant obligandi; Episcoporum, inquam, non subditorum; his enim, inquit doctus ille Canonista *Benedictinus*, si libertatem relinquamus leges adceptandi, vel non adceptandi, sæpe illudent imperantibus, & saluberrimas leges elident. Verum enimvero licet Episcopi Ecclesiæ Principes sint, gregisque Pastores, si cum suarum diœcesium populis comparentur, cum *Romano* tamen Pontifice, cui obedientiam præstito sacramento obligarunt, collati an non subditi sint, ovesque gregis universi, quem Christus *Petri* curæ concredidit? Si igitur subditis negatur ea legum adcipiendarum facultas, ut nisi ii adsentiantur, nulla sit earumdem vis, quei ad *Romani* Pontificis leges vi cogente donandas necessaria Episcoporum adceptio prædicatur? *Omnis anima potestatibus* SUBLIMIORIBUS *subdita sit*, *ajebat Paullus* (5). Sublimis sit Episcopi in

(3) T. *I. diss. II. cap.* IX. *&* T. *II. lib.* II. *cap.* 3. *a num.* 4.
[4] T. *I.* Princip. *Jur. Eccles. pag.* 393.
[5] *Rom.* XIII. 1.

in ſuam Eccleſiam poteſtas; *ſublimior* tamen *Romani* Pontificis in Epiſcopum poteſtas eſt, atque adeo illi ſubdita. Neque vero uſquam invenias, a Chriſto vim ligandi fuiſſe *Petro* ejuſque ſucceſſoribus traditam ea conditione, ut Epiſcopi adſentirentur. *Petro* privilegium Chriſtus dedit confirmandorum Fratrum; at ubi Primatum ei promittens: *quodcumque*, inquit, *ligaveritis ſuper terram &c.* non addidit, ſi *tamen Fratres conſentiant*? At recte quidem; alias *Petrus*, illiuſque ſucceſſores non ligarent ipſi per ſe, niſi ſi eorum ſubditi ſuo legem conſenſu ſuſcipientes ligari ſe ſinerent; quod eſſet vim legum & poteſtatem *Petro*, ac ſummis Pontificibus adimere, atque in ſubditorum adceptionem & conſenſum transferre, ſeu potius de medio tollere. Nam *præceptum*, uti S. *Auguſtinus* ſcripſit (6), *non eſt ab illo, cui præcipitur, ſed ab illo qui præcipit*. Hinc *Gallicani* Epiſcopi in eo, quem illorum nomine S. *Cæſarius Arelatenſis* a. DII. *Symmacho* obtulit, libello ajebant: *Sicut a perſona beati* Petri *Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium, ita neceſſe eſt, ut diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis quid obſervare debeant, evidenter oſtendat*. Quæ iſthæc quæſo neceſſitas, ſi *competentes diſciplinas*, quas Pontifex *evidenter oſtenderet*, Epiſcopi negato illis adſenſu irritas efficere potuiſſent? An non lu-

 dicre,

(6) *lib.* III. *de lib. arb. c.* 24.

dicre, & irrisorie, & irreverenter dictum id fuisset a *Gallicanis* Præsulibus, si hoc demum voluissent? Apage a *Galliarum* Episcopis tantam criminationem. Sentiebant illi jam tum sexto sæculo, quod XII. *Carnotensis Ivo* professus est (7): *hujus* (Apostolicæ Sedis) *judiciis & constitutionibus obviare plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

II. Ipsa quoque, quam *Romani* Pontifices in legibus suis edendis servarunt, ratio id ostendit atque confirmat. *Siricius* enim vero, quum a. 385. quædam ad *Himerium* decreta mitteret, eidem Episcopo præcepit, ut quæ ad ejus rescripserat *consulta*, *in omnium coepiscoporum perferri faceret notionem*. Sed cur? *quatenus*, inquit S. Pontifex [8], *& quæ a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia cautela & deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus inposterum excusationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obstruatur*. Graviora sunt, quibus *Zosimus* suas de Monacorum, laicorumque Sacerdotali ordinatione leges *Hesychio Salonitano* commendat (9): " Quæ, inquit, in „ omnium fratrum & coepiscoporum nostro„ rum facies ire notitiam, non tantum eo„ rum, qui in ea provincia sunt, sed etiam „ qui vicinis dilectioni tuæ provinciis ad„ jun-

(8) T. I. *epist.* R. P. *Coust. col.* 638.
(9) *ibid. col.* 970.

„ junguntur. Sciet quisquis hac postposita „ Patrum & Apostolicæ Sedis auctoritate ne„ glexerit, a nobis districtius vindicandum; „ ut loci sui minime dubitet sibi non con„ stare rationem, si hoc putat, post tot pro„ hibitiones, impune tentari. " Sic etiam S. *Leo* M. quum *Nicetæ Aquileensi* Episcopo quædam decreta perscripsisset, eum monuit (10): *hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres & comprovinciales tuos Episcopos facies pervenire, ut in omnium observantia data prosit auctoritas. Gelasius* quoque in epistola ad Episcopos *Piceni* (11) eos admonebat: *nec excusationis decreto relinquetur occasio, si post præcepta, quæ per* Romulum *diaconum duximus destinanda, quisquis super his omnibus aut contemptor, aut negligens comprehendatur Antistes*. Equidem si Pontifices isti licuisse Episcopis existimassent, quas ad eos mittebant, leges non adcipere, numquam eas tanta gravitate ac cura jussissent ad alios quoque Episcopos perferri, non solum *ut in omnium observantia data prodesset auctoritas*, sed etiam *ut omnibus impostorum excusationibus aditus obstrueretur*; multo minus indixissent, *nullam excusationis de cetero relictum iri occasionem, nec impune tentandum, quod postposita Apostolicæ Sedis auctoritate* deinceps a quoquam

(10) Ep. CLIX. Ball. *edit. col.* 1335.
(11) T. II. *Conc. Hard. col.* 892.

peccaretur. Idem esto de Magno *Gregorio* judicium. Audi quid ad *Rhegiensem* Episcopum *Bonifacium* scripserit (12): *nec illam definitionem nostram cujusquam sinas contumacia, aut temeritate corrumpi, quatenus dum prædicta omnia* PER TE *fuerint* CONSERVATA DISTRICTISSIME; NE *admonitionis nostræ, sicut & credimus* TRANSGRESSOR *existas, nec in quolibet reum te remissionis adcuset pastoralis tibi commissus ordo regiminis*. His similia sunt, quibus aliam ad *Januarium Calaritanum* epistolam claudit: *Fraternitas igitur tua ita in cunctis prædictis capitulis* (disciplinæ) *se solerter impendat, ut nec nostræ admonitionis seriem* INVENIATUR FUISSE TRANSGRESSA, *nec divini rea judicii de minori zelo pastoralis existat officii*: Hæccine fuissent ad eos a *Gregorio* scripta, qui missas ad se leges reiicere potuissent?

III. Equidem scio Auctores non paucos esse eosque magni nominis, qui Ecclesiasticas leges non obligare, nisi adcipiantur, contendant (13). Illi autem a *Febronii* sententia multum distant. Id enim ii non potestatis defectui quemadmodum *Febronius* tribuunt, sed voluntatis. Sumunt enim in *Romano* Pontifice generalem quamdam voluntatem, ut leges a se latæ vim non habeant in Provinciis, nisi recipiantur. Neque id tamen

(13) Plures in *Antifebronio* indicavi (*T.* I. *pag.* 195.)

tamen si generatim dicatur, a me umquam probabitur. Quid enim? An in *Siricio*, in *Zosimo*, in *Leone*, in *Gelasio*, in *Gregorio* M. quorum verba nuper adtulimus sumi hæc voluntas aliqua veri specie posset? Jubent illi, suas ubique leges promulgari, excusationibus aditum intercludunt, transgressoribus etiam si Episcopi essent, pœnas easque graves minantur: & in his voluntatem sumemus, ne vis suis legibus inesset, nisi reciperentur? Aliud exemplum ex *Felicis* III. decretali epistola promamus. Omnibus in ea Episcopis præscripsit *Felix* a. 498. quid de illis agendum esset, qui iterum baptizati ad Catholicam Ecclesiam reverterentur; addit demum (14). *His itaque rite dispositis*, & *ad Ecclesiarum vestrarum notitiam nostra deliberatione perlatis* PARERE VOS CONVENIT: *quibus licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui novi aliquid & quod præterire nos potuit, fuerit revelatum. . . . fidenter insinuet. . . . nec nos pigebit audire, &* SI QUÆ SUNT OMISSA, *non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare*. Viden? Facultatem Episcopis concedit Felix *ut si quæ omissa ab ipso* fuissent, ipsi *insinuarent*; at quæ sancita erant, servari omnino jubet: PARERE VOS CONVENIT. Illud etiam animadvertendum, in horum Auctorum hypothesi, neminem peccaturum quod Pontificis leges non

(14) T. II. *Conc. Hard. col.* 834.

adciperet. Atqui id procul eſt a S. *Gregorii* M. ſententia. Nam tum ab *Ivone* (15) tum a *Gratiano* (16) hæc ex S. Pontificis ad *Auguſtinum Anglorum* Epiſcopum Litteris recitantur: *de ipſa vero die Dominica* (Dominicos dies intellige , qui in Quadrageſima occurrunt), *hæſitamus quidnam dicendum ſit*; *quum omnes laici* , *&* *ſæculares illa die plus ſolito ceteris diebus accuratius cibos carnium appetant* : *&* *niſi nova quadam aviditate uſque ad medias noctes ſe ingurgitant* , *non aliter ſe hujus ſacri temporis obſervationem* , *ſuſcipere putant* : *quod utique non rationi* , *ſed voluptati* , *immo cuidam mentis coecitati adſcribendum eſt*; *unde nec a tali conſuetudine averti poſſunt* (quemadmodum ex ipſo *Auguſtino*, cui reſcribit, Sanctiſſimus Pontifex adceperat) *Et ideo* (animadverte Lector *Gregorii* ſententiam) *cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt*, *ne* FORTE PEJORES EXISTANT , *ſi a tali conſuetudine probibeantur*. Sumebat igitur *Gregorius Anglos* ita ſuæ illius conſuetudinis tenaces futuros, ut ſi eam auferre juſſi ab ipſo fuiſſent, nequaquam obtemperaſſent. Quid porro ex impoſitæ legis neglecta conſequutum fuiſſet, docet idem *Gregorius* PEJORES illos *extituros*. At quei hoc? niſi quod fontis conſuetudinis peccato aliud addidiſſent violatæ Pontificiæ legis. Sentiebat igitur *Gregorius* ubi illam *Anglo-*

(15) *p. IV. Decr. cap.* 29.
(16) C. denique *diſt. IV.*

glorum consuetudinem damnasset, non potuisse *Anglos* in ipso sumere voluntatem, qua ejus lege, nisi adsentirentur, non teneri existimarent. Neque enim ea lege neglecta *pejores extitissent*, novoque se crimine adligassent, si hac Pontificis voluntate jure sumpta invisa legi obedire abnuissent. Peccant igitur ex *Gregorii* sententia, qui *Romani* Pontificis leges non recipiunt, nec sumptæ Pontificiæ indulgentiæ obtentu excusantur.

IV. Atque hæc quidem de Pontificiis generatim legibus velim intelligi. Nam quibusdam in casibus non injuria sumere possumus *Romanos* Pontifices nolle omnibus latam legem imponere. Eos hisce verbis exprimit *Bonifacius* VIII. in celebri Constitutione (17) *Licet* Romanus *Pontifex* ... *Constitutionem condendo posteriorem, priorem quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta* (quum sint facti & in facto consistant) *potest probabiliter ignorare*, ipsis, *dum tamen sint rationabilia*, *per constitutionem a se editam* (nisi expresse caveatur in ipsa) *non intelligitur in aliquo derogare*. Quod si dubium aliquod exoriatur æqua ne sit patria consuetudo, aut jure timeatur, ne quæ generatim lex fertur, aliqua in provincia obsit potius, quam prosit (id quod legislatori compertum non erat; quum ipse pecu-

liares

[17] *Cap.* Licet *in 6.*

liares omnium locorum res atque rationes habere perſpectas nequeat); " in his rerum
„ circumſtantiis , inquit *Benedictus* X I V.
„ (18), Epiſcopus intelligens, Apoſtolicæ
„ Sedis legem in diœceſi ſua noxium aliquem
„ effectum producere poſſe, non modo ſuas
„ *Romano* Pontifici rationes repræſentare non
„ prohibetur, quin potius ad id omnino te-
„ netur: ut copioſe differit Suarez *lib.* 4.
„ *de legibus cap.* 16. *num.* 7. & optime ad
„ rem proſequitur Layman *notab.* 1. *in Cap.*
„ ſi quando, *de reſcriptis*. Neque *Romani*
„ Pontifices umquam renuerunt inferiorum
„ rationibus aurem præbere; & quoties has
„ ſatis validas eſſe agnoverunt, minime re-
„ cuſarunt aliquas provincias aut diæceſes a
„ generalium Conſtitutionum ſuarum lege,
„ quo ad diſciplinæ genus illud, de quo
„ nunc agimus, eximere: uti laudati Aucto-
„ res proſequuntur. Aliquando etiam legum
„ ipſarum rigorem generaliter moderantes,
„ pœnas adverſus illarum tranſgreſſores mi-
„ nuerunt. Horum exempla in hoc ipſo o-
„ pere noſtro complura ſuppetunt. Sed u-
„ num heic adferre juvat, quod alibi a no-
„ bis relatum non meminimus. *Pius* II.
„ Pont. Max. in Conſtitutione *Cum ex Sa-*
„ *crorum*, decrevit, ut illi, qui ad Sacros
„ ordines extra tempora a Jure ſtatuta, vel
„ abſque litteris dimiſſorialibus, aut ante
„ le-

(18) *De Syn. Diœceſ. lib. IX. cap.* 2. 3.

„ legitimam ætatem promoverentur, ab Or„ dinum susceptorum exercitio suspensi ip„ so jure forent; si autem in illis ministra„ re præsumerent, irregularitatem incurre„ rent. Ulterius progressus est *Sixtus* V. in „ Constitutione, quæ incipit *Sanctum & sa„ lutare*, qua scilicet Antistitem illum, qui „ aliquem minus idoneum, aut legitima æ„ tate minorem, vel Patrimonio destitutum „ ad Ordines etiam Minores promovisset, a „ collatione omnium Ordinum, atque ab „ Ecclesiæ ingressu suspensum fore decrevit. „ Verum *Clemens* VIII. in Constitutione, „ quæ incipit *Romanum Pontificem*, totum „ id ad Sacri *Tridentini* Concilii, Constitu„ tionisque *Pianæ* terminos revocavit. Nec „ alia deessent exempla, quæ in hanc rem „ adduci possent. “ Quare concludendum tandem est, sumi quidem posse in Pontifice voluntatem, ut si quæ lex provinciæ cuipiam aut diœcesi minus congruat, non ante servetur, quam Episcopus ad Sedem Apostolicam de editæ legis incommodis referat; numquam tamen alteram illam voluntatem sumi in illo posse, ut Episcopis non consulta *Romana* Sede latas ab illa leges respuere liceat, æque una ratione vim omnem amittant.

V. At enim leges Ecclesiasticas *vigorem & exequutionem tum solum habere posse, quum libere ab Episcopis receptæ, adprobatæque sunt*, pro-

„ profitentur ipſi Romani Pontifices, qui
„ dum de pluribus diſciplinæ capitibus con-
„ ſulti deciſiones ſuas Canonibus Eccleſiæ-
„ que uſui conſentaneas ediderunt, inſimul
„ eas, niſi receptæ atque adprobatæ fuiſſent
„ ſolemnium legum vim obtinere non præ-
„ tenderunt. Itaque *Innocentius* I. ad *Alexan-*
„ *drum Antiochenum* ſcribens, *ut quæ*, inquit,
„ *ipſe tam neceſſario percunctatus es, & nos*
„ *elimate reſpondimus, communi omnium conſen-*
„ *ſu ſtudioque ſerventur*. Sic quoque *Gelaſius*
„ ei tantum decreto deferri vult, *quod uni-*
„ *verſalis Eccleſia probavit adſenſus*. " Ita quidem *Febronius* [19]. Atque illi primum gratulor, quod a me caſtigatus (20) *Innocentii* ſententiam nunc vere reddiderit; non falſa ut in priore libro [21] lectione fœdarit. Doleo deinde, quod ad conſuetas artes heic quoque reverſus, *Gelaſii* verba inſigni fraude corruperit. Sumpta ſunt illa ex celebri S. Pontificis ad *Dardanos* epiſtola. Adcipe nunc integram ejus ſententiam (22): "Confidimus,
„ quod nullus jam veraciter Chriſtianus i-
„ gnoret uniuſcujuſque Synodi conſtitutum,
„ quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſen-
„ ſus, nullam magis exequi ſedem oportere
„ præ ceteris, quam primam, quæ & unam-

quam-

(19) T. II. *pag.* 418.
(20) *Antif.* T. II. *lib.* II. *cap.* 3. *n.* 6.
(21) T. I. *Cap.* II. §. 8. *n.* 5. ubi *Innocentiano* verbo *serventur*, ſubſtituit *firmentur*.
[22] T. III. *oper. S. Leon.* Baller. *edit. col.* 350.

„ quamque Synodum sua auctoritate confir„ mat, & continuata moderatione custo„ dit.“ Hoccine est *deferri velle ei* TANTUM *decreto, quod universalis Ecclesiæ probavit adsensus*? Hæc quæstio juris est; facti res est, quam *Gelasius* indicat. Agebatur nempe de *Chalcedonensi* Concilio, quod *universalis Ecclesiæ probarat adsensus*. Ut igitur doceret, mirandum non esse; cur *Romana* Sedes ejus Concilii decreta urgeret contra *Acacianos*, omnique auctoritate tueretur; hoc utitur argumento. *Nullus jam veraciter Christianus ignorat uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit adsensus, nullam magis exequi sedem oportere præ ceteris, quam primam &c. Chalcedonensis* autem Synodi constitutum universalis Ecclesiæ probavit adsensus; hoc igitur *nullam magis exequi Sedem oportet præ ceteris quam primam*. Quid vero de constitutis, *quæ universalis Ecclesiæ non probavit adsensus*? De his *Gelasius* siluit, quum tamen si *deferri* voluisset, ut *Febronius* libens somniavit, *ei* TANTUM *decreto, quod universalis Ecclesiæ probavit adsensus*, de his diserte loqui debuisset. Hæc ad fraudes *Febronii* detegendas dicta sunto. Fac jam, *Gelasium* ea tantum *decreta* denotare voluisse, *quæ universalis Ecclesiæ probavit adsensus*. Quid ad rem, qua de agimus? Nihil omnino. Possem enim facile reponere, & ut equidem reor etiam vere, *Gelasium* de uni-

ver-

versalis Ecclesiæ in Concilium coactæ consensione fuisse loquutum. Quum enim de *Chalcedonensis* Concilii auctoritate adversus *Acacianos* potissimum differat, Synodos œcumenicas præcipue extollit. Quamobrem *uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit adsensus*, idem *Gelasio* fuit, quod *constitutum ab universalis Ecclesiæ Synodo editum, ac comprobatum*. Præterea compertum est, non de adsensu, qui ad vim legibus veluti indendam sit necessarius sermonem heic a *Gelasio* institui, sed de cura, quæ *Romanæ* Sedi esse debet, ut Synodorum statuta a se confirmata, si vis etiam ab universis Ecclesiis recepta exequutioni mandentur, *nullam magis exequi sedem oportere præ ceteris, quam primam; quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit*. Hinc autem quis argumentando efficiat, ab Ecclesiarum consensu leges suum robur mutuari? Mirum collectionis genus id esset, quod nulla quæcumque ea demum sit logica agnoscat! Ad *Innocentium* quod adtinet, nihil magis ridiculum est, quam quod *Febronii* caussam disiicit, pro illa confidenter adferre. Quod enim quæso est, quod *Innocentius Alexandrum Antiochenum* jubet sua responsa ad notitiam Coepiscoporum deferre, ut *communi omnium consensu studioque serventur*, quam sumere, nihil, ut ab omnibus serventur, præter notitiam

requi-

requiri? Ingenue respondeat *Febronius* hæc *Innocentii* verba an non Episcopus, qui legem suam quampiam ad suæ diœceseos Parochos mitteret, usurpare posset? Consensum tamen diœcesanorum *in legem particularem Episcopi non requiri ipse nos docuit* (33). Non ergo consensus, quem *Innocentius* indicat, is erat, qui ejus responsis vim legis conferret, sed ejusmodi, ut legi post habitam illius notitiam omnino deberetur, quemadmodum de Episcopi lege dicendum foret.

VI. Quamquam queri non possumus, quod *Febronius* ab Episcoporum consensu legum Pontificiarum vim repetat; idem de omnibus Ecclesiasticis legibus etiam generalium Conciliorum tradit: Equidem *Febronius* in prioris voluminis indice (hunc appello, quia ut vidimus, vitio mihi vertit, quod eum non consuluerim) edixerat (34): *leges* SIMPLICITER *obligatorias condunt Concilia; Pontifex* SUB CONDITIONE SI ADCEPTENTUR. Verum dum Indicem, quem tanti facit, pertexebat, oblitus eorum fuerat, quæ in opere docuerat (35), *eam nempe esse regiminis Ecclesiastici rationem diversitati morum . . . a Salvatore nostro taliter adaptatam*, *ut ne* Generalium *quidem Conciliorum* (*qui-*

(23) T. I. *cap. V*. §. I. *n*. 5. *pag*. 276.
(24) *Litt*. I.
(25) *Cap. V*. §. 2. *n*. 6. *pag*. 281. *seq*.

(*quibus nemo Catholicorum poteſtatem legislativam denegat*) *Conſtitutiones ſine Eccleſiarum, regnorum , ac provinciarum adceptatione vim & effectum legis obtineant* . Idem dogma in novo opere indicat, confirmatque his verbis (36) : " tam altas hæc diſciplina (*legum*
,, *Eccleſiaſticarum ab Epiſcopis expendendarum)*
,, in *Gallia* radices egerat, ut quamvis *Ba-*
,, *ſileenſe* Concilium ibidem pro *Generali* ha-
,, beretur, ejus tamen ſanctiones, niſi prius
,, expendiſſet , *Gallicanus* Clerus in *Bituri-*
,, *cenſi* Conventu recipere nollet , nec ſine
,, mutationibus modiſque adprobaret. Acto-
,, rum laudati Conventus verba hæc ſunt :
,, *Quem Eccleſiæ* Gallicanæ *Congregatio roga-*
,, *retur , ut decreta & ſtatuta ejuſdem Sacri*
,, *Concilii recipere , adceptare , & obſervare ,*
,, *obſervarique facere vellet decrevit præfata*
,, *ſancta Congregatio decreta ipſa viſitare ad*
,, *ſciendum, ſi quæ eſſent ſimpliciter recipien-*
,, *da, & quæ cum certis modificationibus, ſeu*
,, *interpoſitionibus adceptanda congrue viderен-*
,, *tur utilitati & moribus regni. Quibus de-*
,, *cretis diligenter, matureque inſpectis, ac vi-*
,, *ſitatis, cenſuit eadem Sancta Congregatio ,*
,, *plurima ex ipſis decretis & ſtatutis recipien-*
,, *da, cum certis tamen, licet paucis modifi-*
,, *cationibus.* Et quis demum ignorat, quid
,, in *Gallia* tum contigerit, quum de *Triden-*
,, *tini* Concilii receptione ageretur. Quamvis
,, enim

(35) T. II. pag. 419.

„ enim *Gallia* hujus Concilii Sanctiones ad „ *Fidem* spectantes, tanquam veteri doctri„ næ Ecclesiæ consonas adprobaverit; ejus„ dem tamen decreta ad *disciplinam* perti„ nentia recipere vel adprobare nunquam „ voluit quippe quæ quoad aliqua quidem „ capita veteri disciplinæ Regiis juribus an„ tiquisque Ecclesiæ & Regni usibus oppo„ sita crederet". Triumphat in his duobus exemplis *Febronius*, cum illisque comparari jubet, *quæ* Zaccaria T. II. lib. II. cap. 3. n. 4. & 5. *adversus sanas* Febronii *de potestate & jure Leges Ecclesiasticas ferendi doctrinas proferre conatus est*. Comparentur, per me licet, & nequis *Antifebronium* adire debeat, comparentur cum his, quæ hactenus disputavimus. Cuinam, cui sal in cerebro, in corde Religio sit, *sanæ* videbuntur *Febronii* doctrinæ? Ne irascatur, amabo, ita dicenti *Febronius*. Audiat, quæ suus ille defensor *Declarationis Cleri Gallicani* hac de re moneat (27): " haud scio, an pro„ bari debeat universim ea libertas, quam „ vir illustrissimus (*de Marca*) statuit, ut „ in novis morum decretis, ab œcumeni„ corum etiam decretorum auctoritate libe„ re recedatur. Factum id quidem semel in „ recipiendo Concilio *Tridentino*, non so„ lum a *Francis* nostris, sed etiam a *Belgis* „ ditioni *Hispanicæ* subditis: cujus rei mul-

(27) *T. II. lib. II. cap. 15. pag. 281. Lugan. edit.*

„ tæ caussæ sunt, & quædam a nostris tactæ
„ in ipso *Tridentino* Concilio; peculiares il-
„ læ quidem nec trahendæ universim ad ge-
„ neralia Concilia; neque satis cautum,
„ aut honestum videtur, passim in eo repo-
„ nere libertatem, ut ab universalis Eccle-
„ siæ decretis recedere liceat " - De *Tridentina* Synodo paullo post viderimus. Hoc interea adcipiat Febronius *sanam doctrinam*, quæ *satis cauta & honesta* non videatur, esse non posse; nec satis *cautam honestamque Bossuetio* visam, quam ipse *sanam* prædicat. *Gallorum* porro exemplum quod ad *Basileensia* decreta spectat quid adtulit? nisi ut fraudis insimulari a me posset. Fraudem appello, quod dissimularit, *Bituricensem* Conventum, dum illa decreta sibi temperanda censuit, ad Concilii Patres recurrendum monuisse, ac generatim in conclusione ita statuisse: *illa decreta, circa quæ fuerunt factæ prænotatæ modificationes adceptentur; prout adceptantur*, SUB SPE SCILICET, QUOD IPSÆ MODIFICATIONES PER SACRUM CONCILIUM ADMITTENTUR; PRO QUO REGII ORATORES INSTABUNT VICE REGIA, ET ECCLESIÆ REGNI, ET DELPHINATUS. Hæc animadversio *Charlasii* est (28), & quod *Febronium* jugulat, *Bossuetii*: " Quod sane a-
„ junt, inquit celebris iste Gallicanæ *decla-*
„ *ra-*

(28) *De libert. Eccles. Gallic. lib. X. cap. 6. pag. 645. Leod. edit.*

„ *rationis* vindex [29], ab Ecclesia *Gallica-*
„ *na* certis conditionibus ac modificationi-
„ bus receptum esse *Basileense* Concilium,
„ supra (30) retulimus, eas ita esse adhi-
„ bitas, SUB SPE SCILICET, QUOD PER
„ SACRUM CONCILIUM ADMITTENTUR.
Enimvero, qui *sub hac spe* modum *Basileen-sibus* decretis adhibuerunt, *Gallicani* Episcopi procul dubio agnoscebant, sibi jus non esse ea aut respuendi, aut reformandi, nisi per Patres, qui illa ediderant, licuisset. Ad *Tridentinum* Concilium progrediamur. Nolim ego in caussas inquirere, cur in *Gallis* ejus decreta ad disciplinam spectantia non fuerint Regum auctoritate recepta. At *Febronius* meminisse debuerat, se eo loco de *Episcoporum* juribus egisse ut *leges expendant veteri disciplinæ consuetudinique contrarias reiiciant, eisdemque exceptiones & modos adhibeant, quos opportunos judicaverint*. Verum nihil ad hunc finem conferre poterat minus aptum hoc *Gallorum Tridentinæ* Synodi acceptioni obsistentium exemplo. Quid enim si *Gallicani* Præsules se ad recipiendum *Tridentinum* Concilium conscientiæ officio teneri declarassent? Declararunt a. 1615. Quid si præterea iis, quæ Regiis ministris in *Tridentinis* decretis displicebant, quod jura Regia, ac Libertates *Gallicanas* lædere viderentur,

(29) *l. c.*
(30) *lib. VI. cap.* 12.

tur, se modum adhibere non posse, sed totum *Romano* Pontifici negocium deferendum agnoverunt? Agnoverunt. Exstant, quæ rem testentur, acta Cleri *Gallicani* (31), eaque *Franciscus*, Cardinalis de *Rupefocaldio Ludovico* XIII. exhibuit in eo libro, quem a. 1626. *Parisiis* edidit prænotatum: *Raisons pour le desaveu fait par les Eveques de ce Roiaume d' un livret publiè avec ce titre*: jugement des Cardinaux &c. *contre les scismatiques de ce tems* (32). Nec veritas est idem Car-

(31) *T. I.*

(32) *Sect. XXI. pag. 212. seqq.*

„ *Du Mardy 7. Juillet 1615. President Mr. de la Rochefaucaut.*

„ - - - - - - - - - -

„ Les Cardinaux, Archevesques, Evesques, Prelats & autres Ecclesiastiques soussignès, rèpresentans le clergè general de *France*, assemblès par la permission du Roy au Couvent des *Augustins* a *Paris*; apres avoir meurement deliberè sur la publication du Concile de *Trente* ont unanimement reconnu & declarè, reconnoissent, & declarent, *qu' ils sont obligès par leur devoir & conscience a recevoir, comme de fait ils ont reçeu & reçoivent, ledit Concile*; & promettent de l' observer autant qu' ils peuvent par leur fonction & autoritè spirituelle & pastorale. Et pour en faire une plus ample, plus solemnelle, & plus particuliere reception, sont d' avis, que les Conciles Provinciaux de toutes les Provinces Metropolitaines de ce Roiaume doivent estre convoquèes & assemblès en chacune Province dans six mois au plus tard ec.

- - - - - - - - - - -

“ *Ensuit la teneur du dit Article de la Chambre Ecclesiastique des Etats, conforme a celluy de la Noblesse.*

“ Lesdits Ecclesiastiques de vostre Roiaume continuans leurs precedentes supplications, & treshumbles requestes „ fai-

Cardinalis de Rupefocaldio *Galliarum* Regi sancte adfirmare, nihil in ullo ejus Concilii decreto esse, quod jure *Gallis* improbari posset, modo ad illius lectionem æquus animus adferretur (33). Quam pudere *Febronium*

„ faites par plusieurs & diverses fois a vos Predecesseurs „ tant aux Etats generaux, qu' aux assemblèes du Clergè; & ne se pouvans jamais lasser d' en faire toute sorte d' instance, veu qu' il y va tant de l' honeur de Dieu, & de celui de cette Monarchie tres-Chrètiene; qui depuis tant d' annèes, avec si grand ètonnement des autres Nations Catholiques, porte cette marque de desunion sur le front; supplient tres-humblement Vostre Majestè, qu' il luy plaise, embrassant cette gloire & cette courone, que Dieu luy a reservè jusques a maintenant, ordonner, que le Concile universel & Œcumenique de *Trente* sera reçeu & publiè en ce Roiaume, & les Constitutions d' iceluy guardèes & observèes: sans prejudice toutes-fois des drois de vostre Majestè, libertès de l' Eglise *Gallicane*, Privileges & Exemptions des chapitres, Monasteres & Communautès, *pour lesquels Privileges & Exemptions sa Saintetè sera suppliè a ce qu' elles soient reservèes & demeurent en leur entier*, sans que la ditte publication y puisse prejudicier. "

(33) *pag.* 202. " dans tout le Concile de *Trente* il n'y „ a rien, qui puisse donner aucun sujet raisonnable d' offence a ce Roiaume, ou a quoy il ne puisse estre fort aisèment satisfait. Et c' est de ces poins principalement, que l' on peut prendre juste crainte d' un scisme. Par-ce que les Prelats, s' ètans restrains a faire simplement instance, que tout ce, que contient ce Concile, fust bien veu & considerè par telles personnes, qu' il plairoit aux Rois de commettre: l' on en a continuellement detournè leurs pensèes, aiant ètè rèpresentè avec l' horreur d' un ennemi principal du Roiaume: de crainte que la seule lecture fist connoistre la veritè, & l' innocente doctrine, & intention de ce Concile; comme il arriva, en la cy-dessus mentionnè Assemblèe des

„ Etats

nium deberet, ad auctoritatem non recipiendarum, si æquum id esse judicaverint, Conciliarium legum Episcopis adserendam, exemplum *Tridentinæ* Synodi in *Gallia* nequaquam adceptæ protulisse!

VII. Antequam hoc caput concludamus, aliqua de Pontificiarum legum promulgatione adtingenda sunt. In *Antifebronio* (34) monui, nihil interesse, utrum promulgationem *Romæ* factam sufficere adfirmes, an neges. Stant enim ab utraque sententia magni nominis Auctores, & quod caput est, *Romanæ* Sedi perquam addicti. Itaque quod *Febronius* promulgationem in Provinciis faciendam esse contendit, non admodum me commovet. Sed quod & *paradoxam* & inhumanam hanc *Romanæ* Curiæ consuetudinem appellet (35), id ferri nequit. *Vanespenius* (36) ignotam antiquæ Ecclesiæ, neque in ipsis *libris Corporis Canonici etiam recentioribus, puta Extravagantibus communibus, aut* Johannis XXII. memoratam ait hanc promulgandarum

„ Etats. En laquelle les Seigneurs Deputès pour la Noblesse, aiant pris quelque aversion de ce Concile, sur „ cette diffamation publique: apres que par la seule lecture d'iceluy ils eurent ètè detrompès, ils se joignirent au Clergè pour en requerir la publication, en la „ mesme forme, que les Ecclesiastiques l'avoient fait par „ leur declaration, la quelle ils virent bien ne pouvoir „ apporter aucun prejudice aux droits du Roiaume."

(34) *T. II. lib. 2. cap. 3. n. 2.*

(35) *T. II. pag. 416.*

[36] *De promulg. leg. P. I. cap. III.* §. 7.

rum ecclesiasticarum legum rationem; quibus eam *Iohanne* XXII. qui a. MCCCXVI. Pontificatum suscepit, recentiorem a se habitam indicat. Illa tamen jam anno MCC. LXXXI a *Martino* IV. usurpata fuerat in Processibus adversus *Michaelem Palæologum* *Urbe veteri* datis 18. Novembris [37]; nec quidquam in ea *Martini* Bulla est, unde tunc primum ab illo Pontifice novam hanc, si placet, promulgationis formam inductam fuisse colligatur. Id enimvero *paradoxum* cuique Catholicæ Religionis decretis imbuto videri debeat, *paradoxam* ab Orthodoxo Scriptore vocari eam emittendarum legum formam, quam a tot sæculis Christi Vicarii summi Pontifices servarunt; immo & Concilia ipsa adprobarunt. Non aliam certe *Constantiense* Concilium in pluribus divulgandis edictis ac Constitutionibus normam sequutum novimus. Nam ut alia omittam [38], Constitutionem Sessione XV. editam *contra invasores, & spoliatores adcedentium, & recedentium a Concilio* claudunt Patres his verbis [39]: " Et insuper, ut hujusmodi præsens processus ad communem omnium noti-

[37] *Bullar. Rom. noviss. edit. T. III. p. II. pag.* 30.

[38] Vide edictum, quo *Johannes* XXIII. ut se Concilio sisteret, revocatus fuit 2. Maii 1415. [*T. VIII. Conc. Hard. col.* 291.]; *Monitorium* adversus ducem *Austriæ* [*ibid. col.* 468. & Bullam *convocationis Prælatorum* anni sequentis] *ibid. col* 567.)

[39] *ibid. col.* 427.

„ notitiam deducatur, cartas sive membra-
„ nas processus continentes eosdem in ma-
„ jori & Sancti *Stephani Constantiensis* Ec-
„ clesiarum valvis adfigi, qui processus ip-
„ sos suo quasi sonoro præconio, & patulo
„ indicio publicabunt: ut prædicti, quos
„ processus concernent, nullam possint ex-
„ cusationem prætendere, vel ignorantiam
„ adlegare, quod ad eos processus hujusmo-
„ di non pervenerint, vel ignoraverint eo-
„ sdem, quum non sit verisimile, remane-
„ re incognitum quoad ipsos, quod tam pa-
„ tenter fuit publicatum". *Basileenses* ipsi *Constantiensium* Patrum inhærere vestigiis, ut plura eorum decreta nos docent (40). Quid? quod Concilium *Tridentinum* licet *Pium* IV. in edendis Synodi decretis non aliam, quam quæ *Romæ* recepta erat, rationem initurum suspicari possent, nulla lege diserte cavit, ne Pontifex *Romana* promulgatione contentus esset. Quamobrem ea *Romanæ* Curiæ consuetudo universæ Ecclesiæ consensione & observantia confirmata atque adeo consecrata dici non immerito potest. Quid vero si & Principes eam probassent? Probarunt enimvero. Nam *Nicolaus* V. quum *Lusitanorum* Regum in Catholicam Fidem amplificandam studiis favere, uti decebat, maxime vellet, sub excommunicationis pœna vetan-

[40] Ut decreta Sefs. VIII. [*ibid. col.* 1141.] Sefs. XII. [*col.* 1156.] & Sefs. XXIX. (*col.* 1243.)

tandum sibi duxit, nequis Christianorum Barbaris, adversus quos piissimi illi Reges strenue dimicabant, arma, lignaque deferret; litteras autem Apostolicas 8. Januarii 1454. editas, quibus id cavebatur, *valvis Ecclesiæ* Ulixbonensis adfigi jussit, addita hac consueta declaratione: *excommunicationes, aliæque sententiæ in illis contentæ infra duos menses computandos a die, qua ipsæ præsentes litteræ, seu chartæ vel membranæ earum tenorem in se continentes valvis Ecclesiæ* Ulixbonensis *adfixæ omnes singulos contrafacientes prædictos ligent, ac si ipsæ præsentes litteræ eis personaliter & legitime intimatæ ac præsentatæ fuissent.* Neque vero id improbarunt aut *Lusitani* Reges, quorum caussa agebatur, aut alii Christiani Principes. *Leonis* præterea X. Bulla contra *Lutherum* quomodo a. 1520. divulgata fuit? Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non Cathedralium Ecclesiarum *Brandeburgensis*, *Misnensis*, & *Merspurgensis* valvis jussu Pontificis adfixa fuit (41). Id autem *Germaniæ* Episcopis & *Carolo* V. Imperatori *paradoxum* visum adeo non fuit, ut Imperator in edicto adversus *Lutherum* 8. Maii a. 1521. promulgato se illud emittere declararit *exequendo Leonis* Constitutionem (42).

VIII. Hæc eadem satis ostendunt, nonnisi

[41] Confer Bullam T. I. *Conc. Germ. pag.* 178.
[42] *ibid. pag.* 187.

nisi per summam injuriam dici a *Febronio* potuisse *Romanam* consuetudinem *inhumanam*. Inhumanine Pontifices omnes fuere saltem a *Martino* IV. ? Inhumana tria generalia Concilia ? Inhumani *Lusitaniæ* Reges, & *Carolus* V. Imperator ? Pergit tamen *Febronius* [43]. " Hoc quam inhumanum sit,
„ quum quisque facile perspiciat, hinc Zaccaria *cit. Cap.* 3. *n.* 4. (44) ait, Pontifices ea humanitate semper usos fuisse, ut non urgeant obligationem Legum in Provinciis non receptarum. Sed falsum dicit. Nihil sane paradoxum magis, quam quod (uti *Romæ* quotidie fit) judicetur juxta Pontificias Constitutiones, nec receptas nec publicatas in illis Regnis & provinciis, e quibus caussæ ad *Romana* tribunalia deferuntur. Sic (ut hoc modo demus pro exemplo) bullam *Pii* V. quæ incipit *Quanta Ecclesiæ*, circa formam Resignationis beneficiorum, neque in *Germania* & *Belgio*, neque in *Gallia* & *Hispania* receptam esse monstrabimus infra *Cap. VIII.* Eo non adtento, juxta illam identidem *Romæ* judicari, atque ibidem exceptionem *Bullæ publice ignoratæ aut non receptæ* haud exaudiri testantur Parisius de *Resign. benef. Lib. V Quaest. 6. n.* 121. *&* *seq.*

[43] T. *II. pag.* 416.

(54) Nihil ejusmodi ibi dixi. Indicare potius debuerat *Febronius T. I. diss. II. cap. IX.*

„ *seq.* Garzias *de benef. Part.* XI. *Cap.* 3. „ §. 3. *n.* 271. quorum testimonia *Romanis* „ suspecta esse non possunt". Ego vero *Febronii* pace, nihil heic paradoxi video. Aliud enim est, Pontifices ea uti humanitate, ut siquæ eorum leges justis de caussis in Provinciis receptæ non sint, aut dissimulent, aut etiam indulgeant; quod unum in *Antifebronio* adserui; aliud ne inhumani videantur, debere illos si qui *Romam* judiciorum caussa adcedunt, ex Constitutionibus apud eorum Provincias non adceptis sententiam ferre. Illud fortassis inhumanum esset, sæpe etiam periculis obnoxium, si a *Romanis* Pontificibus negligeretur. In hoc autem altero quid inhumani est? quum enim *Romanæ* Curiæ in caussis dijudicandis stylum omnes norint, an ulli injuria fiat, si *Romæ* judicari quum aut ipsi velint, aut cogantur ad formam judiciorum in ea Curia præscriptam sententiæ edantur? Num quia Pontifices caritatis caussa suas aliquando Constitutiones in quapiam Provincia non adcipi patiuntur, debent præterea caussas, quæ illa ex Provincia *Romam* deferantur, ad aliam quam quæ *Romæ* viget, formam judicare? ut quod ferri una caritas, & indulgentia suadet, sua quoque auctoritate confirment? Hæc qui cum *Febronio* a *Romanis* Pontificibus exigat, næ ille *paradoxa* & *inhumana* postulare potius videatur.

CA-

CAPUT IV.

De Juris Canonicis nævis, quos Febronius *irreverenter exagerat. Illud vero cum primis quæritur, num aliqua disciplinæ in iis libris comprehensæ nota inuri a Catholico Scriptore possit? Novus Juris Canonici Codex a* Febronio *propositus expenditur.*

I. ANtequam ad alia, quæ in disciplinæ Capitibus *Febronius Romanis* Pontificibus concedit jura progredior, nonnulla de juris Canonici libris, in quibus Pontificiæ ad *Clementem* V. leges continentur, dicenda mihi esse video, ne effrenis illa licentia, qua adversus hunc Juris Canonici codicem *Febronius* debacchatus est, impunis abeat. Primum autem liceat mihi ex cl. *Zallwein* (1) aliqua promere ad fatorum, quæ apud Protestantes Jus Canonicum subiit, historiam pertinentia. *Lutherum*, in-
" quit vir cl., Juris Canonici fuisse hostem
„ capitalissimum, illudque *Wittembergæ* in
„ magna Doctorum & studiosorum corona
„ una cum Bulla *Leonis* anno 1520. Vulca-
„ no comburendum injecisse hoc adhibito
„ effato. *Quia tu impie liber conturbasti san-*
„ *ctum Domini, ideo se conturbet ignis æter-*
nus: sicut fecerunt mihi, sic feci eis, *inquit*
„ Sam-

(1) *Princip. Jur. Eccles.* T. II. *q.* 4. *cap.* I. §. 4.

„ Samſon, ipſi Proteſtantes libere fatentur. „ Verum hiſce auſibus impudentiſſimis ſeſe „ vehementiſſime oppoſuerunt ipſi Doctores „ Proteſtantici *Henningus Goedem*, & *Hiero-* „ *nymus Schurffius* frendente licet *Luthero*, „ quem hæc res ita commovit, ut *Wittenberga* „ abierit, nec unquam poſthac, ut eo redi- „ ret, perſuaderi potuerit. Varie deinde „ inter ICtos & *Lutherum* fuit dimicatum. „ Ingentes animi ſui motus clariſſime ape- „ ruit in epiſt. ad *Spalatinum* anno 1544. „ ſcripta, ubi ſic ſcribit: *Ego tibi fateor,* „ *in hoc anno ſic me eſſe adceptum, ut in vita* „ *mea, & in tota cauſſa Evangelii numquam* „ *fuerim perturbatior: oritur enim mihi cum* „ *Juriſtis negotium acerrimum. Et quos ſpe-* „ *raveram fidos Evangelii amicos, experior ho-* „ *ſtes acerrimos.* Et poſt pauca: *intrinſeci* „ *hoſtes plus nocent, quam externi, ut Judas* „ *inter Apoſtolos, ſed vincit Crucifixus, &* „ *perit Crucifixor.* Indignationem ſuam ve- „ hementiſſimam ante hoc factum prodidit, „ dum *Spalatino* ſcripſit: *damnent, exurant-* „ *que mea, ego viciſſim, niſi ignem habere* „ *nequeam, damnabo, publiceque concremabo* „ *jus Pontificium totum, lernam illam hære-* „ *ſum.* Hujus rei geſtæ hiſtoriam fuſius re- „ cenſet *Seckendorffius* (2) & *Kippingius* in

„ *Apo-*

[1] In hiſtoria Lutheraniſmi *lib.* III. *ſect.* 32.

„ *Apologetico* pro *Martino Luthero* [3] . Impudens hoc *Lutheri* factum ne ipsi quidem æquiores *Lutheri* adseclæ adprobare audent, immo execrantur . . . . Ab illo tempore illud [jus Canonicum Protestantes] docuerunt , & in hodiernam usque diem docent in scholis publicis, ad illud provocant in judiciis, secundum normam illius procedunt in caussis ecclesiasticis , controversias decidunt in suis consistoriis. Quid non egerunt Doctores *Wittenbergici*, ut illius usum & conservarent , & propagarent ? Hos æmulati sunt doctores aliarum Academiarum, qui illud suis Auditoribus commendarunt , miris laudibus exornarunt , ac doctissimis commentariis illustrarunt ; immo etiam Apologias pro illius conservatione usu & auctoritate adornarunt, in Academia *Jenensi Matthæus Golerus* ,*Rostochiensi Ernestus Cothmannus*, *Lipsiensi Johannes Dauth* ; *Gievensi Ulricus Hunnius* , *Marburgensi Hermannus Vultejus*, & plures alii Academici Doctores, quorum verba, libros , & testimonia refert laudatus *Boehmerus* . Immensus esse deberem, si , quæ celeberrimi ICti Protestantici pro conservando usu, auctoritate stabilienda , & propaganda , illustrandoque ipso studio Juris canonici scripserunt ,

(3) Hæc Apologia adnexa est *Prolusionibus* Juris Ecclesiastici , quas cit. Auctor edidit *Helmestadii*.

„ runt, ac in hodiernam uſque diem ſcri-
„ bunt, in medium adducere vellem. Sed
„ mirum videri alicui poſſet, quod Doćto-
„ res Proteſtantici, & illi primi tempore
„ *Lutheri*, & illorum ſucceſſores tantopere
„ pro uſu & auctoritate Juris canonici qua-
„ ſi pro aris & focis dimicaverint? num for-
„ taſſis propter intereſſe quoddam privatum,
„ quia de pane lucrando apud non paucos
„ agebatur? Sed abſit, ut viros illos tam
„ ſordide egiſſe & ſenſiſſe ſuſpicemur: etſi
„ ab omni intereſſe proprio ipſos omnino
„ alienos fuiſſe vix aliquis nobis perſuaſe-
„ rit. Sane longe prudentiores fuiſſe illos
„ ICtos, quam *Lutherum* nemo ſanus ne-
„ gaverit. Agebatur *Lutherus* cœco impetu
„ paſſionum rebellione in tranſverſum ra-
„ piebatur, vindictam coquebat in pectore
„ contra *Leonem* Pontificem, a quo ſe dam-
„ natum ſciebat: ut quid ergo mirum,
„ quod tantum nefas perpetrare auſus fue-
„ rit? At vero ICti, quorum intellectui
„ ſanior illuxit Phœbus, quibus *Ratio ſtatus*
„ eccleſiaſtici & politici melius perſpecta e-
„ rat, qui optime perſpiciebant, peſſime
„ etiam Juribus ſuæ Eccleſiæ, & ſuorum
„ Principum conſultum iri, ſi Jus Canoni-
„ cum penitus eliminarent, & proſcribe-
„ rent; ac denique intime penetrabant,
„ quantum chaos in judiciis, quanta rerum
„ confuſio in dirigendis finibus juriſdictio-

„ nis

„ nis ecclesiasticæ & politicæ ; quanta difficultas in defendendo *jure in Sacra* suis „ Principibus vindicato ex proscriptione Juris ecclesiastici sit pertimescenda, utique „ secundum omnes prudentiores œconomiæ „ regulas egisse censendi sunt, dum auctoritatem Juris ecclesiastici sustentare toto „ conatu, omnibusque viribus adlaborarunt.“

II. Hæc qui legerit, fierint posse credat, ut Catholicus Scriptor exstet, qui *decretum* Gratiani *&* *decretales* Gregorii IX. *egregie circumcidenda*, *aut* PENITUS ABIICIENDA ESSE & adserat, & persuadere nitatur ? Exstat tamen. Is *Febronius* est, & quæ produximus verba, ex eo deprompsimus [4]. Queretur deinde homo, qui *utilem*, si superis placet, *publico & Ecclesiæ non sterilem operam volebat præstare* (5), queretur, inquam, se *a suis adversariis probris & miris scomatibus impeti* (6). At nonne, ut ajebat *Rusticus* diaconus, *turpe sit & indecens contra adserentem perversa* (quæ in *Luthero* ne ipsi quidem *Lutherani* ferant) *nos pro veritate frigidiores inveniri*? Iram tamen comprimamus ; & quæ demum ea sint, unde vix non *Lutheranam* concremationem *Gratiani* decreto, & decretalibus *Rhadamantus* hic noster decernit, videamus. Ad Decretum quod adti-

(4) T. II. *pag.* 432.
(5) *ibid. pag.* 339.
[6] *ibid. pag.* 157.

net, ex lutulentis illud fontibus ex *Regino-ne*, *Burchardo*, *Ivone*, aliisque id genus sibi æqualibus *Gratianus* hausit (7), nec satis excultus fuit; non *Græcæ* linguæ peritus; non criticus; nullo plane delectu inepta immo & inconstanti methodo suam illam canonum

(7) Illud nempe a *Balleriniis* in Tractatu de antiquis Collectionibus (pag. CCCXX.) *quantum ad* Gratianum *qui non ex antiquis primigeniis fontibus integra documenta continentibus , sed ex posteriorum temporum collectionibus , quæ eadem documenta in partes dissecta , & in locos communes distributa continent pleraque hausit* , scite adnotatum est : " Quum nimirum hæ collectiones in titulos distinctæ, ob methodum faciliorem plurimum adferrent commodi ; his passim receptis, usuque frequentiori multiplicatis earum exemplaribus, antiquorum & puriorum fontium amor ac studium sensim obsolevit . Harum vero collectionum auctores non semper adcurati, nec semper ex priscis illis Codicibus canones & decreta transcripsere. Vidimus quosdam non semper textus integros excerpsisse, sed liberiori licentia alios abbreviatos, alios aliis verbis expressos, alios diminutos, alios interpolatos dedisse . Multa ex supposititiis passim inserta, & quædam etiam ceteroquin sincera alienis auctoribus adtributa pluries notavimus . Vidimus etiam nonnullos ejusmodi collectores ex vitiatis hujus generis collectionibus fere profecisse, & pro emendandis earum erroribus novos in excerpendo errores addidisse " . Hinc in fontes , e *quibus fere omnia menda* Gratiani *profecta sunt* , inquirendum iidem monent. Ceterum alios in *Gratianum* errores non ejus vitio, sed eorum , qui illius decretum auxerunt, atque interpolarunt, irrepsisse constat. Eos singulari *disquisitione critica de interpolat.* Gratiani persequutus est *Diomedes Brava* patricius *Tranensis* . Prodiit illa primum *Bononiæ* a. 1604. quum autem rarior esset, *Boehmerus* eam cum suis adnotationibus ex MSS. Codicibus recudit, uti & novissimo *Rieggerus* in dissertatione de *Gratiani* decreto *Vindobonæ* edita 1770. (pag. 133. 181.) qui etiam suas ex MSS. Bibliothecæ *Cæsareæ* adnotationes addidit.

congeriem ſtruxit [8]. " Erudito enimvero
,, noſtro tempori non eſt ignoſcendum, quod
,, ſub hoc fimo margaritas quærere cogan-
,, tur ſcholaſtici æque ac judices, erubeſcen-
,, dum autem, quod nondum Eccleſia gau-
,, deat videre Corpus regularum ſuarum de-
,, pu-

(8) Quam diverſa ſunt hominum ingenia 1. Audi quanto æquius de *Gratiani* decreto judicarint clariſſimi viri P. D. *Gregorius Zalwein*, & *Paullus Joſephus Riegger*, ille in *Principiis Juris Eccleſiaſtici* (*T.* II. *q.* 2. *cap.* 2.), hic in citata diſſertatione de *Gratiani decreto* [§. 101.] "
,, Quanquam vero decretum *Gratiani* ex multiplici capite
,, omnem mereatur commendationem, ac propter ordina-
,, tiſſimum ordinem, quo anteriores collectiones antecel-
,, lit, ob methodum illis temporibus, genio, & ingenio
,, hominum maxime adcommodatam, ob alia commoda
,, quamplurima, quæ in bonum litterarium redundarunt,
,, ad ſummam auctoritatem adſcenderit, negari tamen non
,, poteſt, quod quamplurimis mendis & defectibus ſcateat
,, circa nomina Urbium, Provinciarum, Inſcriptionum,
,, canones Conciliorum, epiſtolas Pontificum, doctrinas Patrum. " Ita Zallwein (*pag.* 279.) qui etiam addit (*pag.* 282.): " Interim *Gratiano* ſuæ debentur laudes, & gra-
,, tes, quippe qui quamplurima antiqua documenta nobis
,, conſervarit, quæ facile injuria temporum interitura fuiſ-
,, ſent, & ea, quæ hinc inde diſperſa erant, in unum
,, collegit, atque in meliorem ordinem redegit. Plures
,, hujuſmodi utilitates particulares refert *Boehmer*, illam
,, præcipue, quod infinita quaſi monumenta, quæ tum
,, antiquam diſciplinam eccleſiaſticam repræſentant, tum
,, verum Eccleſiæ finem, ſcopumque docent, exhibeant,
,, unde origines rerum eccleſiaſticarum æſtimari, & cum
,, præſenti ſtatu eo rectius conferri poſſunt. " *Rieggerus*
,, vero [*pag.* 227.] " niſi iniqui ſimus judices, ita pro-
,, nunciandum, exiſtimat: *Gratianum* pro ævi ſui ratione,
,, illaque Muſis tam infeſta temporum conditione, qua
,, nihil bonis artibus ad ſoliditatem ac puritatem præſidii
,, erat, ſatis doctum, ſolertem, adcuratumque fuiſſe col-
,, lecto-

„ puratum [9]. Quod autem de vitiis *Gra-*
„ *tiani* in compositione *Decreti* heic profer-
„ tur, & ab eruditis omnibus agnoscitur,
„ id & in specie de compilatione DECRE-
„ TALIUM per *Raymandum* a *Pennafort* pro-
„ curata dicendum est; nam & in hac [quod
„ ipse fatetur P. *Zaccaria*] Pontificum con-
„ stitutiones passim interpolatæ, rescissæ,
„ contra mentem constituentium immutatæ,
„ aliis etiam quam suis veris auctoribus
„ adtributæ, & quod caput rei est, ex cor-
„ ruptis *Gratiani* rivulis derivatæ sunt",
[10]. Ergo *decretum* Gratiani, & *decretales* Gregorii IX. *egregie circumcidenda*, *aut* PENITUS ABIICIENDÆ SUNT? Siquid video, præcipiti nimium animo ad hanc consequutionem delapsus est *Febronius*. Collectio, quæ a cordato & æquo viro exspectanda erat, non alia esse potuit, quam *decretum* Gratiani, & *decretales* Gregorii IX. ad fontes, unde in antiquiores collectiones perperam illati canones fuerant, nempe ad ipsas Pontificum epistolas, ad Conciliorum decreta, ad genuina Patrum scripta, adcurate exigenda esse atque emendanda, quemadmodum, *Antonius Demochares*, & *Antonius Contius*, ac

„ lectorem, atque adeo quidquid fere in auctore ipso est
„ vitii, omne nascendo fuisse commissum, magisque vo-
„ lenti occasionem ac opportunitatem, quam aptitudinem
„ defuisse."

(9) Febr. T. II. *pag.* 435.
[10] *ibid. pag.* 434.

Romani maxime ſub *Gregorio* XIII. Correctores in multis revera decretum illud, non diffitente adverſario, reformarunt, ac deinde alii privata auctoritate, uti *Antonius Auguſtinus* in dialogo *de emendatione Gratiani*, *Vanespenius*, *Bartholus* in Inſtitutionibus Juris Canonici, ac *Berardus* in ſuis in *Gratiani* Canones commentariis. Ceterum aliter de *Gratiani* decreto, aliter de *Gregorii* IX. decretalibus loquendum eſt. Decretum nempe *Gratiani* licet ab *Eugenio* III. probatum quis concederet [quod tamen unus *Tritbemius*, rei ſcilicet ab ejus ævo nimis diffitæ teſtis minime idoneus narrat] ea tamen adprobatio ad ſolum ſcholaſticum uſum pertineret; a nullo vero poſteriorum Pontificum, ne ab ipſo quidem *Gregorio* XIII. Eccleſiaſticam obtinuit auctoritatem, ut non ſolum doctiores exteri Canoniſtæ etſi Pontificiæ poteſtatis laudatores *Henricus Caniſius*, *Wieſtner*, *Pirhing*, *Plettemborg*, *Zech.*, ſed etiam *Itali*, ut Illuſtriſſimus *Johannes Baptiſta Bartholus*, atque adeo qui *Romæ* docuerunt, ſuoſque commentarios vulgarunt, ut *Franciſcus Antonius Phœbæus*, *Franciſcus Maria Gaſparrus*, *Petrus Antonius Danieli*, immo & quem ipſe *Febronius* appellat (11), Cardinalis de *Luca* (12), omnia, quæ *Gratiani* decreto continentur capita, ad auctores ſuos ſingu-

(11) T. I. *cap. V.* §. 3. *n.* 1. *pag.* 290.
(12) *in Adnot. ad Conc. Trident. diſc.* 28. *n.* 8.

ſingula referri oportere, ſolumque ex fontibus, ex quibus ſunt hauſta, vim & auctoritatem habere conſentiant. Quamobrem inter *Gratiani* decretum atque *decretalium* libros maximum intercedit diſcrimen; "quod „ iſtos, ut nuper appellati *Bartholi* verbis „ utar [13], Pontifices ſummi ſua auctori„ tate munitos ita nobis exhibuerint, ut „ quidquid in iis perſcriptum eſt, vim „ eccleſiaſticæ legis habeat: neque adeo in„ quirendum ſit unde capita ſingula deſum„ pta fuerint, ſed ſatis nobis eſſe debet, a „ Pontifice ſummo omnia nobis fuiſſe pro„ poſita; quum, quæ legis vim ex ſe non „ haberent, illam illis Pontifex ſummus „ tribuere voluerit". Fruſtra igitur *Febronius* queritur, in *Gregorii* IX. collectione Pontificum conſtitutiones paſſim *interpolatas* eſſe, *reſciſſas*, aliis *quam ſuis veris auctoribus adtributas*, aut etiam ex *corruptis* Gratiani *rivulis derivatas*. Hæc criticis viris eruditionis cauſſa expendere, ac corrigere per me licebit; verum quod ad legis vim adtinet, ſatis eſſe nobis debet, ut idem *Bartholus* ajebat (14), " a *Gregorio* IX. illa omnia no„ bis fuiſſe propoſita: qui quum leges ipſe „ ſciſcere poſſet, legum etiam ſcitis illis „ tribuere potuit, quæ ex ſe nullam habe„ rent: ut quod *Juſtinianus* Imperator de

 „ Ju-

(13) *Inſtit. Jur. Can. cap.* LIII. *pag.* 467.
(14) *Cap.* LIX. *pag.* 520.

„ Jurifconfultorum fcriptis fua auctoritate
„ collectis edixit *in L. I. ff. de vet. Jur.*
„ *enucl.* idem *Gregorius* IX. edixiffe creda-
„ tur: *omnia merito noftra facimus , quia ex*
„ *nobis eis impertitur auctoritas*.

III. Heic enimvero indignabundus exclamat *Febronius* (15): " fuppofita etiam in
„ Pontifice legislatoria eaque abfoluta &
„ omnino independente poteftate , adverfus
„ tam capitales, per univerfum Juris Cano-
„ nici corpus diffufos , totam maffam adfi-
„ cientes, ferius agnitos errores non poteft
„ a fuperiore æquitatis amante negari au-
„ dientia. Bona verba quæfo: quinam funt
„ hi *tam capitales per univerfum Juris Canonici Corpus diffufi, totam maffam adficientes*, ferius *agniti errores*? Audio. *Ifidori Mercatoris* effata funt , & recentior difciplina illis innixa. Hæc autem quam Ecclefiæ exitialis eft! " Agnofcemus autem haud difficulter
„ in juniore hac facie, antiquitati incogni-
„ ta , formam illam Monarchicam , quam
„ totam hoc opere expugnamus , ficque fa-
„ cile intelligemus , per hanc Decretalium
„ confictionem & introductionem , *Patrum*
„ *difciplinam* fuiffe confractam , & , quoad
„ hanc, Chriftiano orbi quafi pro jure pro-
„ pofita principia tanquam ab Apoftolica
„ traditione ad nos tranfmiffa , quæ tamen
„ Apoftolorum moribus , & primorum fæ-
„ culo-

[15] T. II. *pag.* 435.

" culorum obſervantiæ directe repugnant
" (16). "

" Æque mirandum ac dolendum, quod
" *Romana* Curia non ſenſerit infelices ſe-
" quelas ſuæ oppoſitionis adverſus ſaluber-
" rimas diſciplinæ regulas, quas in Eccle-
" ſiam introducere Concilia CONSTANTIEN-
" SE & BASILEENSE tanto ſtudio labora-
" runt. Quod pondus reddendarum ratio-
" num ab iis, qui tot labores & tam pia
" ſtudia, a *tribus* generalibus Synodis; pro
" Reformationis opere & ad *componendam*
" *Eccleſiam* ſuſcepta, tanta conſtantia ener-
" varunt, atque ita malum corruptæ diſci-
" plinæ per ſæcula & ad hunc uſque diem
" tranſmiſerunt! Eadem Curia, ex præcon-
" ceptis infundatis principiis, renuit ſe ſub-
" mittere duabus prioribus, in id intentis;
" ut illam Sacris Canonibus, & per natu-
" rale conſequens Eccleſiam inſtituto Chri-
" ſti conformem redderent," [17]

" Ego ſane non video, quomodo graves
" & ſubſtantiales defectus, ex conceptu Mo-
" narchico nati, & adhuc dum pullulantes,
" auferri queant, ſive via judicii, ſive per
" medium tractatuum ineundorum cum Cu-
" ria, quæ adoptatum ſuum ſyſtema, ut ut
" Scripturæ & Canonibus adverſum, ſponte
" non dimittet (18).

(16) *Febr.* T. I. *cap.* 3. §. 9. *pag.* 198.
(17) *ibid. cap. VI.* §. 15. *n.* 8. *pag.* 507.
[18] T. II. *pag.* 153.

" Dicent ei [*P. Sangallo*] bini hi viri
„ vere illuſtres [de *Marca* & *Natalis Alexander*] quod *Iſidori* INFENDE opera juri
„ *antiquo*, adſenſu univerſalis Eccleſiæ ſtabi-
„ lito, fecerint ſuccedere jus *novum* illi con-
„ trarium & inimicum . . . . quod ſpurii hi
„ partus poſtquam uſu tandem invaluerant,
„ primarum univerſalium Synodorum ſacra-
„ tiſſimos canones ſuffocaverint . . . . Dicet
„ ei alius vir non minus eruditus apud
„ Van-Eſpen *Commentar. in Canones Juris*
„ *veteris ac novi pag.* 485. *edit. col. an.* 1755.,
„ quod iidem *Iſidoriani* Canones dominatui
„ Monarchico in Chriſtianam Remp. inve-
„ hendo certiſſima fundamenta poſuerint;
„ quod Evangelicam, a Chriſto inſtitutam,
„ & ab Apoſtolis obſervatam diſciplinam
„ eradicaverint [19]. "

" Totus mundus queritur de impietate
„ facti, in publicatione harum epiſtolarum
„ genuinis ſanctiſque Canonibus directe op-
„ poſitarum: per hoc ſicuti ſacroſanctas Ec-
„ cleſiæ regulas abolitas, ita Cleri populi-
„ que diſciplinam corruptam eſſe, omnes
„ cordati eruditi ſuſtinent (20). "

Hæc *Francofurti* & *Lipſiæ* edi potuiſſe non miror; potuiſſe a Catholico Scriptore ſcribi & miror, & doleo. Vereor enim, ut ab hæreſis nota vindicari queant.

IV.

(19) *ibid. pag.* 308.
(20) *ibid. pag.* 434.

IV. Possem heic ego sumere, quod ex superiore dissertatione consequitur, *Romanum* Pontificem in decretis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribat, & quæ in rebus necessariis ad salutem vel in iis quæ per se bona, vel mala sunt, versantur, errare non posse [21]. Sed summi Pontificis ἀσφάλειαν tantisper dimittemus. Hoc ajo, *Romanum* Pontificem adsentiente vel tacite universa Ecclesia non posse in decretis morum quidquam

(21) Rem totam Bellarminus (*lib. IV. de Rom. Pont. Cap. V.*) his declarat exemplis: " Non potest fieri ut „ Pontifex erret, præcipiendo aliquod vitium, ut usuram; „ vel prohibendo virtutem, ut restitutionem: quia hæc „ sunt per se bona, vel mala, nec potest fieri ut erret „ præcipiendo aliquid contra salutem, ut circumcisionem, „ vel Sabbatum; vel prohibendo aliquid necessarium ad „ salutem, ut Baptismum aut Euchariſtiam; licet hæc „ non sint per se bona vel mala ". S. vero Antoninus (summ. P. III. Tit. XII. cap. VIII. §. 2.) idem statuerat his verbis, quæ ex *Johanne Neapolitano* celebri illorum temporum Theologo sumsit. " Ea quæ facit Papa cum „ Cardinalibus sunt duplicis generis. Quædam sunt & „ pertinent ad particularia facta hominum, ut collationes „ beneficiorum &c. & in talibus Papa potest errare. Quædam sunt, quæ facit Papa pertinentia ad statum universalem totius Ecclesiæ, vel quantum ad fidem, ut sunt „ determinationes & declarationes, quæ spectant ad fidei „ articulos, & Ecclesiæ Sacramenta, & omnia alia contenta in sacra Scriptura; sive quantum ad bonos mores, ut sunt statuta, decreta, & decretales: & in talibus dicendum est, quod licet absolute, pensatis solis „ personis Papæ & Cardinalium, Papa cum ipsis possit errare, supposita tamen divina Providentia, & Spiritum „ Sanctum loqui per Ecclesiam, credendum est, Papam „ non posse errare, quia Christus oravit pro Ecclesia: *Rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat Fides tua*. Et dicere, quod in hujusmodi Papa erraret, ESSET HÆRETICUM. "

quam præscribere, quod virtuti contrarium sit & ad vitium compellat; idque salva Catholica fide negari non posse. Non me *Febronius* audiat; audiat *Gersonem* in sermone *coram commissariis Fidei de erroribus contra fidem & mores circa præceptum*: NON OCCIDES. " Spiritus Sanctus, inquit ille, docuit omnem veritatem, & docere non cessat successores: ET IDEO ECCLESIA NON POTEST ERRARE, ET ITA QUIDQUID JUBET VERUM EST "; quod autem juberet Pontifex adsentiente, etsi tacite tantum Ecclesia, ipsa juberet Ecclesia. *Basileenses* quoque audiat in Synodali responso, quod 3. Sept. a. 1432. *Eugenii* Legatis dederunt: HÆRETICUM *illum fateri debetis, qui putat Concilium generale . . . in his, quæ ad fidem* SEU BONOS MORES PERTINENT, *posse errare*: idem ergo de dispersa Ecclesia constituendum. Enimvero si Pontifex bonis aliquid moribus noxium juberet, eique tacito etiam consensu adnueret Ecclesia, Fideles aut Ecclesiam, [contra quam Christus docuit], non audire cogerentur, aut si illam audirent, in scelus, quod ea juberet, prolabi. Quid vero si Ecclesiam ipsam consideremus? Tunc enim Ecclesia a sua sanctitate, quam in Symbolo profitemur, plane descisceret. Nam, inquit *Bellarminus* [22], SANCTA *dicitur potissimum ob Sanctam professio-*

[22] *loc. cit.*

fessionem; *quia nimirum legem*, & *professionem Sanctam profitetur*, *quæ nihil docet falsum*, *nihil præcipit malum*. Quare S. *Augustinus* ajebat (23): " Ecclesia inter multam " paleam, & zizania multa tolerat; & ta- " men QUÆ SUNT CONTRA fidem, & BO- " NAM VITAM NEC TOLERAT, NEC AD- " PROBAT, NEC TACET, NEC FECIT. Neque illud Ecclesiæ patitur *infallibilitas*. Nempe, ut in eo quem indicavimus, sermone ajebat *Gerson* (24): quodlibet præce- " ptum includit in se dictamen rectum, se- " cundum quod fit bonus usus, sicut hoc " præceptum: NON OCCIDES habuit istud " dictamen: *non licet occidere*, fundatum in " hoc universali præcepto: *non facias aliis*, " *quod tibi fieri non vis*. Quod præceptum " est de Scriptura sacra. Item articulus est, " quod sit una Ecclesia Catholica, & Apo- " stolica, idest fundata in doctrina Aposto- " lorum, quos Spiritus Sanctus docuit om- " nem veritatem, & docere non cessat suc- " cessores. Et ideo Ecclesia non potest er- " rare, & quidquid jubet, est verum; jubet " autem docere præcepta, & conclusiones " ex eis; ergo pertinent ad hunc articu- " lum: UNAM SANCTAM ECCLESIAM. " Atque ut exemplo rem explicemus, reservet sibi Pontifex, cui Ecclesia adsentiatur aliquod

(23) *Epist.* 119. *vet. edit*
(24) T. II. *oper. novis*s. *edit. pag.* 336.

aliquod crimen, atque illud deinceps nonnisi a se absolvi posse præcipiat. Quod *directe* jubet, est ejus sceleris servata sibi absolutio, hoc tamen *præceptum includit in se dictamen rectum*, quod sit *bonus usus* præcepti, aut saltem quod hæc reservatio neque naturali juri neque divino adversetur; idque licet *usus præcepti* ad mores pertineat, ad fidem ipsam spectat, quæ certo doceat, nihil in ea reservatione esse mali. Ecclesia igitur, quæ Pontifici præcipienti adsentiretur, in fidei decretis erraret, id licitum falso suadens, quod revera non licet; actum proinde esset de ipsa Ecclesiæ *infallibilitate*. Jamvero quid de eo sentiendum, qui aliquam Ecclesiæ consuetudinem esse malam, vel aliquam ejus legem injustam præfracte adsereret? Non ausus est *Melchior Canus* (25) definire, an hæreticus haberi is debeat. Ego vero non dubito, quin saltem (ne in tricis hæreamus) si quis aut sentiat, adfirmetque, quampiam Ecclesiæ consuetudinem, legemque non solum esse per sese malam; atque injustam, sed etiam a *Romano* Pontifice, Ecclesiaque ut malam, injustamque proponi, aut illam ea nota configat, quæ adeo nefariam de summo Pontifice, atque Ecclesia sententiam contineat, sumatve, ab hæresi excusari nequeat. Id enim quid demum esset, nisi de *Romano* Pontifice, Ecclesiaque illud opinari, quod

(25) *de loc. Theol. l. V. cap. 5. quæst. 5.*

quod ab Ecclesiæ sanctitate, atque *infallibilitate* prorsus abhorret, posse scilicet Pontificem, Ecclesiamque ea studiose præcipere, unde fideles in errorem, ac scelera pertrahantur? An autem hoc hæreticum non sit? Erant qui veluti *secrilegam* damnabant Eucharistiæ sub una panis specie & a jejunis sumendæ consuetudinem. Concilium porro *Constantiense* (26) adversus illos animadvertit, *quum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, eam habendam esse pro lege, quam* NON LICET REPUDIARE, *aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare*: tum eos *tanquam hæreticos* damnat his verbis: *Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem observare sit sacrilegum, aut illicitum*, CENSERI DEBET ERRONEUM, *& pertinaciter adserentes oppositum præmissorum* TANQUAM HÆRETICI ARCENDI SUNT ET GRAVITER PUNIENDI *per diœcesanos* locorum *juxta sanctiones in favorem Catholicæ Fidei contra hæreticos, & eorum fautores salubriter adinventam*. Atque hanc Concilii definitionem *Martinus* V. verbatim in Bullam post *Emmanuelem* a *Schelstrate* ab *Harduino* editam (27). In *Eminenti* intulit, confirmavitque. Eadem fuit *Tridentinorum* Patrum sententia. Constat ea ex pluribus canonibus. Duos tantum pro-

[26] *Sess. XIII.*
[27] T. *VIII. Conc. col.* 918. *seq.*

profero. *Si quis dixerit Ecclesiæ* Romanæ *ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur*, DAMNANDUM ESSE . . . . *aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo*, EO QUOD SIT CONTRA CHRISTI INSTITUTIONEM, *anathema sit.* (28): en primum. *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus* SUPERSTITIONEM ESSE TYRANNICAM, AB ETHNICORUM SUPERSTITIONE PROFECTAM, *aut benedictiones, aut alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur*, DAMNAVERIT, *anathema sit* (29). Agitur heic, quemadmodum nemo non videt, de disciplinæ legibus; eamdem tamen in illarum reprehensores anathematis sententiam *Tridentini* Patres tulere, qua hæreticorum in fidei capitibus errores proscribere consueverunt. Neque tamen illos anathemate perculerunt, qui ejusmodi leges invalidas, injustasque esse insigni licet audacia pronunciarent, sed eos, quo ut evidenter & ex intrinseca quasi labe invalidas injustasque, atque adeo noxia ac malefica præcipientis Ecclesiæ voluntate propositas esse adsererent. Id perspicue docent ea verba: *damnandum esse, eo quod sit contra Christi institutionem esse tyrannicam*, ab *Ethnicorum superstitione profectam, damnaverit*. Hæreticum igitur haberi debet, *Romani* Pontificis,

[28] *Seß.* XXII. *Can.* 9.
[29] *Seß.* XXIV. *Can.* II.

ficis, atque Ecclesiæ consuetudines, legesque, tanquam supremi Legislatoris nequitia vitiosas damnare. Quid ergo de *Febronio* statuemus, qui non unam alteramve disciplinæ legem, sed generalem a tot sæculis per *Romanos* Pontifices Ecclesia saltem non dissentiente, atque adeo tacite adsentiente inductam disciplinam gravissimis censuris adficit atque condemnat? Confer *Sacrilegii damnandæ eo quod sit contra Christi institutionem superstitionis tyrannicæ, ab Ethnicorum superstitione profectæ* notas, quas hæretici a *Constantiensibus* & *Tridentinis* Patribus damnati peculiaribus illis Ecclesiæ consuetudinibus, ac legibus inurebant; confer, inquam, cum *Febronianis* illis, " per hanc decretalium
„ introductionem Patrum disciplinam fuisse
„ confractam quasi pro jure proposita prin-
„ cipia tamquam ab Apostolica traditio-
„ ne ad nos transmissa, quæ tamen Aposto-
„ lorum moribus & primorum sæculorum
„ observantiæ directe repugnant; eadem Cu-
„ ria, ex præconceptis infundatis principiis
„ renuit se submittere duabus prioribus, in
„ id intentis, ut illam sacris Canonibus,
„ & per naturale consequens Ecclesiam in-
„ stituto Christi conformem redderent; ado-
„ ptatum a Curia systema Scripturæ, &
„ Canonibus adversum; primarum universa-
„ lium Synodorum sacratissimos canones suf-
„ focavit; certissima fundamenta posuit,

„ quod

„ quod Evangelicam a Chriſto inſtitutam, „ & ab Apoſtolis obſervatam diſciplinam „ eradicavit; ſacroſanctas Eccleſiæ regulas „ abolevit. Anathema, anathema ſit, qui iſthæc tam procaciter adfirmat, dicerent dubio procul *Tridentini* Patres; *tamquam hæreticus arceatur*, inclamarent *Conſtantienſes*, Licet autem quæ hactenus expoſui, invicte id oſtendant, eo tamen confidentius hoc adſero, quod mihi in hac ſententia præeuntem habeam Illuſtriſſimum *Languetium Senonenſem* Archiepiſcopum in tertia ad Senatus *Pariſienſis* Conſiliarium epiſtola, ubi diſerte „ ait, *errorem eſſe immo expreſſam hæreſim*, ſi„ quis dixerit in rebus tantummodo fidei, non „ autem in ipſis inſtitutis moribuſque divi„ nam ſapientiam Eccleſiæ præſto eſſe. Nam „ & Apoſtoli in *Hieroſolymitani* Concilii de„ creto, quod ad diſciplinam æque ac do„ gma ſpectabat, viſum quod ſtatuerant, „ *Spiritui Sancto* teſtati ſunt, & Chriſtus A„ poſtolos quum ſe uſque ad *conſummationem* „ *ſæculi* cum ipſis *futurum* promiſit, juſſit „ non ſolum docere, ſed quæ præſcripta a „ ſe fuerant, perficienda curare: *docentes* „ *ſervare eos quæcumque mandavi vobis* (30):

V.

(30) *Inſtruct. Paſtor. contenant une troiſieme lettre ec.* pag. 5. " C' eſt une erreur, mème une *hèrèſie formelle*, „ de dire, que l' Egliſe n' eſt point aſſiſtèe par la ſageſſe „ divine *dans ſa conduite*, mais ſeulement dans ſa foi; „ puiſqu' il eſt prononcè par le Concile de *Jèruſalem* dans

„ le

V. Equidem intelligo quid respondere *Febronius* fortasse posset, Pontificem quidem *Romanum* hæc tam nefaria mandasse; sed numquam Ecclesiam ei adsensisse; hæresis autem crimen ad eos tantum spectare, qui Ecclesiam, non unum Pontificem errori obnoxium tantæ perversitatis insimulent. Verum ut hoc *Febronio* daremus, fierine posse quis credat, & impune adserat, ut Christus Ecclesiæ suæ caput per tot sæcula a recta fide, bonorumque institutorum disciplina aberrare permiserit? An id cum Sedis *Romanæ infallibilitate*, quam *Bossuetius* inficiari quemquam salva traditione non posse intellexit, umquam concilietur? Ne summum ipsum Pontificem ασφαλειας privilegio potiri fateretur, illud *Romanæ* tamen Sedi adsereret, ad fidem *Petri*, quæ si in uno Pontifice deficeret, mox vel in eo ipso, vel saltem in successoribus revivisceret, *Bossuetius* confugit. Verum hanccine anchoram *Febronio* liceret adripere, si Fidem *Petri* a multis jam sæculis in *Romanis* Pontificibus exstinctam deplorare deberemus, quemadmodum necesse esset, si disciplinam a

le decret qui regle ensemble le dogme & la discipline, *Il a plù au Saint Esprit & a Nous. Visum est Spiritui Sancto & Nobis.* Et quand Jesus-Christ promit son assistance aux Apôtres, il leur ordonne non seulement d' enseigner, *mais aussi de faire exècuter tout ce qu' il leur avoit prescrit*, menaçant de la damnation ceux, qui ne leur obeiroient pas: *docentes eos servare quæcunque mandavi vobis.*

Christi institutione, Apostolorumque moribus abhorrentem dedita opera ursissent? Sed revera nihil exploratius est, quam universam Ecclesiam non solum tacito, sed expresso consensu disciplinam a Pontificibus propositam adcepisse. Ait quidem *Febronius* (31) adversus *Isidorianas* decretales sæculo IX. *Hincmarum Rhemensem*, sæculo X. *Arnoldum* II. Episcopum *Aurelianensem*, & *Gerbertum* pugnasse; sæculo XIV. *Guillielmum Maiorem* Episcopum *Andegavensem* decretum *Gratiani*, & decretales velut *siliquas porcorum & panes furfureos modernorum* in Synodo diœcesana a. 1312. suggillasse (32). Præter hos " multi viri docti, inquit (33), anti-
" quam sanamque zelantes disciplinam, non
" cessabant de novis his corruptelis dolere,
" atque Episcopalium jurium eversionem
" denunciare publico. Hoc fecere bini Epi-
" scopi *Carnotenses*, S. *Ivo* in epist. 110. ad
" Papam *Paschalem* II., & *Johannes Sarisberiensis* in suo *Policratico* lib. VII. Cap.
" 21. *Arnoldus* Episcopus *Lexoviensis* Epist.
" 71. ad Papam *Alexandrum* III. *Hildebertus*
" Episcopus *Cenomanensis*, postea Archiepi-
" scopus *Turonensis* Epist. 47. *Robertus* Epi-
" scopus *Licolniensis* in Responso ad Papam
" *Innocentium* IV. quod descripsit *Matthæus*
" Pa-

[31] T. *I. cap. VIII.* §. 4. *n.* 1.
[32] T. *I. cap. V.* §. 3. *n.* 8. *pag.* 295.
[33] T. *II. pag* 302.

„ *Parisius* in sua Historia ad annum 1253.“ Verum ad *Hincmarum* quod adtinet, supra ex *Nicolao* I. adcepimus, quam parum in repudiandis, quæ nuper productæ fuerant, *Isidorianis* decretalibus sibi constans is fuerit, quamque levi illas argumento rejecerit. De reliquis vero ne singulos inani labore expendam, id universim dictum velim, eos in quasdam consuetudines, quæ non ex ipso *Isidoriano* jure, sed ex hujus abusu irrepserant, invectos fuisse. Sufficiat in *Guillelmi Andegavensis*, & *Ivonis*, quos *Febronius* inter ceteros appellat, mentem adcuratius inquirere. “ Quatuor, inquit ille [34], principalia generalia Concilia, & alia deinceps „ habita; nec non decreta summorum Pontifi„ cum, quæ ad reformationem Ecclesiæ & in„ formationem vitæ humanæ, maxime clerica„ lis, pro varietate temporum & factorum, „ seu rerum exigentia, instinctu Spiritus San„ cti divinitus successerunt. Quæ quidem di„ cta Sanctorum Patrum, & statuta Concilio„ rum, maxime principalium quatuor, de„ cretaque summorum Pontificum si ad inte„ grum servarentur, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ „ & Fidei orthodoxæ stabilimentum, instru„ ctionem morum; repressionem criminum, „ propagationem virtutum procul dubio „ sufficere viderentur, nec opus esset o„ nerosa novorum multitudine statutorum

[34] apud Dacherium *Spicileg.* T. XI. pag. 258.

„ humeros premere ſubditorum, quum mul-
„ titudo oneroſa nihil habere dignoſca-
„ tur honeſti. Verum quia multa de præ-
„ dictis ſtatutis Conciliorum, & decretis
„ Summorum Pontificum tam propter negli-
„ gentiam Prælatorum, quam propter abu-
„ ſum ſubditorum & corruptionem in diſſue-
„ tudinem abierunt, & alias nullo modo
„ ſervantur, ſed petulantia & inſolentia ani-
„ morum indomitorum, & maxime clerico-
„ rum, temere corrumpuntur, & damnabili-
„ ter violantur; Idcirco eadem Sancta ſtatu-
„ ta revocare, renovare & in lucem redu-
„ cere eſſet perutile toti mundo, & panes
„ ſimilageneos Sanctorum antiquorum Pa-
„ trum mentis adponere filiorum potius,
„ quam ſiliquas porcorum, & panes furfu-
„ reos modernorum." Unus *Febronius* iis verbis *nec opus eſſet oneroſa novorum multitudine ſtatutorum* videre potuit a *Guillelmo* reprehenſas *collectiones decretorum, & decretalium tunc ſatis recentium*; unus recentiores canones intelligere potuit a *Guillelmo* SILIQUAS PORCORUM, ET PENES FURFUREOS MODERNORUM. Ubi enim *Guillelmus* indicat, ſe ita criticæ artis peritum fuiſſe, ut *Iſidoriana* Pontificum decreta reſpueret? aut adeo antiquitatis ſtudioſum, ut recentiores eorundem *Romanorum* Pontificum Conſtitutiones nihili faceret? Generatim ait: *nec non decreta Summorum Pontificum, quæ ad reformatio-*

nem Ecclesiæ & informationem vitæ humanæ, maxime clericalis, pro varietate temporum & factorum, seu rerum exigentia, instinctu Spiritus Sancti divinitus successerunt. Quæ sane æque de *Isidorianis* nisi *Guillelmum* in illarum ea jam ætate dignoscenda fraude criticorum principem facias; æque de *Gregorianis* atque de antiquissimis intelligi par est. *Siliquas* autem *porcorum & panes furfureos modernorum* eum vocasse suæ ætatis canones tantæ malignitatis est confingere, quantæ fuisset ille impudentiæ, si vocasset. Itaque multo verisimilius, ipsique *Guillelmo* honorificentius existimarit, qui dixerit, iis nominibus voluisse *Guillelmum animorum indomitorum, & maxime clericorum* effata carpere, quibus *abusum & corruptionem, unde panes similagenei Sanctorum antiquorum Patrum in desuetudinem abierant, petulantia, & insolentia* tueri conabantur. Hæc dicta sunto, quin a *Guillelmi* verbis ab ipso *Febronio* prolatis discedamus. Sed tantisper *Dacherii* spicilegium, unde *Febronius Guillelmi* Synodum produxit, consulamus. O rem ridiculam! *Guillelmus* ille, quem *Febronius* veluti *Gratiani* decretum & *Gregorii* IX. decretales, atque adeo *Isidorianas* merces inter *siliquas porcorum* ablegantem appellat, in ea ipsa diœcesana Synodo a. 1312. non solum *Nicolai* I. (35), quem *Isidorianas* epistolas obtrusisse idem *Febronius*

[35] *Spicileg. l. c. pag.* 261.

contendit, & *Bonifacii* VIII. (36) utique non antiquissimi inter Pontifices, sed etiam *Silvestri* (37) & *Calixti* (38) decreta ex *Isidoro* mutuata proponit; idemque in Synodo a. 1294. *Fabiani* secundam ad omnes *Orientales* epistolam ex *Isidoro* depromptam laudaverat (39). Et putabimus *Guillelmi* vota, quæ *Febronius* (40) *bona* & *sancta* appellat, eò spectasse, ut jus Canonicum ab *Isidorianis* fraudibus, a recentium Pontificum, qui illis innixi erant, decretis purgatum, atque ad antiquos tantum Canones exactum haberemus? *Febronius* se deinceps in citandis auctoribus aut cautiorem, aut sinceriorem præbeat nisi rideri velit. *Ivonem* porro quis nesciat decretum suum præcipue ex *Isidorianis* Epistolis contexuisse? Ipse id *Febronius* fatetur, *ex hac collectione* Isidori, inquiens (41), *magna ex parte Sæculo XI. compilatæ sunt Collectiones Canonum* Burchardi Wormatiensis, & IVONIS CARNOTENSIS. Quomodo ergo *Ivo antiquam sanamque zelans disciplinam non cessasset de novis his corruptelis, quas falsi* Isidori *Canones* invexerant, *dolere, atque Episcopalium Jurium eversionem denunciare Publico?* Alio igitur spectabat *Ivo* quam ut *Isidorianum* jus, quod ipse

[36] *ibid. pag.* 262.
[37] *ibid. pag.* 260.
[30] *ibid. pag.* 261.
[39] *ibid. pag.* 239.
[49] *T. I. pag.* 269.
(41) *T. II. pag.* 300.

ipſe in ſuo decreto ſervandum propoſuerat, in invidiam vocaret,

VII. Quamquam fac omnes quos *Febronius* indicat, in Jus Canonicum *Iſidorianum* ac *Gregorianum* inſurrexiſſe. Quid quæſo hi ſunt cum ceteris totius orbis Chriſtiani Epiſcopis, qui illud vel diſerte adprobarunt, vel tacito tantum conſenſu confirmarunt? Certe *Iſidorianas* epiſtolas paſſim in omnibus Canonum collectionibus, quæ ante *Gratianum* contextæ ſunt, receptas videmus, ut præter *Burchardum*, & *Ivonem*, in additione quarta ad *Benedicti Levitæ* capitularia ab *Erchembaldo Lotharii* I. Cancellario parata (42), in collectione Ms. *Sorbonico Mutinenſi*, cujus *Mutinenſem* Codicem in Bibliotheca hiſtoriæ litterariæ *Piſaurenſibus* typis excuſa deſcripſi (43); in *Reginonis* libello de *Eccleſiaſticis diſciplinis*, in collectionibus denique *Anſelmi Lucenſis*, Cardinalis *Deuſdedit*, *Bonizonis Sutrini* Epiſcopi, aliiſque, quas in Mſſ. Codicibus detectas erudite *Ballerinii* percenſent (44). Tot Canonum collectiones ubivis gentium diſſeminata ſatis oſtendunt, nihil ex *Iſidorianis* mercibus timuiſſe ſibi & Chriſtianæ diſciplinæ non ſolum illarum Auctores ſed Eccleſias ipſas, apud quas in uſu fuere. Verum ad *Gratiani* decretum nos convertamus.

(42) Vide Ballerinios *Tract. de ant. Collect. pag. CCLXXXIV.*

(43) Confer eoſdem Ballerinios *ibid. pag. CCLXXXVI.*

(44) *l. c. p. IV. cap.* 18.

“ Neque inter fines *Italiæ* inquit *Zallwein*
„ (45), uſus, æſtimatio, & auctoritas hu-
„ jus decreti contineri poterat, ſed ad ex-
„ teras etiam Nationes ſe ſe diffundebat, at-
„ que in ipſa Academia *Pariſienſi* tunc tem-
„ poris celeberrima adhuc labente ſæc. XII.
„ vel certe ad initium ſæc. XIII. uſum ſcho-
„ larum obtinuit. Ab illo tempore uſus il-
„ lius fuit communis in omnibus ſcholis pu-
„ blicis, eidem enucleando & explicando om-
„ nes Doctores inſudarunt, illud Gloſſis, in-
„ terpretationibus illuſtrarunt, & tantum effe-
„ cerunt, ut etiam auctoritatem in judiciis
„ publicis ſortiretur . . . . . Anxie profecto
„ eo tempore conquirebantur a Pontificibus,
„ Imperatoribus & Epiſcopis *Decretiſtæ*, &
„ *Legiſtæ:* ad hos velut ad oraculum Delphi-
„ cum provocabatur in cauſſis difficillimis,
„ ab his petebantur deciſiones in controver-
„ ſiis, illorum deciſionibus ſtabant litigan-
„ tes, illorum interpretatio reputabatur au-
„ thentica. Neque hæc praxis obtinuit ſo-
„ lum in *Italia*, & *Gallia*, ſed etiam in *Ger-*
„ *mania*; nam ad celeberrimam Academiam
„ *Bononienſem Germanos* quoque adceſſiſſe, &
„ ſtudio *decreti* operam dediſſe eo minus du-
„ bii habet, quod ex *Arnaldo* Abbate *Lu-*
„ *becenſi* (46) conſtet, *Danos* quoque illuc
„ confluxiſſe, & *Decretiſtis* docentibus operam
„ de-

(45) T. II. *princip. Jur. Eccleſ. pag.* 283.
(46) *Lib. III. Chron. Slav. cap.* 5.

„ dediſſe. Et quis dubitet inter tot millia „ *Bononiæ* & *Pariſiis* ſtudentium non plures „ fuiſſe *Germanos?* Ulteriori teſtimonio eſt, „ quod *Johannes Semeca* vulgo *Teutonicus* Præ- „ poſitus ad *S. Stephanum Halberſtadii* in il- „ lud Decretum Gloſſas & commentarium „ Sæc. XII. ſcripſerit ampliſſimum, in quo „ ceterorum interpretum Gloſſas corrigere, „ & in melius reformare adgreſſus eſt, ea „ laude, ut de ipſo ſcribere non dubitent, „ Gloſſatorem hunc id præſtitiſſe per ſuas „ Gloſſas in *decreto*, quod *Accurſius* præſti- „ tit in *Pandectis* (47). Et quis neſcit, „ *Fridericum* Barbaroſſam in ſuo comitatu „ habuiſſe *Legiſtas* & *Decretiſtas?* De *Henri-* „ *co* VI. teſtantur Scriptores, quod utrique „ Juri operam navaverit. Epiſcopos quoque „ & Archiepiſcopos *Germaniæ* in ſuis tribu- „ nalibus foviſſe *Decretiſtas*, illorumque „ conſiliis fuiſſe uſos in regimine ſuarum „ Eccleſiarum vel ex ſolo *Johanne Semeca* „ *Teutonico* ſupracitato conſtat, ut de praxi „ nihil dicamus (48) . . . Praxim (49) hu- „ jus decreti confirmarunt Imperatorum „ Conſtitutiones conſenſu ordinum Imperii „ latæ, quarum unam ſub *Friderico* II. an- „ no 1236. emanatam exhibet *Goldaſtus*: al- „ teram prioris confirmatoriam de anno

„ 1281.

[47] Bohemerus *ad Tit. de Conſtit.* §. 30.
[48] Vid. Bohemer *in Præfat. ad decret.* Gratiani.
[49] *ibid. pag.* 384.

„ 1281. ſub *Rudolpho* datam refert *Lehman-*
„ *nus* . . . . Eadem fata (pergit *Zallweinius*
„ vel adhuc longe meliora obtigerunt decre-
„ talibus *Gregorii* IX.; de quibus eo minus
„ ſupereſſe dubium poteſt, quanto certius eſt,
„ quod auctoritate Pontificum fuerint pro-
„ mulgatæ, adprobatæ, & per orbem uni-
„ verſum diſperſæ, illarumque uſus per Ca-
„ noniſtas, qui tunc in maximo erant nu-
„ mero, in omnibus ferme tribunalibus in-
„ valuerit. In tantam *decretales* adſcenderunt
„ auctoritatem, ut obſtetricantibus Epiſco-
„ pis ab Imperatoribus *Friderico* II. & *Ru-*
„ *dolpho* publico Ordinum decreto Sæc. XIII.
„ fuerint confirmatæ, qualis honor Juri Ci-
„ vili *Romano*, etiam ubi fora *Germaniæ* oc-
„ cupaverat, contigiſſe oſtendi nequit. In-
„ de fortaſſis etiam venit, quod Jus Cano-
„ nicum etiam primatum ſuum præ jure
„ Civili ſemper habuerit, & retinuerit." Velim equidem, iſta pacatiore animo *Febronius* conſideret; intelliget univerſam Eccleſiam in *decreti* & *Gregorianarum decretalium* diſciplinam conſpiraſſe, licet interdum nonnulli ob ſua privata incommoda de abuſibus conqueſti fuerint. Tum enim vero tot contumeliis hanc diſciplinam oneraſſe eum pœnitebit, quæ demum in ipſam Eccleſiam per ſummum nefas derivantur.

VIII. Quod ſi nihil in *Gregorianarum* decretalium diſciplina eſt, quod cum naturali

& po-

& *positivo* divino jure confligat, idque si quis pervicaciter negaret, hæreseos notam haud diffugeret, ut hactenus demonstravimus; quid caussæ esse potest, cur *Febronius* novum Juris Canonici Corpus optet componi? Nam quæ a primæva disciplina in Ecclesiam introducta sunt discrepantia, utique ex legitima potestate, atque in rebus, quæ mutationi per se obnoxia erant, profecta novimus a *Romano*, inquam, Pontifice, adcedente ipsius quoque Ecclesiæ consensu. Vide enimvero quid in *Constantinopolitana* Ecclesia jamdiu contra avitam disciplinam invaluit. " Hujus Episcopus, inquit *Ballerinius*
" (50), ante medium sæculum quartum e-
" rat simplex *Heracleensis* Metropolitæ suf-
" fraganeus, qui nullo jure in alium quem-
" piam Antistitem fruebatur. Canones *Nicæ-*
" *ni* caverant, ut Patriarchalibus & aliis
" præstantioribus sedibus sua jura conserva-
" rentur. Quum porro Imperialis sedes con-
" stituta fuisset *Constantinopoli*, & idcirco
" hæc urbs, *Romanæ* æmula, *junior Roma*
" appellari cœpisset; anno 381. in CP. Syno-
" do I. hujus Episcopo decretus fuit *honoris*
" *primatus post* Romanum *Episcopum*, *propte-*
" *rea quod urbs ipsa sit junior Roma*. Hæc
" erat prærogativa meri honoris & ordinis,
" non juris. Sensim vero concurrentibus ex
" toto *Oriente* ed eam urbem, in qua Im-
" pera-

(50) *de potest. Eccles. pag.* 203.

„ perator residebat, pluribus Episcopis ob
„ varias occasiones & caussas, perfacile fuit
„ ibidem Episcoporum eo confluentium sy-
„ nodos cogere, in quibus difficiliores &
„ graviores quæstiones cognoscerentur atque
„ definirentur, & ordinationes quoque Epis-
„ coporum adsentientibus metropolitis, &
„ Imperatoribus adnuentibus, ab ejusdem
„ urbis Antistitibus peragerentur. Ita non
„ solum *Nestorius*, sed etiam *S. Johannes*
„ *Chrisostomus*, *Atticus*, *Sisinius* & *S. Proculus* *Constantinopolitani* Præsules de Episco-
„ porum caussis & appellationibus ex variis
„ *Orientalibus* provinciis ad se delatis passim
„ judicarunt, & aliquot etiam Episcoporum
„ ordinationes fecisse leguntur; quæ quum
„ nullo jure antiquorum Canonum effici ab
„ ipsis possent, suffulciri & defendi cœperunt
„ ex memorato Decreto Concilii CP. *primi* ...
„ Huic quidem novitati novoque juri, quod
„ opponebatur antiquo firmato canonibus
„ *Nicænis* totius Ecclesiæ reverentia conse-
„ cratis, & præjudicio erat aliis Metropo-
„ litis & patriarchis, S. *Leo* Papa fortiter
„ restitit. At idem jus, consentientibus iis
„ quorum intererat, & Sanctorum quoque
„ Episcoporum usu, Conciliique *Chalcedonensis* decreto adprobatum, sensim obti-
„ nuit, ac *Nicæno* Canoni, & antiquo ju-
„ ri, *Romanis* Episcopis non amplius repu-
„ gnantibus, tandem præscripsit, adeout,

„ licet

„ licet novæ prærogativæ ſubinde *Conſtan-* „ *tinopolitanis* adceſſerint , de iſtorum jure „ nemo amplius dubitet ; neque in Conci- „ lio *Florentino* mota fuerit de hoc ulla „ quæſtio , nec nunc moveretur , ut arbi- „ tror , ſi CP. Patriarchæ , ad unitatem Ec- „ cleſiæ redeuntes , eadem jura vellent reti- „ nere " . Ipſa igitur antiqua Eccleſia jus novum adverſus Canones conſtitui a ſe ad- mittique poſſe multo ante *Iſidorianas* decreta- les credidit , eaque uſa eſt poteſtate . Quid ergo *Febronius Gregorianam* diſciplinam car- pit ? Quod ſi , ut recte idem *Ballerinius* a- nimadvertit (51) , quædam ex apocryphis documentis obtinuere ; " non idcirco falſum „ jus illud eſt dicendum , quod ex falſis „ fontibus originem , ſeu incrementum , aut „ propagationem faciliorem habuit . Neque „ enim ea recentior diſciplina ex ipſis ſup- „ poſititiis documentis juris vim & auctori- „ tatem conſequuta eſt , ſed ex illa Eccle- „ ſiaſtica poteſtate , quæ eamdem novam di- „ ſciplinam recepit confirmavitque . Hanc „ quicumque damnaret tamquam falſum jus „ & corruptelam , damnare deberet ipſa „ Concilia non ſolum particularia , ſed et- „ iam œcumenica temporum poſteriorum , „ ac præſertim *Tridentinum* , quorum diſci- „ plina , in pleriſque capitibus conſtituta , „ non eſt antiquorum canonum jus , quod „ unum

[51] *ibid. pag.* 198.

„ unum Febronius *jus verum & genuinum* „ *vocat*, ſed eſt diſciplina poſterius inducta, „ & pro varietate circumſtantiarum mitiga„ ta, atque mutata, & ſolum contra irre„ pentes abuſus & corruptelas opportunis „ remediis munita".

IX. At ſaltem, inquiet *Febronius*, recentiore multo melior, ac purior erat vetus diſciplina. Quidni ergo hæc ſit revocanda? *Febronii* ſtatim adverte fraudes. Veteris ille diſciplinæ inſtaurationem urget, ſed in iis ſolis capitibus, quæ ad Epiſcoporum & Metropolitanorum jura in priſtinum revocanda, & ad ſpoliandam reditibus *Romanam* Curiam pertinent. At cur pro aliis plurimis antiquæ diſciplinæ capitibus, quæ ſane meliora erant, reſtituendis nihil laborat? Cur electiones Antiſtitum populi juri non reddantur? Cur publicam pœnitentiam non inſtauremus? Cur Beneficia Eccleſiaſtica non tollantur de medio, reſque omnes Eccleſiæ ad Epiſcopos devolvantur, qui reditus ex Canonum præſcripto quatuor in partes tribuant? Cur Vicarii Apoſtolici non conſtituantur in *Galliis*, in *Hiſpania* &c.? Cur decretum *Frequens Conſtantienſis* Concilii, pro quo tam tamquam pro aris & focis pugnat *Febronius*, non abrogetur? Numquid enim antiqui Canones generalia Concilia ſingulis celebranda decenniis ſanxerunt? Abuſus ne in Eccleſia ſubnati ſunt ſolum ob antiquum

„ facul-

facultatum exercitium & jus Episcopis ac Metropolitis ereptum? Quid vero si ne Episcopis quidem, ac Metropolitis pristinæ auctoritati restitutis omnibus abusibus aditus præcludatur? " Nonne, inquit *Ballerinius* (52)
„ ob abusus, qui sub ipsis irrepserunt, &
„ invalescebant, aliquot facultatum limita-
„ tiones, aut restrictiones utiles, vel neces-
„ sariæ habitæ sunt? . . . . Quid porro, per-
„ git idem *Ballerinius*, si renovari non pos-
„ sit antiqua canonum disciplina, quin ex
„ restitutione in integrum majora scandala
„ & scissuræ gravissimæ prudenter timean-
„ tur? Ad ædificationem & bonum Eccle-
„ siæ pertinent non solum illa, quibus uti-
„ litati vel necessitati ejusdem prospicitur,
„ verum etiam illa, quibus malum impe-
„ diatur, & grave aliquod scandalum, quod
„ ex usu quantumvis per se bono vel etiam
„ meliori potestatis metuendum esset, Cave-
„ re enim a malo species boni est; & ad
„ bonum Ecclesiæ referendum, si non pro-
„ curetur aliquod bonum, quod sine ma-
„ jori damno obtineri non potest . . - Hoc
„ autem ex principio quis non intelligit
„ quam perperam suo in opere contendat
„ *Febronius* restituendam antiquorum Cano-
„ num disciplinam; Ob hanc restitutionem
„ nonne abolenda penitus essent privilegia
„ exemptionum insignium Capitulorum, &
„ Re-

(52) *l. c. pag.* 206.

„ Regularium, quæ non exiguam diœceſeon „ portionem ſubtraxerunt Epiſcopis, reſcin- „ denda concordata, quibus Principibus con- „ ceſſa fuerunt nonnulla olim Epiſcoporum „ aut Metropolitarum propria, aliæque per- „ vulgatæ conſuetudines eſſent mutandæ, „ quæ cum antiquorum jurium Epiſcopalium „ aut Metropoliticorum detrimento a pluri- „ bus ſæculis obtinent, nec ſine multorum „ offenſione mutari queunt? Hæc ſi abſque „ magno ſciſſurarum periculo fieri non poſ- „ ſunt, quis in Eccleſiæ ædificationem *Fe-* „ *bronii* conſilium cedere exiſtimet, & non „ potius in deſtructionem? " Quid quod ad antiquos mores revocari non poſſumus, niſi Synodorum Provincialium reſtituatur auctoritas? At prudens ne quispiam ſerio ſibi futurum ſuaderet ut in hac temporum conditione liceat Epiſcopis Provincialia Concilia ex veteri more quotannis habere? quine diœceſanas quidem Synodos celebrare permittantur? Quæ timendæ difficultates? quæ Sacerdotii & Imperii diſſenſiones? quæ leges Eccleſiaſticarum Synodorum libertati adverſantes? Fac tamen ejuſmodi Concilia cogi libere poſſint. Audebit ne ulla Provincialis Synodus Epiſcopum damnare poſt tot turbas, quas *Ebredunenſe* Concilium ob judicatam *Senecienſis* Epiſcop- cauſſam in *Galliis* excitavit? Credat mihi *Febronius*; facile iſta dicuntur: *antiqui Canones revocantor*; ſed heu! quam

quam difficile, & periculosum est id reapse præstare. Hac mente optimi Pontifices in Sanctorum quoque album relati, qui ab omni *despotico* dominatu, & *superbiæ typho* alienissimi, ædificationi Ecclesiæ pro viribus studebant, nec non Cardinales & Episcopi sanctitate morum & zelo disciplinæ commendatissimi, qui ipsis Pontificibus aderant, ut S. *Carolus*, a restituendo Episcopis & Metropolitis antiquo facultatum usu, de quo aliquando non levis fuit disputatio, abstinendum duxere. " Horum auctoritas, in„ quit non immerito Ballerinius (53), ra„ tionibus jam adlatis fulta, majorem a„ pud me auctoritatem habet, & apud omnes „ æquos rerum æstimatores habere debet, „ quam quæcumque a *Febronio* fallacissimis „ sui systematis principiis ducto ingeruntur.

X. Ergo actum erit de voto; quod *Febronius* exponit his verbis [54]? *Nonne præstaret hujusmodi compilationes* (Canonum *Gratiani & Gregorii* IX.) *ad honorem S. Sedis* (o egregium honoris S. Sedis curatorem!) *oblivioni tradere*, *subrogato* PURO *Canonum corpore*? Equidem nisi admodum fallor, conclamatum erit. Quod si quæ hactenus persequuti sumus, nos non docerent, vel illud argumento esse deberet PURUM *canonum corpus* a *Febronio* desiderari. Quid autem hoc no-

(53) *l. c. pag.* 209.
(54) T. *II. pag.* 436.

nomine (utique *ad honorem S. Sedis*) postulat? Audiamus. " Ergo, inquit (55), de-
„ ponatur *Isidorus*. Quum autem in perso-
„ na deponi amplius non possit, deponatur
„ in opere suo. Sic autem opus ejus depo-
„ natur, ut quum illud e *Gratiani* decreto
„ eraditur, ejus spiritus non supersit in re-
„ liquo Corpore Juris Canonici, ut non re-
„ maneat in Ecclesia; ceteroquin frustranea,
„ quin & nulla foret *Isidoriani* operis depo-
„ sitio ". *Isidori* porro spiritus, qui *ne supersit in reliquo Corpore Juris Canonici*, caveri maxime *Febronius* jubet, est *Reipublicæ Christiano Ecclesiasticæ forma Monarchica* (56). At dum Christi oraculum stabit (stabit autem *usque ad consummationem sæculi*) *Febronio edico*, *Spiritus hic Isidorianarum* decretalium in Jure Canonico semper supererit; formam enim Monarchicam, quam *Isidorus* ubique inculcat, Christus ipse instituit, quemadmodum suo loco docuimus. Numquam ergo fieri poterit, ut *purum* habeamus *Canonum* corpus, si ut ejusmodi sit, ab illo excludi Monarchicam Ecclesiæ formam oporteat.

XI. Porro hoc *purum Canonum corpus* quomodo *Febronius* componeret? Habeo. Reducatur, inquit (57), *disciplina & regimen Ecclesiæ*

(55) *ibid. pag.* 434.
(56) T. I. *Cap.* III. §. 9. *pag.* 198.
[57] T. *II. pag.* 553.

clesiæ *juxta votum ac desiderium* Tridentinorum *Patrum ad terminos* QUATUOR PRIMORUM CONCILIORUM , *& omnia salva erunt* . De *Tridentinis* Patribus mox videbimus . Illud equidem gratularemur *Febronio* , quod Jus Canonicum magno emptorum commodo paucis paginis comprehendendum proponat, nisi multis aliis , eisque gravioribus de caussis ipsi dolendum videremus . Demus enim *disciplinam*, *& regimen Ecclesiæ ad terminos quatuor primorum Conciliorum reduci* .*Omniane* (illa, inquam , quæ *Febronius* maxime urget) *salva erunt?* Num quidquam in primis illis quattuor Conciliis invenire est, qua Monarchica Ecclesiæ forma, & *Romani* Pontificis in universam Ecclesiam veræ & propriæ, cogentisque jurisdictionis Primatus convellatur? Cur siquid ejusmodi *Febronius* in illis repetit, non illud nobis indicavit? Deinde quæso cur ad *terminos quatuor primorum Conciliorum* revocanda est disciplina? Num quæ consequuta sunt Concilia, non eamdem quam prima, habuerunt, condendarum legum auctoritatem? Num in illis se se explicatius prodidit *Romanorum* Pontificum dignitas ac potestas, ut propterea *Febronius* illa cum *Isidoro deponi* velit? Num ad quattuor prima Concilia rem redigi cupit, ut *Tridentinum* Concilium, cujus se maxime hostem ubique *Vigorii* sui exemplo patefacit, tandem amoveatur? illud, inquam, Concilium,

de quo non solum *Duvallius* egregius Sorbonicæ facultatis Doctor (58), sed etiam Cardinalis *Richelius* in sermone quem a. 1615. ordinum generalium *Parisiis* coactorum nomine ad Regem *Lodovicum* XIII. habuit, summis laudibus prædicavit [59].

XII. Sed & illud velim, *Febronius* animadvertat, paucis hocce suum Canonum Corpus ex primis quattuor Conciliis probatum iri. Fortasse unum sibi suffragatorem inve-
niet

(58) *De discipl. Eccles. p.* III. *q.* 7. *pag.* 406. " Quum e-
„ enim non solum coactum fuerit hoc Concilium ad fi-
„ dem contra hæreticos stabiliendam & confirmandam, sed
„ etiam ad depravatos mores fidelium emendandos & re-
„ formandos, & in eo multa utiliter in utrumque finem
„ a patribus decreta fuerint, illius receptio & observatio
„ non potest, non mexime disciplinam Ecclesiasticam toto
„ orbe quasi collapsam & pene destructam restaurare &
„ promovere. Sane vero in quibus regionibus sacrosanctum
„ illud Concilium receptum est, & observatum, nova
„ quædam Ecclesiæ facies & splendor statim emicuit, tan-
„ ta hæreseon detestatio, tanta divini numinis observan-
„ tia, tanta morum compositio, tantaque sanctitas sequu-
„ ta fuit, ut has omnes cœlestes benedictiones in *Galliam*
„ cumulatissime descensuras crederem, si hujus sacratissimi
„ Concilii decreta reciperentur, & observarentur."

(59) " Toutes sortes de considerations la convient a
„ recevoir, & faire publier ce saint Concile . . . . la bon-
„ tè de la chose; nous offrans a justifier, qu' il n' y a
„ rien en ce Concile, qui ne soit tres-saint. L' autoritè
„ de sa cause; puis qu' il est fait par l' Eglise universel-
„ le, dont l' autoritè est si grande, que sans elle Saint
„ *Augustin* ne veut pas croire a l' Evangile. La saintetè
„ de sa fin; puisqu' elle n' est autre que la conservation
„ de la Religion & l' ètablissement d' une vraie discipline
„ en l' Eglise. Le fruit, que produisent ses Constitu-
„ tions; puis qu' en tous les pais, qui l' observent, l'E-
„ glise subsiste avec regle."

niet *Rhemensem* Archiepiscopum *Carolum Mauritium Tellerium*; in eo enim instrumento, quo se se Ecclesiæ *Cameracensis*, olim *Rhemensis* Provinciæ, ad Metropoliticam dignitatem evectioni opponere edixit die 4. Februarii anno 1678. " declarat *Gallias* auctoritatem semper æqualiter potentem, & " venerandam *quattuor primorum Conciliorum* " *habere tamquam unicum*, *&* *inconcussum suarum libertatum fundamentum*. " At alii longe plures improbabunt. *Gallos* tantum nominabo. Improbabit *Guillelmus Major Andegavensis* Episcopus, quem paulo antea nobis ab ipso objectum vidimus; commendat enim *quattuor generalia Concilia*, sed etiam addit ALIA *deinceps habita*; *nec non decreta summorum Pontificum*. Improbabit *Calvinianus Christophorus Justellus*, qui in epistola ad *Jacobum Lescbasserum*; *veterem* quidem esse ait in *Senatu* Parisiensi *sententiam* libertatem Ecclesiæ Gallicanæ *quattuor primis Conciliis œcumenicis contineri*, *sed maxime* his quattuor, tum & *iis*, *quæ ab illis confirmata sunt*; fatetur simul *in jure* COMMUNI *antiquo* (quod certe solis quattuor primis Conciliis generalibus non constabat) *positam esse* eam libertatem, *ab omni ævo Reges Episcopos*, *Regni ordines*, *totam denique Galliam adfirmasse*. Improbabit *Johannes Gerbasius*, qui in confixo *Romæ* tractatu *de caussis majoribus* (60) *Canones antiquos* (non quattuor

(60) *Art. II.*

primorum Conciliorum generalium) *Veterumque* præterea *Patrum sententias* veluti Gallicanarum libertatum fundamentum appellat. Cum primis autem improbabit Illustrissimus de *Marca*, qui quam libertatum *Gallicanarum* definitionem dederat, ut essent nempe *usus antiqui juris communis*: explicaturus ita loquitur (*61*). " Libertatem Ecclesiæ *Gallica-*
„ *næ*, Canonum & juris communis exequutio-
„ ne contineri diximus. Sed jus illud cóm-
„ mune varie sumi potest: aliud est enim
„ jus commune antiquissimum, quod anti-
„ quos Canones, & decreta Pontificum am-
„ plectitur, aliud jus commune, quod illis
„ Canonibus, & præterea decretalibus recen-
„ tioribus Pontificum constat, prout apud
„ nos usu recepto temperatæ sunt. Hoc ul-
„ timo jure libertatem Ecclesiæ *Gallicanæ*
„ contineri contendimus, non autem pri-
„ mo. " Disertius vero alio loco (*62*): "
„ libertatem, inquit, in recto antiqui &
„ novi juris usu constituimus, necessariasque
„ nostro sæculo decretalium definitiones,
„ quæ novis negotiis prospexerunt; non ab-
„ sque manifesta ratione existimamus. Non
„ alia mens est aut B. *Lodovici*, aut *Caroli* VI.
„ & totius Ecclesiæ *Gallicanæ*, quum liberta-
„ tem Ecclesiæ in *jure communi* versari con-
„ tendunt. Antiquos enim Canones & jus
„ com-

[61] *De Conc. lib. III. cap.* II. §. 7.
(62) *Ibid. Cap. VI. n.* 5.

„ commune intelligebant, quod *Gratiani* de-
„ creto & Decretalibus erat comprehen-
„ ſum. Id manifeſte probatur, non ſolum
„ ex eo, quod vetus codex Canonum illis
„ eſſet incognitus (63), ſed etiam e Con-
„ cilio *Conſtantienſi*. Etenim ſeſſione XXXIX.
„ quum de fidei profeſſione a Papa edenda
„ caveret, non ſolum octo Concilia Œcu-
„ menica ab illo conſervanda decernit, ſed
„ etiam *Lateranenſe*, *Lugdunenſe* & *Viennenſe*.
„ Quare ſæculo *Caroli* VI. Conciliorum ge-
„ neralium nomine Eccleſia *Gallicana* non
„ ſolum vetera, ſed etiam recentiora illa
„ intelligebat. Enimvero in *Gallia*, quod ad
„ diſciplinam adtinet, decretalium conſti-
„ tutis locum damus, cum bona *Romanorum*
„ Pontificum venia, quæ noſtris rebus, &
„ utilitati publicæ adcommodatæ ſunt, i-
„ deſt, omnibus fere, pauciſſimis exceptis
„ (64).

(63) Nimirum de *Marca* cum *Queſnello* [*diſſ. XII. in S. Leon. cap.* 2.] ſentiebat, *Gallicanam* Eccleſiam ſuum habuiſſe Codicem Canonum publica auctoritate propoſitum. Id tamen falſum eſſe poſt *Sirmondum* multis evincunt *Ballerinii* (tum *adnot.* XI. in eam *Queſnelli* diſſertationem, tum in Tractatu *de ant. Collect. pag. CXXIX.*]

(64) Lubet heic utiliſſimam exhibere *Charlaſii* animadverſionem [*de libert. Eccl. Gallic. lib. I. cap.* 3.] " Igitur
„ libertates Eccleſiæ *Gallicanæ* in ſola juris antiqui obſer-
„ vatione male reponunt communiter Auctores *Gallicani*,
„ ſiquidem tanta eſt illorum diſſenſio in adſignando illo
„ jure antiquo, ſeu Codice, in quo continebatur, ac
„ præterea pauciſſimi ex antiquis Canonibus magis in *Gal-*
„ *lia*,

XIII. At quid de *Tridentinis* Patribus, quos optaſſe *Febronius* ait, ut diſciplina & regimen Eccleſiæ *ad terminos quattuor primorum Conciliorum* revocaretur? Dicam ſomnia hæc eſſe, atque adeo *Febronii* fallacias. Ut hoc palam fiat, recitemus, quæ de illis Patribus *Febronius* narrat (65). " Fuit equi-
„ dem Concilium *Tridentinum* (æque ac præ-
„ cedentia) indictum ad *medendum malis*,
„ *quibus Chriſtiana Reſp. jam dudum vexata*,
„ *& propemodum oppreſſa erat*, uti loquitur
„ *Paullus* III. in Bulla indictionis; vel ut
„ ajunt legati Pontificii in ingreſſu Conci-
„ lii: ad relevandam *lapſam morum diſcipli-*
„ *nam*, & ipſam *fere collapſam Eccleſiam*,
„ ſed multum abeſt, ut hic Synodo præſti-
„ tutus finis impletus ſit ex integro. Nul-
„ lus illorum fontium, e quibus hæc mala
„ dimanaſſe jam diximus, obſtructus eſt;
„ omnia *Iſidoriana* Principia, de quorum
„ ſuppoſitione vix tunc erat ſuſpicio, man-
„ ſerunt in ſuo vigore; noxius ille atque
„ omnino independens Pontificiæ poteſtatis
„ exceſſus, utcunque agnitus, per Legato-
„ rum Pontificiorum ſubtiles artes ſine no-
„ tabili diminutione relictus eſt. Verum
hæc

„ *lia*, quam alibi vigent; multi etiam minus, quam ali-
„ bi; nonnulli ejuſmodi ſunt, ut ſi quis eos in uſum re-
„ vocare tentaret, ab ipſis libertatum vindicibus cohibe-
„ retur. Plurimi nullibi obſervantur, ut eos percurrenti
„ ad oculum patet.

[65] T. *II. pag.* 550.

„ hæc omnia genuino ſtatui Eccleſiæ & ſo-
„ lidis diſciplinæ fundamentis, qui ſunt ſa-
„ cri Canones, nihil detrahunt aut præjudi-
„ cant. *Tridentinæ* Synodo jam jam conclu-
„ dendæ Cardinalis a *Lotharingia*, ſuo &
„ aliorum nomine hanc apud *Pallavicinum*
„ *lib.* XXIII. *Cap.* 12. *n.* 8. ſubjungit de-
„ clarationem, quam ad acta referri petiit;
„ Scilicet *a ſe*, *ſuo omniumque* Gallicorum
„ *Epiſcoporum nomine*, *renovari conteſtationem*
„ *quam ante biduum habuerat in conventu: ni-*
„ *mirum adcipi a ſe emendationem illam non*
„ *tamquam integram*, *&* (ſed) *quæ viam ſter-*
„ *neret ad aliam perfectam; eamque ſive a no-*
„ *vis Synodis*, *ſive alio modo ſperari*, *Ponti-*
„ *ficum opera*, *& maxime Pii IV. poſtquam*
„ *harum* LEVIORUM *Sanctionum auxilio Reſ-*
„ *publica Chriſtiana*, *nimis nunc infirma &*
„ *corrupta*, *redderetur idonea ad ſuſtinendas*
„ GRAVIORES *purgationes*, ANTIQUIS CA-
„ NONIBUS SERVATIS PRÆSERTIM PRI-
„ MARUM QUATTUOR SYNODORUM. Huic
„ conteſtationi ac reſervationi (quam alii
„ in ampliore forma edidere, nominatim
„ *Dupinius Hiſt. Concil. Trid. T. II. p.*1089.)
„ nullus Patrum, & ne ipſi quidem Lega-
„ ti Præſides cogitaverunt contradicere. Un-
„ de apertum eſt, æque poſt ac ante *Tri-*
„ *dentinum* eſſe locum petendæ reformatio-
„ nis atque emendationis omnium & ſingu-
„ lorum gravaminum, ac quarumcumque

„ inor-

„ inordinationum hactenus non sublatarum, „ earum præ primis, quæ toties incusatæ sunt „ in publicis Actionibus, quas *Febronius* fi„ deliter recensuit; instituta hunc in finem „ juxta mentem Card. *Lotharingii & Tridentinorum* Patrum justa comparatione Decre„ talium *Isidori* & *Gratiani* cum antiquis & „ sinceris, præsertim quattuor primarum ge„ neralium Synodorum decretis. Cupiebant „ itaque *Tridentini* Patres Ecclesiasticam di„ sciplinam, prima data opportunitate, ad „ decreta *antiquorum Canonum*, *præsertim* „ *quattuor primorum Conciliorum* exigi. " Quis hæc legens non existimaret, Cardinalis *Lotharingii* votum ad universam Ecclesiasticæ disciplinæ restitutionem spectasse? *Levioresque* ab eo dictas fuisse omnes *Tridentinæ* Synodi reformationes? Scito tamen Lector, hæc *Lotharingium* de decretis pronunciasse, quæ sessione XXIV. edenda proponebantur super generali reformatione ad Episcopos præsertim, eorumque ecclesiasticum pertinentia. Quamobrem quid hæc ad Pontificiam potestatem a Monarchico primatu deiiciendam? quo potissimum si *Febronio* credimus spectandum a *Tridentinis* Patribus fuerat, si præstitutum Synodo finem implere ex integro voluissent? Neque omittendum, illam *Lotharingii* denuntiationem non tam ex veterum Canonum studio, quam ex sua in *Galliarum* Regem, cujus privilegiis aliqua eorum de-

cre-

eretorum obesse existimabat, observantia politicisque rationibus fuisse profectam (66). Quænam autem Regum privilegia sunt, quæ cum *Romani* Pontificis potestate a nobis agnita, propugnataque conciliari non possint; Sed de his satis.

CA-

(66) Audi *Pallavicinum* (*l. c.*) " Il Cardinal di *Loreno* ebbe in questo due risguardi, amendue i quali riducevansi ad uno, di non contrariare a' sensi regj, e però di non mostrarsi a pieno contento di quelle riformazioni, di cui non mostravasi a pieno contento il Re; e di non approvare ciò che apportasse alcun' ombra di pregiudizio a' privilegj del Re. Pertanto disse, ch'egli a suo nome e di tutti i Vescovi *Franzesi* rinnovava la protestazione fatta da se, due giorni prima nell' adunanza ec. "

CAPUT V.

Quod Febronius Romano Pontifici adserit jus excommunicandi, plane nullum est, atque a catholica veritate perquam alienum. Neque illum juvant, quæ ex Ecclesiastica historia profert exempla. Aliqua in eumdem Febronium *pro* Romana *librorum censura adnotantur.*

I. PRæter jus edendarum legum aliud *Romano* Pontifici *Febronius* non illibenter concedit, ferendæ excommunicationis. Verum quemadmodum illud ita coercet, extenuatque, ut fere nullum sit, ita hoc alterum verbo dat, re ipsa abnegat, aut etiam evertit. Duo enim quod ad rem præsentem adtinet (1) *Febronium* in priore volumine docuisse vidimus. Primum est, hanc *Romani* Pontificis excommunicationem non esse *actum jurisdictionis proprie talis* (2). Nempe ut animadvertit *Ballerinius* (3) " sicuti olim concedebatur communio recipiendo alios etiam „ non subditos in communionem; ita excommunicatio, quæ communioni opponitur reipsa nihil erat aliud nisi aliquem a „ sua communione excludere: quod quum „ fie-

[1] Alios *Febronii* de excommunicationibus errores dissertatione XII. commodius refellemus.

(2) *T. I. cap. II. §. XI. p.* 145. *& cap. III. §. 4. p.* 167.

[3] *De potest. Eccles. pag.* 217.

„ fieri poſſet etiam in eos, qui ſubditi non „ ſunt, & in quos nulla eſt proprie dicta „ juriſdictio; hinc excommunicationem non „ eſſe effectum juriſdictionis *Febronius* ſcri„ pſit. Tunc videlicet tantum ab Epiſcopis „ actum juriſdictionis proprie dictæ excom„ municando exerceri præſumit, quum ali„ quem ſubditum a ſua communione repel„ lunt; non vero quum in alienos ſenten„ tiam ferunt. Ita porro *Febronius* ex falſo „ ſui ſyſtematis principio *Romano* Pontifici „ ſubditos negat, qui aliis Epiſcopis ſubii„ ciuntur: quod evertit ipſam primatus na„ turam, qua idem Pontifex jure divino & „ juriſdictione proprie dicta tanquam ſum„ mus Paſtor præſidet ſingulis & omnibus „ tum Epiſcopis tum ovibus gregis domini„ ci". Hunc *Febronii* errorem in *Antifebronio* confutatum habes (4). Nihil autem in novo ejus opere quum exſtet, quod ad falſum hoc dogma ſpectet, ad alterum ſtatim tranſeamus.

II. Alter igitur *Febronii* error, iſque graviſſimus erat, *Romani* Pontificis excommunicationes nullius roboris eſſe, niſi Eccleſiæ conſenſu firmentur. Quo illud ſpectabat (5): " attamem ſi *Romanus* Pontifex ſine „ legitima cauſſa excommunicationem fer„ ret, totaque Eccleſia aut magna ejus pars

„ ju-

(4) *T.* I. *diſſ.* III. *cap.* 2.
[5] *T.* *I.* *cap.* 3. §. 4. *n.* 2. *pag.* 171.

„ judicaret, eam decerni non debuisse, tunc „ excommunicatus ab illo pro schismatico „ habendus minime esset, dummodo animum „ retineret servandae cum eodem Pontifice, „ tanquam Primate unitatis &c. " Hunc enimvero errorem in altero opere non solum innovat, dissimulatis, uti solet, invictis, quo illum in *Antifebronio* refellimus [6], argumentis, sed multis confirmat. „ Censuræ, inquit Romanæ, si non pro„ bentur ab Ecclesia, nullæ sunt . . . . . " „ Hanc veritatem (7) firmat omnium retro „ sæculorum praxis atque usus. Crebra sunt „ in Annalibus Ecclesiasticis, aut excom„ municationum, aut aliarum gravium „ censurarum exempla a *Romanis* Pontifici„ bus in alios Episcopos, vel etiam in Ec„ clesias particulares prolatarum; quæ qu„ um vel injuste, vel propter rationes ve„ ritati contrarias, vel contra Canonum „ formam, nec sine aliquo potestatis abusu „ prolatæ essent, nullum umquam ex Ec„ clesiæ judicio sortitæ sunt effectum. Sic „ *Victor* Papa omnes *Asiæ*, vicinarumque „ Provinciarum Ecclesias, quæ alia die, „ quam Dominica sanctum Pascha celebra„ rent, *tamquam heterodoxas* a communione „ abscindere conatus teste *Eusebio* Hist. lib. „ V. Cap. 24. *datis litteris universos*, *qui il-*

„ *lic*

(6) *l. c. a num. IV.*
(7) *T. II. pag. 611. seqq.*

" *lic erant*, *fratres proscribit*, & *ab unitate* " *Ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciat*. *Vi-* " *ctoris* definitioni de die Paschæ adhæsit " tandem Ecclesia universa. At illum ut " Ecclesiasticæ unitatis minus studiosum, " nimiaque præcipitatione in excommuni- " cando abductum improbaverunt quam plu- " rimi ejusdem temporis Præsules sanctitate " conspicui, quos inter *Irenæus*. Nec quem- " quam se in aliis Ecclesiis ab *Asiaticorum* " communione eam ob caussam pro *Roma-* " *ni* Pontificis voluntate separasse memorat " *Tillemontius Mem. Eccles. T. III. Victor.* " *art.* 5. 6. Excommunicationis minas in- " tentavit & Papa *Stephanus* in sanctos, " *Firmilianum*, & *Cyprianum*, ob errorem " de hæreticorum invalido baptismate, in " quo ad mortem usque perseveraverunt " beatissimi illi Præsules, quos ut *sanctos* " semper coluit, & etiamnum tota colit " Ecclesia. Ss. *Meletius* & *Flavianus*, *An-* " *tiochenses* Episcopi, longam per annorum " seriem tamquam schismatici, aut schisma- " tis fautores, immo etiam *Arianæ* hære- " seos, orbati sunt communione Pontificum " *Romanorum*, quibus in hac parte suffraga- " ri videbatur Ecclesia *Occidentalis* pene u- " niversa; neque tamen ideo minus & veri " Episcopi fuerunt, & *sancti* denique ab " omnibus habiti sunt. Papa *Zosimus*, *Cæ-* " *lestii*, & *Pelagii* ficta pietate, fideque de-

" ce-

„ ceptus *Herotem* & *Lazarum* illustrissimos „ *Galliæ* Episcopos *sacerdotali loco & omni* „ *communione submovit* (ita submovere se „ posse arbitratus ex *speciali Sedis Apostolicæ auctoritate*) quasi duas pestes, *turbines* „ *Ecclesiæ vel procellas &c.* . . . Ambo tamen ab *Augustino* peramanter excepti, & „ ab Episcopis *Africanis* in Concilio congregatis, a divo etiam *Prospero*, aliisque „ ejus ævi Scriptoribus tamquam Catholici „ & legitimi Pastores, sancti homines, fideique ecclesiasticæ maxime studiosi collaudati fuere. *Herotis* insuper ut colendissimi Antistitis nomen in *Arelatensibus* „ diptycis hucusque servatur. Nota sunt orta paullo post inter gloriosum Præsulem „ ejusdem sedis *Arelatensis Hilarium* & *Leonem* M. dissidia, ob ordinatum ab *Hilario* successorem Episcopo *Projecto*, aliaque „ ejus generis ad jurisdictionem suam utpote Metropolitani Primatisve pertinentia, „ sed absque ullo jure, ut *Leo* putabat, administrata. Scilicet a *Leone Hilarius ob* „ *mentis tumorem* declaratur *exsors Apostolicæ* „ *communionis*, *cujus particeps esse non meruit*; ipsi interdicitur *ne ultra audeat conventus indicere Synodales*, pariterque ut nec „ ipse Metropolitani jure *ordinet* Episcopos, „ nec *intersit ulli ordinationi*, utpote qui Ecclesiarum *statum & concordiam Sacerdotum* „ *novis præsumptionibus turbasset*, qui nec B.

Apo-

„ *Apostolo* Petro *subjectus*; minuisset *ipsius* „ *reverentiam verbis arrogantibus* . . . . & *in-* „ *solentibus subinde sermonibus*; maxime vero, „ qui *Ecclesiæ* Romanæ *urbis inconsulto Ponti-* „ *fice*, *indebitas sibi ordinationes Episcoporum* „ *sola temeritate invasisset* . . . . *Hilarius* nihi- „ lominus *propositi tenax* (uti ait *Auxiliar.* „ apud *Honorat.* in vita *Hilarii*) nec juribus „ suis cessisse videtur sicut nec *Leo* senten- „ tiam mutasse . . . . Ad extremum ergo vi- „ tæ spiritum in regenda Ecclesia sua paci- „ fice perseveravit *Hilarius*, cujus hodieque „ laus est per omnes Ecclesias. *Hilarus Leo-* „ *nis* M. successor *Mamertum Viennensem* no- „ tissimæ sanctitatis Antistitem, eo quod „ *Diensem* Episcopum, ex dispositione *Leo-* „ *nis Arelati* subjectum, quasi Metropolita- „ nus ordinasset, *superbum*, *prævaricatorem-* „ *que*, & nisi resipisceret, etiam *proprii or-* „ *dinis jactura mulctandum* scripsit . . . . At- „ tamen non mutavit mentem *Mamertus*, „ nec ullo modo divelli se passus est ab Ec- „ clesiæ suæ jurium exercitio. *Qualiscumque* „ *autem in mente* Hilarii *fuerit ille*, inquit „ Tillemontius Mem. Eccles. Tom. XVI. „ pag. 107. *longe majori semper reverentia &* „ *veneratione prosequitur Ecclesia memoriam* „ Mamerti, *quam* Hilari *Pontificis*, *alias li-* „ *cet inter Sanctos Martyrologii inscripti*: SS. „ *Euphemius* & *Macedonius Constantinopolitani* „ Patriarchæ ob retentam in dypticis *Acacii*

„ decessoris sui nomen (qui a *Romanis* Pon„ tificibus ex inita cum hæreticis commu„ nicatione damnatus sæpe fuerat) & ipsi „ per totum vitæ spatium Ecclesiæ *Romanæ* „ communione veluti caruerunt; hos ta„ men & viventes ut legitimos Episcopos „ agnoverunt *Orientales* tum Episcopi, tum „ alii viri Sancti quamplurimi; & memo„ riam eorum, ut *in domino quiescentium* ple„ nissime honoravit solemnis totius Ecclesiæ „ *Constantinopolitanæ* Cœtus, nec non Con„ cilium Episcoporum anno 518. in eadem „ urbe habitum, omnibus *irritis manentibus*, „ *quæ contra ipsos quandoque facta fuerant*, & „ quamvis anno sequenti, insistente *Hormis*„ *da* Pontifice, eorundem sacrorum Antisti„ tum nomen ex Dypticis sublatum sit, rur„ sus tamen in posteriori *Constantinopolitana* „ Synodo sub *Menna* Patriarcha anno 536. „ celebrata, præsentibus Legatis Apostolicæ „ Sedis *Euphemium & Macedonium Sanctissi*„ *mos Episcopos* adprobatos fuisse testantur „ historici. Ipsos denique tota nunc in al„ bum Sanctorum refert Ecclesia." Eadem fere exempla superius adtulerat (8) ibi tamen hoc aliud addidit (9): " Quum sæculo IX. „ rumor spargeretur, venturum ex *Italia* Pa„ pam *Gregorium* IV. ad excommunicandum „ eos, qui partes *Ludovici Pii* Imp. adver„ sus

[8] *pag.* 573. *seq.*
[9] *pag.* 574.

„ ſus binos illi rebelles filios ſequerentur, „ repoſuerunt intrepide Epiſcopi *Galliæ* ; „ *Nullo modo ſe velle voluntati ejus ſuccumbe-* „ *re: ſed ſi excommunicaturus veniret, ipſe exco-* „ *municatus abiret*: QUUM ALITER SE HA- „ BEAT ANTIQUORUM AUCTORITAS CA- „ NONUM: Ita *Aimoinus* Monachus *Floria-* „ *cenſis lib. V. cap.* 14. Atque his, inquit, „ (10) abunde ſatisfactum videbitur iis, „ quæ hac in parte adverſus tradita *Febronii* „ injicit P. *Zaccaria Tom. I. diſſ. III. Cap.* „ 2. *n.* 4. 5.

III. Extrema hæc *Febronii* verba primum conſideremus. His ergo non ſolum *ſatisfa-ctum*, ſed etiam *abunde* iis, quæ in *Antife-bronio* eo loco diſputavi? Itane vero? Atqui ne illa quidem *Febronium* adtigiſſe certo certius eſt. Ipſa, quam heic dabimus, tanti erroris confutatio id palam faciet. Sed altius res eſt repetenda. *Richerius* in libello *de Eccleſiaſtica* & *politica poteſtate*, ut Papam atque Epiſcopos excommunicandi poteſtate, atque adeo omni jurisdictione ſpoliaret, vel ſaltem hujus uſum inanem redderet, commentus eſt, ut alibi vidimus, *totam juriſdi-ctionem Eccleſiaſticam primario, proprie, ac eſ-ſentialiter Eccleſiæ convenire*; Romano *autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis inſtrumentaliter miniſterialiter*, & *quoad exequutionem tantum*

(10) *pag.* 576.

(11) Ecclesiæ autem nomine *totum ordinem hierarchicum* intellexisse videtur *Episcopali & Sacerdotali ordine constantem* (12) Porro, inquit (13) *Senatum aut consilium nativum Ecclesiæ a Domino institutum vocamus non modo Episcopos, verum etiam omnes præsbiteros curam animarum habentes*. Quum autem *summa totius externæ jurisdictionis in facultate excommunicandi conquiescat* (14), quam proinde Ecclesiæ, seu ordini hierarchico *immediate* creditam a Christo fuisse *Richerius* ajebat, non posse hanc a Papa atque ab Episcopis exerceri arguebat nisi *ministerialiter*, atque de ipsius Ecclesiæ consensu. *Omnis* enim *Principatus quoad vim coactivam ab hominum consensu pendet* (15), *quodque omnes tangit* necessum est *ab omnibus quoque comprobari* (16). Quare *Ecclesia invita, dissentiens, aut inconsulta obligari non potest*. Ita fere *Nicolaus* quoque sensisse videtur in opere de *unitate Ecclesiæ* (17); ibi enim haudquaquam dubitandum esse ait de excommunicationibus sive a *Romano* Pontifice sive a particulari Synodo, sive ab Episcopis latis, *quando hæc judicia . . . deinceps a tota Ecclesia probata, & recepta fuerunt*. *Nam*, inquit, *hoc in casu non solus Papa, nec solum* *Con-*

[11] Rich. *de Eccles. & polit. pot. n.* 2.
(12) *ibid.*
[13] *n.* 5.
(14) *ibid. n.* 2.
(15) *ibid.*
(16) *ibid. n.* 6.
(17) *lib.* 2. *c.* 10.

Concilium, *aut Episcopus particularis ille est*, *qui separat ab Ecclesia*, *quos excommunicat*; *sed integrum corpus Ecclesiæ separat*, *& excommunicatio ejusmodi totius corporis auctoritate nititur*. Aliter vero sentiendum esse ait de excommunicationibus, quando alii Episcopi aliæque Ecclesiæ iis non consentiunt; Has enim si non omnino irritas adfirmat, certe in dubium vocat: *hæ excommunicationes* (verba ejus sunt) *haud habitæ sunt tamquam certæ & indubitabiles* (18). Ulterius progressus est *Dupinius* (19), quodque *Richerius* de solo Hierarchico ordine docuit (quamquam & ille non satis constans *Ecclesiæ* nomine universum cœtum Fidelium designasse interdum videtur) diserte ad universam Fidelium omnium congregationem transtulit. " Licet, " inquit, nulli præterquam Episcopi & Presbyteri potestatem exercendi claves habeant, ea tamen in universa residet Ecclesia, quo nomine in sacris litteris non sacerdotes soli, sed universus fidelium cœtus intelligitur . . . . etiam claves solis sacerdotibus datæ recte dici possent; quia illorum tantum est iis uti; veruntamen haud dubium esse debet, quin primo & præcipue toti Ecclesiæ ligandi ac solvendi potestas sit data, a qua in ejus ministros de-

(18) *Les excommunications n' ont point été regardées comme*, *certaines* & *indubitables*.

[19] *de ant. Eccles. discipl. diss. III. cap. I.*

„ rivatur. Sic quamvis in Republica soli Magistratus & Cives jus vitæ & mortis belli ac pacis habeant, ea tamen potestas in Republica ipsa tamquam in fonte & radice residet: idem servata proportione dicendum de Ecclesia. Atque hinc forte primis Ecclesiæ Sæculis non soli Episcopi, sed cum eis Presbyteri, adcedente etiam nonnumquam laicorum consensu, excommunicationis judicium ferebant in noxios. Hinc ait (20). Si Pontifices *Romani* sine caussa excommunicationem ferrent, totaque Ecclesia judicaret excommunicationem temere latam, tunc non ab ipsis excommunicati pro schismaticis habendi non essent, modo animum retinerent servandæ cum *Romano* Pontifice unitatis &c. " quæ *Febronius* excripsit & cooptavit. Demum *Quesnellus* idem systema proposuit in celebri illa propositione, quæ XC. est inter CI. a Clemente XI. proscriptas: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores* DE CONSENSU SALTEM PRÆSUMPTO TOTIUS CORPORIS (21). Videt jam

(20) *ibid. pag.* 256.

[21] Juvabit heic ad ea animum intendere, quæ super hac *Quesnelli* propositione observavit Cl. de *Saleon* postea *Viennensis* in *Gallia* Archiepiscopus in insigni opere, quod a. 1719. edidit prænotatum ; *le systeme de* Jansenius *renouvellè par* Quesnel p. 366. "Cette seule proposition renferme en peu de mots tout le venin du *Richerisme*. *Quesnel* y dit d' abord que c' est l' Eglise, qui a l' autorité

jam lector primos *Febroniani* effati magistros. Censuras enim *Romanas* nisi ab Ecclesia probentur, nullas esse ipsum illud decretum est, quod hi tradiderunt.

IV. At de dogmate, cui totum hocce systema innititur, exploratissimum est non aliam a *Richerio*, ceterisque illum sequutis esse *Febronii* sententiam. Hoc quum alibi demonstraverimus, opus non est pluribus ostendere. Satis sit illa recolere (22): *potestas clavium* universitati Ecclesiæ a Christo data est; *illam hæc per ministros suos exercet; inter quos* Romanus *Pontifex primarius quidem est; nihilo tamen minus universitati subordinatus*: quibus adde quæ paulo post inculcat (23),

" rité d'excommunier pour l' exercer par les premiers Pa-
" steurs. N' est ce pas le dogme capital de *Richer?* Jesus
" Christ en fondent son Eglise, dit-il, luy a donnè les
" clefs ou la jurisdiction pour l' exercer par le ministere
" du Pape & des Evèques, que *Quesnel* appelle *les pre-*
" *miers Pasteurs*. Il est vrai, que l' Eglise dans le sens,
" on elle est prise pour les Evèques, qui la governent,
" a la jurisdiction & le pouvoir d' excommunier; mais
" la proposition de *Quesnel* ne peut ètre susceptible de ce
" sens, puisqu' il oppose l'Eglise, qui a selon luy l' au-
" toritè de excommunier aux premiers Pasteurs, par que
" cette autoritè est exercèe, & par consequent il distin-
" gue manifestement de l' Eglise les Evèques, ou premiers
" Pasteurs. L' on auroit mème droit d' expliquer ce qu' il
" dit de l' Eglise dans le sens propre & naturel, c' est
" a dire, dans celui, ou elle est prise pour l' assemblèe
" des fidèles, & en tant' qu' elle comprend tous les lai-
" ques, puisque *Quesnel* n' ajoute rien, qui puisse en de-
" terminer la signification en un autre sens, & la limiter
" au Clergè.

(22) T. I. *Cap.* I. §. *VI. pag.* 32.

[23]: *Ecclesia ipsa* principaliter, *&* radicaliter obtinet *potestatem clavium*, *quæ ab illa in omnes ejus ministros*, *ipsumque Summum Pontificem derivatur*, *&* *singulis quibusque pro sua portione communicatur*. Quod vero ad illud de necessario, ut excommunicationes *Romanæ* vi polleant, Ecclesiæ consensu pronunciatum pertinet, nihil equidem a veritate & vetustissimorum ab ipsis Apostolis temporum consuetudine alienius fingi poterat. Etenim quum ea unitatis a Christo in Ecclesia sua præstitutæ sit lex, ut *Romana* Ecclesia (quod *Bonifacius* I. ajebat) *Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum sit membrorum*, *a qua se quisquis abscindit*, *fit Christianæ Religionis extorris*, *quum in eadem non cœperit esse compage* (24), & *quicumque cum* Romano Pontifice *non colligit*, *spargat* (25); fieri non potest, ut quis ab Ecclesia *Romana* abscindatur nec tamen fiat Christianæ Religionis extorris; non colligat cum *Romano* Pontifice; & tamen spargat. Quis autem non videat, id omnino futurum, si *Romanæ* censuræ (quibus qui adligaretur utique a *Romana* Ecclesia abscinderetur, nec cum *Romano* Pontifice colligeret) non ante vim haberent, quam ab Ecclesia probarentur. Peto etiam quid Ecclesiæ nomine intelligat? Si cœtum om-

nium

(23) *ibid. n. 3. pag. 37.*
[24] *ep. XIV. F. I. ep. R. P. col.* 1037
(25) *S. Hieron. ep. XIV.*

nium Fidelium, quæ erunt excommunicationes, quibus ſua aliquando ſit efficacitas? Si Epiſcopos, præterquamquod Epiſcoporum judicio ſubeſſe non debet, qui ſupra omnes eſt *Romanus* Pontifex, quæro iterum, diſperſos ne, an in Concilium coactos? Si diſperſos dixerit, meminerit ſe in primo operis ſui volumine Eccleſiæ diſperſæ Tribunal non omnino certum & ultimum, a quo appellari non poſſit, ſtatui ne; atque ut indubitatum ultimumque velimus, non ejuſmodi profecto erit, ut eorum, qui ſe excommunicatos ægre ferant, querelis, cavillationibus effugiis minime pateat. Sin autem in Concilium coactos, quoties ergo erit aliquis excommunicatione plectendus, celebrandum erit generale quoddam Concilium, quod de ſummi Pontificis ſententia judicium ferat. Quis hæc abſurda eſſe, & ad diſciplinam penitus ſubvertendam ſpectare non intelligat? Inſuper in *Febronii* ſententia vel excommunicatio a Pontifice lata, quam ab Eccleſiæ corpore non probari contingeret, irrita ab initio præſumenda eſt, antequam de Eccleſiæ conſenſu conſtaret, vel non. "Qui „ primum velit, inquit *Ballerinius* (26), is „ fateri debet, omnem excommunicationem „ etiam juſtam manere ſuſpenſam, atque „ tamdiu vim non habere, quamdiu ab Ec„ cleſiæ corpore recepta & probata non ſit:

„ ſi

(26) *de vi ac rat. primat. pag.* 340.

„ si enim ante probationem Ecclesiæ valeat,
„ & excommunicatum ab Ecclesiæ corpore
„ actu præcidat: nihil est cur ad vim ejus
„ adprobatio requiratur. Id autem præter-
„ quamquod ad eludendas excommunicationes
„ etiam justissimas ipsis quoque hæreticis fa-
„ cilem aditum aperit, ab Ecclesiæ mente
„ & praxi quam sit alienum perfacile agno-
„ scitur; excommunicationes enim statim ac
„ latæ sunt, ab Ecclesiæ corpore excommu-
„ nicatum separare, semper judicatum fuit
„ a Catholicis; ut ne Ecclesiæ consensus
„ sit exspectandus. Solum quum ab inferio-
„ ri judice feruntur, si judici superiori non
„ probentur rescindi possunt; non autem la-
„ tæ ab initio suspenduntur, quoad Eccle-
„ siæ consensus adcedat. Immo nec per sub-
„ sequentem appellationem suspenduntur, si
„ vel injustæ sint; sed superiori judici per
„ caussæ cognitionem rescindendæ reservantur". Quod si rata ab initio fuit Apostolicæ Sedis sententia, num si quæ Ecclesiæ ipsam postea non probarent, ex rata irritam redderent? Fieri quidem posset, ut aliquæ Ecclesiæ excommunicatos a Sede Apostolica in communionem reciperent; quod tamen antiquissimis etiam Canonibus, ut quincto *Nicæno* adversaretur; quibus cautum fuit, ne quis ab uno excommunicatus ab aliis communione donaretur. At ex hac ab aliis concessa communione, non idcirco hujus Sedis aufer-

retur

retur sententia, nec ipsius communio invito Pontifice excommunicatis restitueretur. Sed quam indicavimus præteritorum temporum consuetudinem consulamus. Novimus S. *Paullum* in *Himenæum* & *Alexandrum* anathema tulisse, novimus ab eo traditum Satanæ incestus reum. Numquid autem Ecclesiarum, ad quas ii pertinebant, Presbyteros ac Fideles propterea coegit? an illarum saltem consensionem expectavit? Nihil minus sententiam quidem ille *in nomine Domini Jesu Christi* tulit, sed a consulendis *Corinthiis*, eorumque rogando consensu tam abfuit, ut illis scripta epistola indixerit [27]: *ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu* JAM JUDICAVI. Nimis a *Pauli* mente aberraret, qui cum *Dupinio* (28) *Paullum* adsereret *non ipsum tum auctoritate sua solum excommunicasse, sed jussisse id ab universa Ecclesia fieri*. Hoc jussit *Paullus* congregari *Corinthios*, at qua de caussa? non ea ut ipsi scelestum hominem de Ecclesia pellerent, sed ut latam ab eo sententiam promulgarent, atque exequerentur: JAM JUDICAVI .... *eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi* Satanæ in *interitum carnis &c.* Paulli exemplum sequuti sunt quotquot *Romanorum*

[27] *I. Cor. V. 3.*
(28) *de ant. Eccles. discipl. diss. III. cap. I. pag. 247.*

norum Pontificum excommunicationis pœnam aut comminati ſunt, aut inflixere. Quid enim ſi ab Eccleſiæ adprobatione cenſuras vim mutuari contendas, magis ridiculum, & a *Victoris* (ut aliquos appellem) ab *Innocentii* primi, a *Leonis Magni* gravitate alienius, quam quod ille *Aſianos prorſus a communione ſecludendos edixerit* [29]; alter *omnes*, qui regulas ab eo editas violaſſent, a *communione fidelium abſtinendos* monuerit (30); *Leo* ſimiliter *denunciarit*, *quod ſiquis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit*, & *prohibita fuerit auſus admittere*, *a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum*, *nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem*, *qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ*? [31] Nam qui haſce intentatas minas legiſſent, reponere nihil territi potuiſſent: ita *ſane*, ſi *Epiſcopis placuerit nos veluti legitime excommunicatos habere*. Igitur ne cogitarunt quidem Magni illi Pontifices futurum quempiam adeo ſuæ ſalutis immemorem, ut inanes ludicraſque ejuſmodi minas haberet, quod Eccleſiam *Romano* Præſuli diſſenſuram confideret.

V. Hæc fere ſunt, quæ adverſario in *Antifebronio* objeceram. Nunc æquum Lectorem appello. Hæccine ſunt, quibus ABUNDE *ſatiſfactum videri* ſapienti viro poſſit congerie illa

(29) Euſeb. *hiſt. lib. V. cap.* 24.
(30) *ep. VI.*
(31) *ep. IV. T. I. Ball. edit. col.* 616.

illa exemplorum, quæ paullo antea ex *Febronio* recitavimus? Quid vero si ipsa exempla multis nominibus rem non efficiam? Animus mihi non est in singula accurate inquirere [id enim totidem fere dissertationibus materiem satis amplam suppeditaret]; dicam tamen de singulis, quod retundendæ adversarii sententiæ sufficiat? A *Victore* ordiamur. *Illum*, inquit, *Febronius*, *ut Ecclesiasticæ unitatis studiosum, nimiaque præcipitatione in excommunicando abductum improbaverunt quamplurimi ejusdem temporis Præsules sanctitate conspicui, quos inter* Irenæus. Sed hoc minime ad rem facit. Duo enim inquirenda supersunt. Primum est, an revera Victor *Asianos* ab Ecclesiæ unitate absciderit? quum doctissimi viri sint, qui id negent, velintque *Victorem Irenæi*, aliorumque litteris delinitum anathematis sententiam quam *Asianis* minatus fuerat, cohibuisse (32) Improbarint illi *Victorem*; si tamen Pontifex sententiam non tulit, quei inde efficias, non nisi ex Ecclesiæ consensu latas censuras vim obtinere? Alterum est; num si *Asianos* a *Victore* excommunicatos velis, ita *Præsules illi sanctitate conspicui* Pontificem improbarint ut ejus sententiæ sibi parendum non esse duxerint? At id omnino falsum esse duo cum primis suadent. Nam si *Victor* Episcoporum, qui eum cum *Irenæo decenter admonue-*

[32] *Vide* Antifebron. T. II. *lib. II. cap. I. pag.* 267.

nuerant, ut ait *Eusebius*[33], ne *integras Dei Ecclesias morem sibi a majoribus traditum custodientes a communione abscinderet*, posthabitis adhortationibus *Asianos* reapse anathemate perculit, an credibile sit eum tanta impudentia fuisse, ut quum Episcopos nosset a se dissensuros, suamque sententiam negato adsensu reddituros inanem, tamen se suamque auctoritatem communi Ecclesiæ reprehensioni ne dicam an ludibrio exponere non dubitarit? Hoc primum. Alterum est diserta *Epiphanii* testificatio, cui cur fides haberi non debeat, quis intelligat? Scilicet *Epiphanius* scribit (34): *Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quam sæpe diversis temporibus de illius festi celebritate varii Ecclesiasticæ disciplinæ tumultus, ac contentiones obortæ sint, præsertim* Policarpi (lege *Polycratis*) *ac* Victoris *ætate*, QUAM ORIENTALES (non omnes, sed *Asiani*) AB OCCIDENTALIBUS DIVULSI, PACIFICAS A SE INVICEM LITTERAS NULLAS ADCIPERENT. Quæ autem hujus disiunctionis caussa adferri possit, nisi quod OCCIDENTALES *Victori* obtemperarint?

VI. *Firmiliani* & *Cypriani* exemplum ne illud quidem aliquid efficit. *Excommunicationis minas intentavit & Papa* Stephanus (Sancti nomen addere *Febronius* poterat an non enim odiose aliquid perversitatis præseferat cum

[33] *l. I.*
(34) *l. LXX. cap. 9.*

cum tanta *Cyprianicæ* & *Firmilianææ* sanctimoniæ celebratione sanctitatis quod ad *Stephanum* adtinet dissimulatio? Quid tum? An eo usque a *Stephano* deventum est, ut revera Cyprianum & *Firmilianum* a sua & Ecclesiæ communione repelleret? Non ignorat utique *Febronius*, multo plures esse qui sentiant, *Stephani* cum illis dissidium ultra excommunicationis minas non processisse (35) Id verum si sit, quid hoc exemplum ad latas *Romanas* censuras facit? Demus tamen quod nonnullis, atque in his *Francisco Antonio* de *Simeonibus*, visum est [36], *Firmilianum*, *Cyprianumque a Stephano* fuisse excommunicatos. *Ut Sanctos semper eos coluit*, & *etiamnum tota colit Ecclesia*; sed in suo illos errore ad *mortem usque perseverasse*, hoc illud est quod *Febronio* negabitur. Nam ab ipso *Stephano* sunt qui cum eodem de *Simeonibus* (37) doceant, saltem *Cyprianum* communioni restitutum, quod errorem suum recantarit; alii sub X*isto* ejus successore, quem propterea *bonum* & PACIFICUM a *Pontio Cypriani* diacono appellatum observant. Immo vel ii qui excommunicatum a *Stephano* *Cyprianum* inficiantur, sub *Xisto* tamen errorem

[35] Vide inter alios *Bollandianos* T. IV. Sept. in Comment. prævio ad acta S. Cypriani §. 43, Adde etiam quæ in *Antifebronio* dixi (*T. I. diss. III. cap. 2. pag. 269.*)
(36) *de Rom. Pont.* judiciar. *potest. Cap. VI.* §. 5.
[37] *l. c. pag.* 135.

rem suum ejerasse adfirmant (38). Quaenam ergo isthaec confidentia est res, quae a doctissimis viris aut in controversiam vocantur, aut omnino negantur veluti certissimas sumere, atque proferre?

VII. Idipsum de Sanctis *Meletio & Flaviano Antiochensibus* dixero. Ac primum de *Flaviani* Sanctitate admodum dubitabat cl. P. *Boschius in historia Patriarcharum Antiochenorum* (39), ejusque dubitationes probarunt, confirmaruntque *Bollandiani* socii (40). Quod si tamen ut sanctum illum colendum *Febronius* velit, praeter ea, quae de S. *Meletio* mox differemus, meminerit, sub *Flaviano* sublatum demum fuisse cum *Evagrio Paullini* successore *Antiochense* schisma, propter quod *Romana* Ecclesia, quae *Paullino* faverat, suam alterius factionis Episcopis communionem suspenderat. Porro eam *Antiocheni* schismatis extinctionem contigisse a. CCCXCVIII. satis indicat *Theodoretus* (41), & multis argumentis confirmat *Tillemontius* (42). Obiisse autem *Flavianum* mense Julio a. 404. *Boschius* probat, ut sex circiter annos a sublato schismate *Flavianus* superstes fuerit. Ab *occidentalibus* autem agnitum fuisse illum Episcopum, atque adeo immediate *Romani* Pon-

(38) Confer *Bollandianos l. c.* §. 44.
[39] *num.* 282.
[40] *in praeterm.* ad d. *XXVII. Sept.*
[41] *l. V. hist. cap.* 23
[42] T. X. *adnot.* II. *in* S. *Flavian.*

Pontificis communioni redditum, ut primum ſolus *Antiochiæ* ſedit, nemo dubitat. An non autem id ſatis, ut Sanctus haberi poſſit, etſi primis ſui Epiſcopatus annis propter *Antiochenæ* Eccleſiæ ſchiſma communionem cum eo ſummi Pontifices ſuſpenderant? De *Meletio* vero illud extra dubitationem eſt, numquam fuiſſe illum ab Eccleſia præciſum quocum omnes fere *Orientis* Epiſcopi communicabant, & in his S. *Baſilius*, S. *Gregorius Nazianzenus*, S. *Gregorius Nyſſenus*, & alii, qui profecto *Romanæ* Sedis communione gaudebant, neque idcirco hi a *Romanis* Pontificibus Apoſtolica communione privati, aut reprehenſi, perinde ac ſi *Meletii* communione contaminati eſſent. " Solum defuit, inquit *Ballerinius* (43), ſeu potius ſuſpenſa „ fuit communio *immediata*, ſive quod communionis litteræ *immediate* a Sede Apoſtolica tradi non poſſent ad ipſum tamquam „ *Antiochenum* Epiſcopum, quum datæ fuiſſent *Paullino*, nec duobus concedendæ „ eſſent, ne contra *Nicænum* Canonem duo „ ejuſdem urbis Epiſcopi probarentur; ſive „ quod in turbulentiſſimis ejus temporis „ circumſtantiis, *Romanis* tanto intervallo „ diſcretis, haud ſatis perſpecta eſſet *Meletii* fides, quæ falſis ſuſpitionibus a nonnullis impetebatur; unde ob *Orientalium* „ rerum apud *Occidentales* ignorationem, hos

(43) *de vi ac rat. prim. pag.* 329.

„ *Paullino* datis litteris communionis ad-
„ tribuisse Episcopatum *Antiochenum* frustra-
„ tos autem *virum Dei admirabilem*, *Meletium*
„ scripsit S. *Basilius* epistola 349. nunc 214.
„ ad *Terentium* Comitem: quæ omnia quum
„ *immediatæ* communionis impedimentum
„ culpa ejus vacuum præferunt, tum vero
„ nec ipsi *mediata* saltem communione fru-
„ enti, nec sanctitati ipsius pluribus docu-
„ mentis comprobatæ quidpiam præjudicii
„ ex inde inferri posse patefaciunt. Cete
„ rum *immediatam* quoque *Romanæ* Sedis
„ communionem eidem aliquando con-
„ cessam dubitandum non est, siquidem cum
„ *Paullino*, qui ea *immediate* fruebatur, pa-
„ cem abs se sedulo quæsitam & æquis con-
„ ditionibus oblatam conciliavit, ut *Socra-*
„ *tes* & *Sozomenus* testantur. Hac sane con-
„ ciliatione in *Occidentem* adlata, adceptis-
„ que utriusque partis, *Meletii* scilicet, &
„ *Paullini* litteris *Occidentales* Episcopi con-
„ gregati in *Aquilejensi* Concilio an. 381. S.
„ *Ambrosio* præside *Theodosium* Imperatorem
„ pro utraque parte rogarunt, perinde ac si
„ utraque in communione Catholica existe-
„ ret. Certe vero *Meletium* *Romanæ* Sedis
„ communione haudquaquam privatum non
„ solum illud adstruit, quod, quum in dis-
„ putatione quadam communio cum *Romano*
„ Pontifice probanda esset, *Damaso* se adhæ-
„ rere *Meletius* professus est, ut liquet ex

„ *Hie-*

» *Hieronymi* epiſtola 16. ad eumdem *Dama-*
» *ſum*; idque ita probavit, ut *Sapores* ab Im-
» peratore miſſus controverſas Eccleſias ei-
» dem adjudicaverit, *Theodoreto* teſte; ve-
» rum etiam, immo multo apertius adſtruit
» illud (ut *Tillemontius* fatetur), quod plu-
» res *Meletii* litteræ in *Occidentem* miſſæ, re-
» jectæ ab *Occidentalibus* non fuere, ut reje-
» ciſſent proculdubio ex veteri, conſtanti-
» que eorum temporum diſciplina, ſi eum
» a Catholica & *Romana* communione a-
» vulſum judicaſſent. Quod ſi qua difficultas
» circa *Meletii* fidem falſis rumoribus diſſe-
» minata *immediatam* communionem aliquan-
» diu ſuſpendit; ea ſatis disjecta, atque ſub-
» lata fuit ex geſtis in *Antiochena* Synodo
» anni 379. ubi *Meletius* primus omnium
» recepit, ſubſignavitque litteras Synodi *Ro-*
» *manæ* antea adlatas in *Orientem* a *Sabino*
» *Mediolanenſis* Eccleſiæ diacono, & recen-
» tiora decreta *Damaſi* miſſa per *Dorothe-*
» *um* presbyterum, quæ errores ejus tempo-
» ris expreſſe proſcribunt. Nihil ergo obeſt,
» quin tantum Epiſcopum de catholica fide,
» pro qua ter in exilium miſſus fuit, opti-
» me meritum, & ob eximias virtutes a
» ſanctiſſimis viris *Baſilio*, utroque *Gregorio*
» *Nazianzeno*, & *Nyſſeno*, *Johane Chryſoſto-*
» *mo*, aliiſque maximis laudibus celebratum
» inter Sanctos Confeſſores non ſolum *Græ-*
» *ca*, ſed *Latina* etiam recenſuerit Eccleſia."

Quamobrem alia *Febronio* quærenda erunt, quibus nobis persuadeat, sanctitatem cum latis *Romanis* censuris conciliari, quod hæ ab Ecclesia spretæ nullius sint roboris.

VIII. Hujusmodi certe non est, quod de *Herote Arelatensi*, & *Lazaro Aquensi* nobis obtrudit. *Zosimus Sacerdotali eos loco, & omni communione submovit* (44). *Ambo tamen*, inquit, *ab* Augustino *peramanter excepti, & ab Episcopis Africanis in Concilio congregatis, a divo etiam* Prospero, *aliisque ejus ævi scriptoribus. . collaudati fuere.* Herotis *insuper ut colendissimi Antistitis nomen in Arelatensibus dypticbis hucusque servatur.* Sed primo rogandus est, ut quæ de S. *Augustino*, Patribusque *Africanis* commemorat, statim deleat; ea enim spectant ad annum 416. & ad *Innocentii* I. Pontificatum; quare ad extenuandam excommunicationis postea a *Zosimo* in *Herotem* & *Lazarum* latæ auctoritatem nulla sunt. Deinde animadvertat, ut *Zosimi* exemplum quidquam éfficiat, duo sibi probanda esse, excom-

[44] *ita*, inquit Febronius, *submovere se posse arbitratus ex steciali Sedis Apostolicæ auctoritate*. Addat, non solos hosce fuisse, in quos tanta *Zosimus* auctoritate uteretur; nam *Tuentium* quoque & *Ursum* eadem sententia perculit, contra quos per *totum orbem* se *scripta* direxisse scribit [*ep. IV.*], ne *in communione Ecclesiæ, in quocumque Ecclesiastico gradu, a qua in totum anathemati essent, susciperent*. Miratur *Febronius*? Equidem si hæc de S. *Gregorio* VII. aut alio posteriorum Pontificum legeremus, illa ad *Isidorianarum* epistolarum corruptionem *Febronius* referret. Discat hinc, Primatum *Romani* Pontificis vel quincto sæculi initio idipsum potuisse, quod ei *Isidorus* tribuit.

excommunicationem nempe, quæ & justa reapse sit, nec a Pontifice ipso deinceps fuerit revocata, ob unam Ecclesiæ improbationem robore destitui. Jam vero quod ad *Zosimum* adtinet, fuisse illi sive a *Cælestio*, ut *Baronius* putat, sive a *Patroclo Arelatensi*, ut *Coustantio* placuit sive ab utroque, ac præterea a *Praylio Hierosolymitano* falsis in *Herotem* & *Lazarum* accusationibus obreptum, non difficilis concessero. Quid hinc fiet? Id unum, injustam fuisse decepti *Zosimi* excommunicationem, proindeque ante omnem Ecclesiæ dissensum fuisse nullam. Præterea longe verisimillimum est, in eo, quod *Zosimus Afros* ad ipsum misisse testificatur (45), *epistolæ volumine* pro *Herote* & *Lazaro* multa scripsisse ad ea refellenda, quæ utriusque accusatores *Zosimo* per summam calumniam injecerant, ne quod ipsis a *Zosimo* exprobratum fuerat, in illorum admittendis adversus *Pelagium Cælestiumque* testimoniis leves nimium fuisse viderentur. Adcidit deinde, ut *Zosimus Cælestii* fraudes pernosceret. Quare celeberrimam ad omnes Episcopos a. 418. *Tractoriam* dedit, qua *Cælestium Pelagiumque* damnavit. Quid tam probabile, quam ut *Zosimus* tandem se falsis in Episcopos illos delationibus deceptum agnoverit, ac communionem illis reddiderit? Frustra igitur & hoc *Zosimi* exemplum *Febronius* jactat,

(45) *Ep. XII.*

ſtat, ut *Romanas* cenſuras nonniſi ab adprobante illas Eccleſia vim ſumere perſuadeat.

IX. De *Hilario Arelatenſi* pauca nunc dicenda ſunt. " Eum *Leo exſortem Apoſtolicæ*
" *Communionis* declaravit; inſuper illi inter-
" dixit, ne Metropolitani jure ordinaret
" Epiſcopos, nec ulli intereſſet ordinationi.
" *Hilarius* nihilominus *propoſiti tenax* (uti ait
" *Auxiliar.* apud *Honorat. in vita Hilarii*) nec
" juribus ſuis ceſſiſſe videtur, ſicut nec *Leo*
" ſententiam mutaſſe. Sed quum ab illa ef-
" fectui mandanda longe abeſſent *Gallicani*
" Antiſtites, etiam illarum Provinciarum,
" quæ cauſſam diſſidio dederant, res ipſa
" per ſe ſopita eſt. Ad extremum ergo vi-
" tæ ſpiritum in regenda Eccleſia ſua pa-
" cifice perſeveravit *Hilarius*, cujus hodieque
" laus eſt per omnes Eccleſias (46)": Hæc

Fe-

(46) Lector fortaſſe per ſe animadverterit, miram quamdam hujus hominis in celebrandis quibuſcumque, qui *Romanis* Pontificibus obſtitere, confidentiam. Quos *Victori* adverſatos ſumit, fuerunt ii *Præſules Sanctitate conſpicui; Firmilianus & Cyprianus*, quibuſcum *Stephano* diſſidium fuit, *beatiſſimos Præſules* vocat, *quos ut ſanctos ſemper coluit, & etiamnum tota colit Eccleſia. Heros & Lazarus a Zoſimo* anathemate perculſi *illuſtriſſimi* ab eo audiunt *Galliæ Epiſcopi, ſancti homines, fideique Eccleſiaſticæ maximo ſtudioſi*. Quid *Hilarius Arelatenſis? Glorioſus Præſul . . . cujus hodieque laus eſt per omnes Eccleſias*. Paullo poſt *Mamertus*, quem S. *Hilarus Papa proprii ordinis jactura mulctandum* edixerat, *ut notiſſimæ ſanctitatis antiſtes* prædicatur. Neque id ſatis. Sanctitatis gloria conſpicui fuere hi omnes *Romani* Pontifices; dum tamen tot in Epiſcopos ab illis aut reprehenſos aut damnatos elogia prodi-

git,

Febronius ex *Quesnellio* deprompsit. Ne queratur ergo de me, si quod de *Quesnellio* eruditissimi *Ballerinii* hac in re pronunciarunt, idem ipsi reponam: *ita homo Apostolicæ auctoritati infensus, sub specie vindicandæ Sancti* Hilarii *memoriæ, eundem infamat, ipsumque ejus inobedientiæ, & contumaciæ patronum præferre cupit, quæ non Sanctorum virorum, sed refractariorum hominum propria est* (47). Nullum enim vero factum, testimonium nullum adferetur, unde constet, S. *Hilarium* numquam juribus, quæ sibi adrogaverat cessisse, & sibi vetita a *Leone* Metropoliticæ dignitatis officia peregisse. Immo post ejusmodi contentionem reversus in Patriam, non solum statim, ut auctor vitæ ejus refert *totum se ad placandum* Leonis *animum inclinata humilitate convertit*, verum etiam latam a Pontifice adversus se sententiam humiliter ferens pastoralibus officii sui curis ac perfectioni animum ferventius intendit. *Totum* se, inquit vitæ auctor c. 17., *orationi, prædicationi, operationi velut incipiens mancipavit,*

 rigo-

git, non sunt *Febronio* nisi *Victor*, *Stephanus*, *Zosimus*, *Leo* M., *Hilarus*. Immo de *Hilaro* scribit: *Qualiscumque autem in mente* Hilari *fuerit ille*, inquit *Tillemontius* Mem. Eccles. Tom. XVI. pag. 107., *longe majori semper reverentia & veneratione prosequetur Ecclesia memoriam* Mamerti, *quam* Hilari *Pontificis*, *alias licet inter Sanctos Martyrologiis inscripti*. Quid hoc est nisi inimicissimam *Romanis* Pontificibus voluntatem præseferre?

[47] T. *II. oper.* S. Leonis *observ. in* 3. *p. diss. V.* Quesnelli *pag.* 1055.

rigore districtus, *miseratione perpetuus*, *largitione promptissimus &c.* Et post pauca: *Abstinendo victu, operi insistendo, itinera pedibus conficiendo ita se tentavit, fatigavit, exhausit, ut vix quadragesimi octavi anni circulum adimpleret*. Omnia autem Episcopalis quidem ministerii, quod *Hilario* relictum fuit, & sanctæ vitæ officia sunt, quæ ad *metropolitici* juris munera reduci nequeunt. Immo hæc scribendi ratio sanctum virum exhibet, qui *Auxiliaris* consilium sequutus, *nihil amplius resistens*, soli episcopali curæ, suique ipsius cultui se totum addixerit. Idem sane *Quesnellus* hoc unum ex laudatis vitæ verbis colligi posse adfirmavit *part. I. cap.* 8. Hilarium ab *hujusmodi contentionibus quiescentem* Leoni *amplius molestum non fuisse* (fuisset autem molestus, si adhuc post editum tam solemne judicium Metropoliticum jus exercere voluisset) *totum vero se animabus commissis oratione, prædicatione, ac cura sua juvandis colendisque dedisse*: *quibus sedulo incumbens vivendi finem fecit*. Immo paullo post adfirmat, toto eo tempore, quo ille supervixit, *nullam se obtulisse occasionem*, *quam nec Hilarius quæsierat*, *qua necesse esset* Leonis *decreto contraire*. *Prima enim*, *ut manifestum est*, *ab illo tempore occurrit* Vasentis *Episcopi ordinatio*: quæ post *Hilarii* mortem a *Ravennio* ejus successore facta fuit. Ubi autem nulla metropolitici juris exercendi occasio incidit,

Hila-

Hilarium ſe *ut Metropolitanum* geſſiſſe, & *metropoliticam ſemper quoad vixit uſurpaſſe poteſtatem* dici nequit. Ut autem cetera argumenta deeſſent, vel unus S. *Leo* ſufficere cordato viro deberet, ut *Hilarium* de ſententia ceſſiſſe intelligeret. Scribens enim S. Pontifex ad Epiſcopos per *Arelatenſem* Provinciam conſtitutos (48) defunctum *Hilarium Sanctæ memoriæ* appellat. Anne autem *Leo Sanctæ memoriæ Hilarium* vocaſſet, qui Apoſtolicæ Sedis communione caruiſſet, ac contra ejus conſtituta *Metropoliticum* jus uſurpare perrexiſſet? (49)

X. Eamdem, qua *Hilarium Arelatenſem* a *Febronio* adfectum vidimus, injuriam S. *Mamerto Viennenſi* illatam queror. Sed antea quid de *Hilarii* & *Mamerti* diſſidio *Natalis Alexander* tradat, audiamus (50). " Per id
„ tempus adcidit, ut *Mamertus Viennenſis*
„ Epiſcopus *Dienſi* Eccleſiæ, quæ ad *Arela-*
„ *tenſis* Epiſcopi diœceſim pertinebat, Epiſ-
„ copum ordinaret. Tam grave vulnus Cano-
„ nibus illatum, ut adcepit *Hilarus Gallica-*
„ *norum* Epiſcoporum Synodo, quæ hujus
„ cauſſæ examen ſuſceperat, referente, *Ma-*
„ *mertum* a *Verano Vencienſi* Epiſcopo mo-
„ neri juſſit, ut ab ordinationibus indebitis
„ ſub honoris ſui privilegiorum periculo in
„ poſte-

(48) Ep. XI. Ball. edit.

(49) Confer Benedictum XIV. *de Beatif. & Canon. lib. II. cap. 41. n. 11.*

[50] *In hiſt. Eccleſ. ſæc. V. cap. 2. art. 7.*

„ posterum abstineret. Eum vero, qui *Diensibus* fuerat a *Mamerto* Episcopus ordinatus, *Leontii Arelatensis*, a quo rite consecrari debuerat, arbitrio præcepit confirmari. Hoc in decreto *Hilari* videre est ardentissimum ejus studium vigilantiamque singularem in procuranda per totam Ecclesiam, & maxime per diœceses Patriarchatui suo subditas, Canonum exequutione, ac eorundem transgressione vindicanda. II. Eximia ejus prudentia suspicienda est ac lenitas, cujus rationem reddit his verbis: *Verum ad Ecclesiarum quietem tantæ transgressionis vulnera, memores Apostolicæ Sapientiæ, curari volumus ante fomentis, ut corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta revocetur, nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Prævia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato, vel quod facile prodesse possit, offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicina ipsius & modus est quærendus, & qualitas, ut omnis per sapientiam facta in vitiis reprimendis sollicitudo, curantis gaudeat reparatione quod solvat, nec careat moderatione quod resecat*. (Ex *Hilaro epist. II.*) III. *Mamertum* virum alioqui sanctissimum humani aliquid passum esse, & peccasse revera

„ con-

„ contra Canones, & contra S. *Leonis* Con-
„ stituta, qui quatuor dumtaxat civitates
„ *Viennensi* Metropolitæ addixerat, ceteras
„ vero, e quibus erat *Diensis*, restituerat
„ *Arelatensi* ". Numquid igitur de *Mamer-
to* præclare *Febronius* meretur, qui eum *non
mutasse mentem, nec ullo modo divelli se pas-
sum esse ab Ecclesiæ suæ jurium exercitio*? At
cujusnam quæso Ecclesiæ Martyrologiis San-
ctum inscribemus, qui Canones pervicaciter
infregerit, quæque peccarit, adeo non emen-
daverit, ut illa numquam non cumularit?
Romana saltem, atque adeo Catholica Eccle-
sia hujusmodi sanctos ignorat. Quod si *Ma-
mertum* agnoscit, illud cum *Bollandianis* [51]
dicendum omnino est, sanctum virum, qua
decuit, animi demissione *Hilari* decreta su-
scepisse. Ceterum *Mamerti* exemplum quid
ad rem præsentem facit, licet ille qualis a
Febronio exhibetur, Pontificiæ sententiæ con-
temptor fuisset? Primo enim *Hilarus* num-
quam excommunicationem (de hac autem
se agere *Febronius* in hisce undique corra-
dendis exemplis meminisse debuerat) *Ma-
merto* minatus est; hoc ait *Hilarus* (52): *in
quo factum ejus* CONVENERAT *sic resolvi, ut
juxta eorum, quæ perpetrata sunt, qualitatem,
non sine jactura proprii ordinis etiam illum a
sacerdotali consortio submoveri cerneret, quem*
crea-

(51) *ad d. XI. Maii.*
(52) *Ep. XI.*

creavit indebite, nempe *Dienſem*. At quod *convenerat*, non idem eſt, quod *niſi reſipuerit*, *ſubmovebo*. Illud ſolum minitatus eſt, niſi *Mamertum* facti pœnituiſſet, *redeunte querimonia*, *eo privilegia* Viennenſis *Eccleſiæ ad* Arelatenſem *Antiſtitem translatum iri exemplum*, *quo migravere principio*. Præterea hæc *Hilarus* reſcripſit ad Epiſcopos, qui de *Mamerti* cauſſa in Synodo cognorant. Quid ergo ad Canones exactius, quam iſthæc *Hilari* ſententia poſt Synodi relationem edita? aut quis *Gallicanæ* Eccleſiæ (hanc appello, quia id ad illam propius pertinebat) diſſenſui locus heic eſſe potuit, quum viginti omnino *Galliarum* Epiſcopi in Synodica ad *Hilarum* relatione *Mamerti* factum improbaſſent? (53)

XI. Obſtrepit tamen *Febronius*, pugnatque, opinionem ſuam *Euphemii* & *Macedonii* exemplis confirmari, hi enim ob *retentum* in *dyptichis* Acacii *deceſſoris ſui nomen* (*qui a* Romanis *Pontificibus ex inita cum hæreticis communicatione damnatus ſæpe fuerat*) *& ipſi per totum vitæ ſpatium Eccleſiæ* Romanæ *communione veluti caruerunt*; *ipſos tamen tota nunc in album Sanctorum refert Eccleſia*. Recte

(53) Id ex iis *Hilari* verbis ad eoſdem Epiſcopos perſpicue colligitur: *Sicut ergo & veſtræ dilectionis relatio*, *& fratris & coepiſcopi noſtri* Antonii (quem Synodus ad eum legarat) *inſinuatio reſeravit*, CLARET *prædictum* (Mamertum) *privilegia certis concluſa terminis velle perdere* PLUS VOLENDO.

cte *Febronius* addidit particulam *veluti*; sed hæc una totam ejus molem disijcit. Nullum nempe umquam anathema *Euphemio* & *Macedonio* sive dum viverent, sive post mortem a *Romanis* Pontificibus inflictum fuit, non a *Felice* III., non a *Gelasio*, non a ceteris. Immo & eos orthodoxos agnoverunt, & *Chalcedonensis* Synodi defensores egregios, quum tamen eum iis, qui *Acacium* anathemate non percellerent, communicare eo maxime nomine *Romani* Pontifices nollent, quod vererentur, nequid ejus Synodi auctoritas, rectaque fides ab ea definita detrimenti caperet. Synodicas præterea uterque ad eosdem summos Pontifices misere. De *Euphemio* quidem id testificatur *Nicephorus* (54) his verbis: *At* Euphemius *simul atque Episcopatum iniit, nihil moratus, suis ipse manibus in sacris tabulis nomen* Moggi *expunxit, &* Felicis *appellationem reposuit: atque in sacro suggesto considens Synodales more recepto Epistolas* Romam *ad* Felicem *dedit. Porro Papa scripta quidem illius recepit, &* Euphemio *veluti orthodoxo favit; sed illum* in Episcopalem communionem non admisit, *propterea quod* Acacii *quoque, &* Flavittæ *nomen de sacro libro non deduxisset*. Alias præterea litteras *Gelasio Felicis* successori *Euphemius* scripsit, quibus respondens sanctissimus Pontifex *dilectissimum fratrem* appellavit. *Macedo-*

(54) *lib. XVI. cap.* 19.

cedonius vero quum ab *Anastasio* Imperatore urgeretur, ut *Chalcedonensem* Synodum *Johannis Alexandrini* Episcopi & *Severianorum* Monachorum exemplo damnaret, *absque universali Synodo, cui* Romanus *Episcopus praesideret, nihil se facturum esse respondit*, ut *Theodorus* Lector narrat (55); immo eodem *Theodoro* teste, *Synodicas litteras* ad *Anastasium* Romanae urbis Episcopum (II. *Gelasii* successorem) *per hunc ipsum* Festum *mittere decreverat*, *sed ne id faceret*, *prohibitus est ab Imperatore*. Atque hos tantosque viros, *Romanae* Sedi devinctissimos, invictosque *Chalcedonensis* Fidei propugnatores summi Pontifices Catholica communione privassent? Aliquam tamen peculiarem communionem iis denegarunt, nempe, ut ex *Nicephoro* intelleximus, *Episcopalem*, nec cum illis nisi ut cum ceteris fidelibus communicarunt. Episcopalis enim communio aliquid excellentius praeseferebat, quam Catholica cum omnibus orthodoxis usitata. Fallitur ergo *Febronius*, qui hosce sanctos nobis obijcit veluti extra *Romanam* communionem viventes atque demortuos. At eorum nomina ex dypticbis eradi *Hormisdas* jussit. Jussit utique non quod eos aut haereticos schismaticosque habuerit [nam tandem *Hormisdas* eorum nomina, ut ex dyptichis recitarentur, permisit, quod num-

(55) *in collect. lib. II.* cui consentit *Theophanes* ad ann. secundum *Alexandrinos* DCI. idest A. C. 509.

numquam fecisset, si hæreticos illos schismaticosque existimasset] sed ut hoc exemplo ceteros ab *Acacii* communione deterreret, fortasse etiam ut quam Apostolicis decretis inobedientiæ notam incurrisse videbantur, hac severitate puniret. Ceterum ne ista quidem quæcumque inobedientia fuerit, excusatione caret. " Inter multiplicia fidei dissi-
„ dia, inquit *Ballerinius* (56), quæ totum
„ *Orientem* discindebant, atque turbabant,
„ delere e dyptichis *Constantinopolitanæ* Ec-
„ clesiæ nomen *Acacii* videbatur dissidium
„ non leve dissidiis addere non sine gravi
„ periculo fidei. Populus enim *Acacii* no-
„ men audire solitus, si deleretur offensus
„ graves tumultus, & scandala excitaturus
„ credebatur: quæ scandala subindicat Im-
„ perator *Anastasius* in litteris ad *Hormis-*
„ *dam* Pontificem, eisdemque scandalis ipse
„ Imperator *Acacii* amantissimus favorem
„ præstiturus fuisse videtur. Notæ sunt tur-
„ bæ pares in *Asia*, aliisque Provinciis ex-
„ citatæ, quum aliquot annos post de expun-
„ gendis aliis Episcopis *Acacii* quondam com-
„ municatoribus ageretur . . . . Has porro
„ turbas ab hæreticarum partium Episcopis
„ atque patronis in fidei detrimentum con-
„ versum iri Catholici præsentiebant. Tan-
„ tum autem malum ut isti impedirent, dis-
„ simulandum interim censuerunt nomen *A-*

cacii,

(56) *de vi ac rat. Primat. pag.* 334.

„ *cacii*, & commodius tempus exſpectandum
„ nec *Romanæ* ſedis præceptum hiſce in an-
„ guſtiis & cum tanto fidei præſertim at-
„ que animarum periculo cogere judica-
„ runt. Id conſilii eruitur ex *Orientalium*
„ Epiſcoporum epiſtola ad *Symmachum*, ubi
„ communionis reſtitutionem implorantes,
„ eam diſſimulandi nominis *Acacii* cauſſam
„ adferunt, ne, ſi contra nitantur Epiſcopi
„ Catholici, eijciantur, vel cogantur cre-
„ ditas ſibi Eccleſias deſerere, ſicque *in lo-*
„ *ca . . . hæretici ingredientes, Lupi diſcer-*
„ *pant oves . . . Putas iſti amore vitæ hoc*
„ *faciant, an amore animarum* " ? *Romani*
tamen Pontifices, qui in tanta locorum di-
ſiunctione, atque in ipſis hiſce turbis de
cauſſarum iſtarum æquitate ac vi judicare
ægerrime poterant, metuebant autem præte-
rea, ne *Chalcedonenſis* Fides infringeretur,
mirum non eſt, ſi flecti ſe non ita facile
paſſi ſint, ut ferrent Epiſcopos ſuis non o-
bedire præceptis, quin in eos ex canonum
rigore animadverterent, quum præſertim fie-
ri poſſet, ut alii, quoque ejuſmodi cauſſas
falſo prætexerent, ut in *Acacii* communione
ſtudioſe permanerent, ac *Chalcedonenſi* Syno-
do grave vulnus malefica voluntate infligе-
rent. Adcedebat *Occidentalis* Eccleſiæ con-
ſenſio; nec quum negatæ communionis pœ-
na in invitos ferri poſſit, *Orientalium*, quo-
rum cauſſa agebatur, habenda potius ratio
vide-

videbatur, quam *Occidentalium*. Quod ſi quid tamen in hoc a ſanctis illis viris peccatum fuit, illud ſane perſequutionibus, exiliique ærumnis, quas pro *Chalcedonenſi* fide infracto animo pertulerunt, compenſatum dici poteſt, atque dilutum (57).

XII. Unum ſupereſt, quod ex *Aimoino* de quibuſdam *Galliæ* Epiſcopis *Febronius* protulit. At ignorare non debuit eſſe doctiſſimos viros, qui eam narrationem inter fabulas numerent (58). Quid? quod adfirmate ajo, Epiſcopos illos, ſi vera *Aimoinus* narrat, in eo peccaſſe, peſſimique rem exempli admiſiſſe. Quamobrem *Aimoinus* ipſe (quod *Febronius* caute diſſimulavit] id vocat PRÆSUMPTIONEM AUDACIÆ. Nunc Lector argumenta, quibus *Romanas* cenſuras abſque ullo

(57) Hæc ſi *Tillemontius* animadvertiſſet, non illud certe quod Catholicæ aures exhorreant, pronunciaſſet (T. XVI. ubi de S. *Euphemio* pag. 662. Ven. edit.) poſſe eos qui extra communionem *Romanam* decedunt [*ceux qui meurent hors de la Communion de Rome*] Sanctorum Confeſſorumque titulum promereri [*peuvent meriter le titre de Saints & de Confeſſeurs*]. An ignorabat *Tillemontius ſequeſtratos a communione Eccleſiæ Catholicæ, qui non conſentiunt Sedi Apoſtolicæ*, ut in formula fidei ſub *Hormiſda* Pontifice tradita legimus, *teſſeramque Chriſtianæ fraternitatis*, ut ajebat *Febronianus Boſſuetius* (*in defenſ. declarat. l. 9. c. 32.*) in *Romani* Pontificis communione a Chriſto conſtitutam? Numquid vere Sancti Confeſſoreſque appellari poſſint, qui *ſequeſtrati* ſint a *communione Eccleſiæ Catholicæ*, extra quam ſalus non eſt, ac *teſſera Chriſtianæ fraternitatis* deſtituantur?

(58) Vide P. du Meſnil *de doctr. & diſcipl. Eccleſ.* T. III. *lib. XXXVII. n.* 20.

ullo Ecclesiæ consensu, si justæ sint, vim habere demonstravimus, recolat, videatque, num *Febronius* exemplis hujusmodi se *abunde* illis *sati sfecisse* vere glorietur.

XIII. Hactenus de *Romanis* censuris generatim egimus, nunc pauca de *Romana* librorum censura videamus. " Quæ, inquit „ *Febronius* [59] adversus Congregationem „ Indicis librorum, & adversus *Romanorum* „ Inquisitorum censuram Febronius *Cap. IX.* „ §. 2. memorat, agnita non solum a viris „ eruditis, sed & a pluribus bonis catholicisque Principibus, ea quidem multum displicent *Zaccariæ T. I. Introduct. Cap. II.* „ *& seqq.* plures, attamen meras adversum „ illa declamationes inijcienti, verum nec „ ille nec socii ejus umquam efficient, ut „ veræ sapientiæ Professores expellantur, ut „ bonæ artes, & cum his justa crisis mittantur in exilium, ut denique humanum „ sensum, & cum voce perdamus memoriam. Habebunt semper Litterati quamdam speciem superioritatis, & imperii in „ aliorum animos, cui ægre resistitur. Viri „ ingenio pollentes, nova aptaque de sua „ penu promentes, mentes hominum sui ævi sibi facile subijciunt: erudita illorum „ scripta, beneficio typi per orbem sparsa, „ obscuriorum temporum nebulas [quibus „ materia de *Romani* Primatus proprietati- „ bus

(59) T. II. pag. 565.

„ bus multo tempore involuta fuit) ſucceſ„ ſu temporis depellunt: tot illi fere nan„ ciſcuntur diſcipulos, quot habent lecto„ res: tantis Magiſtris nemo non adſurgit: „ in eorum ſententiam præſentium animi „ conſpirant, futurorum ingenia & mores „ ad eamdem efformantur: demum ipſæmet „ leges, poſtquam adverſus novam hanc co„ gitandi & agendi rationem aliquanto tem„ pore reluctarunt, novis hiſce moribus, „ nunc univerſalius probatis, adaptantur“. Quid dicam? Hæc ea eſſe dolens dicam, quæ aut in *Danielis Franci diſquiſitionem Academicam de Papiſtarum Indicibus librorum prohibitorum* & *expurgandorum*, aut in *Jonæ Conradi Schrammii* diſputationem *de librorum prohibitorum Indicibus*, ſi quando ab hæreticis recudantur, non ſine honoris præfatione inferantur. Immo & incredulorum natio, quæ tot ubique diſſeminatis libellis inanem quamdam philoſophiam oſtentat ab Apoſtolis prædamnatam, iſthæc libenter cooptaret (60); miſeret enimvero me jactatæ a *Febro-*

 nio

(60) Certe in eamdem *Febronii* ſententiam ajebat Judaicarum epiſtolarum Auctor [*lettre* 53.] : *C' eſt le moyen de bannir la ſuperſtition, quand on laiſſe aux uns la liberté d' inſtruire, aux autres celle de profiter*. Sed *Febronius* ſibi dicta exiſtimet, quæ cl. P. *Gauchatus* adverſus ſceleſtiſſimi operis, cui titulus *l' Eſprit*, impium auctorem animadvertit (*lettr. critiq. T. XII. pag.* 100.) “ Ce „ n' eſt donc point l' ignorance en aucun genre, qu' on „ veut protèger, c' eſt en rèprimant les plumes hardies; „ c' eſt la Religion qu' on veut dèfendre, les moeurs „ qu' on

nio litteraturæ, ſi eo demum nos deducit ut libros impune edere ſe poſſe arbitretur, quibus ſanctiſſima Eccleſiaſtici regiminis forma a Chriſto conſtituta evertatur, reverentia erga Petri ſucceſſores a majoribus tradita abijciatur, inviolabilis cum Apoſtolica Sede communio nihil fiat, latæ a Chriſti Vicario ſapientiſſimæ leges proterantur, formidandæ *Romanæ* Sedis cenſuræ irrideantur. Sapientia mundi hæc eſt, non Chriſti, prudentia carnis hæc eſt, non ſpiritus'. Quanto optabilius, quanto Eccleſiæ utilius, ut ad ea ſæcula, quibus germanæ habebantur *Iſido-*

„ qu' on veut conſerver, la societè, la probitè, qu' on „ veut affermir. En vain les Philoſophes diront ils, que „ de leur preſcrire des bornes a la hardieſſe de leurs ten- „ tatives, c' eſt *bannir entièrement la veritè de l' Uni- „ vers*. [Prèf. *pag. 6.*] que leurs ſyſtèmes procurent des „ *avantages* rèels, ſont le fruit *de l' èlèvation d' ame qui „ ſe rèfuſe au menſonge*. [Ibid.] Tous ces grands mots „ ne nous en impoſent point. Ces *ſyſtemes* ne ſont que „ des plans d' erreurs; ces *avantages* des ravages & des „ ruines; *cette èlèvation d' ame* le trait d' un orgueil „ inovi. En ècartant tout ce jargon, on ſe bornera a „ leur dire: *Pènetres a fond toutes les ſciences; mais a- „ vant tout, reſpectez la Religion, la societè et le throne*. „ Si l' on èloigne, inquit idem Gauchatus (*T. IV. pag.* „ 189.) les hommes de la lecture de certains livres, ce „ n' eſt pas que la veritè craigne les atteintes de l' er- „ reur, ou qu' elle èvite la confrontation: toujours ſure „ de vaincre, elle beille avec plus d' èclat, malgrè les „ prejugès, dont on voudroit l' obſcurcir. Mais tous ne „ ſont point capables de cette diſcuſſion, et n' y ſont „ point deſtinès: c' eſt donc une prudence, et un devoir „ de les dèrober a ces pièges. Le zèle porte ſur la foi- „ bleſſe des Lecteurs, et non ſur la force, ou le poids „ des livres critiques. "

Isidorianæ decretales, revocaremur, modo ea simul rediret animorum in Apostolicam Sedem demissio, qua *Carolus Magnus*, ac deinde *Triburiensis* Concilii Patres (61) statuerunt: *in memoriam Beati* Petri *Apostoli honoremus* Romanam *&* *Apostolicam Sedem*, *ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis*, ESSE DEBEAT MAGISTRA ECCLESIASTICÆ RATIONIS. *Quare servanda cum mansuetudine humilitas*, UT LICET VIX FERENDORUM AB ILLA SANCTA SEDE IMPONATUR JUGUM, TAMEN FERAMUS, *& pia devotione toleremus*. [62]

(61) *Can.* 30.

(62) Confer *Antifebronium* T. I. *Introduct. cap.* 2. *n.* 8. *seqq.* ac vide num ea, quemadmodum *Febronio* visa est *inanis declamatio* appellari possit.

CAPUT VI.

Inter Pontificii Primatus jura & illud a Febronio recensetur, quo Vicarii Apostolici, itemque Legati constituuntur. Abusus, qui hujusmodi ministrorum vitio irrepere possunt, frustra ad jus ipsum minuendum ab eo traducuntur. Febronii fallaciæ in indicanda, quæ in Antifebronio exstat, suorum dictorum confutatione.

I. AT postremum progredimur Pontificii Primatus jus, quod *Febronius* agnoscit. " Quemadmodum, inquit [1], *Petrus*
" generalem *Ecclesiarum inspectorem* pro suo
" qua Primatis officio, egit juxta illud *Act.*
" *IX. v.* 32. *Quum* Petrus *transiret univer-*
" *sos &c.* ita & ejus successori competit fa-
" cultas Ecclesias pro exercitio verorum
" suorum jurium transeundi per se ipsum,
" vel etiam propter difficultates & incom-
" moda hujus itineris, mittendi ad provin-
" cias & regna *Apostolicos Legatos*, aut ha-
" bendi in illis *Vicarios*. Res in se bona
" & utilis, ut sæpe fit, vergit in gravem
" abusum. Qualiter per medium Pontificio-
" rum horum ministrorum & emissariorum,
" seu permanentium seu transeuntium, ob-
" scuris temporibus indebita Pontificiæ au-
" cto-

[1] T. II. pag. 376.

„ ctoritati incrementa in præjudicium juris
„ Episcoporum, Synodorum, quin & sæcu-
„ larium Potestatum, adcesserint, pluribus
„ exponit Febronius *Cap. II* §. 10. Huic
„ se opponit P. Zaccaria *Part. II. lib. I.*
„ *Cap.* 2. *n.* 10. *seqq.* prætendens, Legato-
„ rum & Vicariorum sanctæ Sedis faculta-
„ tes nullo non ævo fuisse respondentes &
„ conformes juribus Apostolicorum eos de-
„ legantium, neque his ab illorum officio
„ quidquam adcessisse novi". De Apostoli-
cis certe ad Principes Legatis, quos *Nun-
cios* dicimus quum agerem, hæc dixeram
(2). " O vuole *Febbronio*, che il Papa non
„ desse di que' giorni a' suoi Apocrisarj al-
„ tra autorità, che di proporre gli affari a'
„ Principi, o che dare non ne potesse lo-
„ ro maggiore. La prima parte potrebbe
„ esser vera, se ciò che or ora diremo
„ degli *Apocrisarj* sotto *Costantino Pogonato*,
„ si voglia intendere, come alcuni fanno,
„ d'una straordinaria legazione; ma questo
„ non fa, che i Pontificj Legati non pos-
„ san dal Papa essere di più ampla giuri-
„ sdizion rivestiti. I Ministri non hanno
„ altro maggior diritto, che quello, che il
„ Principe può dar loro, ma i Principi se-
„ condo le occasioni co' loro Ministri più
„ o meno allargan la mano, ne perchè
„ con uno sieno più ristretti, ne segue che
„ non

[2] T. II. *lib.* I. *cap.* I. *n.* 6. *pag.* 5.

„ non possano in un altro trasfondere maggiore autorità “. Quomodo ergo exhiberi nunc a *Febronio* potui *prætendens Legatorum & Vicariorum sanctæ Sedis facultates nullo non ævo fuisse respondentes & conformes juribus Apostolicorum eos delegantium, neque his ab illorum officio quidquam adcessisse novi?* Ad Vicarios porro Apostolicos quod adtinet quæstionis, quam unam eo loco explicandam suscepi, memoria est ei ut video, refricanda. Dixerat ille (3): “ *Johannes* Papa VIII.
„ constituens *Ansegisum*, *Senonensem* Archie-
„ piscopum, suum per *Gallias* & *Germaniam*
„ Vicarium, dedit ei auctoritatem, *quoties*
„ *utilitas Ecclesiastica dictaverit, sive in evo-*
„ *canda Synodo, sive in aliis negociis exer-*
„ *cendis, per* Gallias, & Germanias *Aposto-*
„ *lica vice finiantur, & decreta Sedis Apo-*
„ *stolicæ per ipsum Episcopis manifesta effi-*
„ *ciantur; & rursus, quæ gesta fuerint, A-*
„ *postolicæ Sedi pandantur*, & majora *nego-*
„ *cia ac* difficiliora *quæque suggestione ipsius*
„ *a Sede Apostolica disponenda & enucleanda*
„ *quærantur*. Quum per hanc commissionem
„ jura Metropolitanorum in convocandis E-
„ piscoporum Conciliis, & *majoribus* etiam
„ caussis in eis terminandis labefactarentur,
„ Episcopi restiterunt “. Porro id unum in *Antifebronio* ostendere adgressus sum hisce Vicarii Apostolici facultatibus, eaque præfer-

[3] T. *I. Cap. IV.* §. *I. n.* 4. *pag.* 226.

ſertim, quæ cauſſarum majorum relationem ad *Romanum* Pontificem mittendam ſpectabat, ut negocii definitio ab eo expectaretur, jura Metropolitarum læſa nequaquam *Gallos* Epiſcopos potuiſse conqueri, quum a primæva Vicariorum in *Galliis* inſtitutione majores cauſsæ ab Apoſtolico Vicario fuiſsent *Romam* deferendæ. Hac enimvero una in re *nihil novi* ad veterem Vicariorum Apoſtolicorum dignitatem *adceſſiſſe* adſerui; numquam autem mihi venit in mentem, non potuiſse *Romanos* Pontifices Vicariis ſuis pro temporum, locorum, negociorumque diverſitate majorem, minoremve tribuere auctoritatem; immo diſerte ſcripſi (4), Vicariis Illyrici *Romanos* Pontifices ordinationes in illis Provinciis detuliſse, non item Vicariis *Galliarum*, *Hiſpaniarum &c.* licet eodem quo eas Vicariis *Illyrici* conceſserunt, ceteris quoque Vicariis adjudicare jure potuiſſent; quod ſane non omnes eadem auctoritate Vicarios fuiſſe præditos indicat. Quocum adverſario Deus immortalis! mihi res eſt, qui ſua meaque dicta pro arbitrio pervertit, noſtramque concertationem a re propoſita in diverſum abducit!

II. Vicariorum deinde Apoſtolicorum inſtitutionem ad *Romanorum* Pontificum induſtriam revocat. " Quum enim intelligerent, ,, quanti momenti eſſet adfirmandam aucto- ,, rita-

(4) T. *II. lib. I. cap. II. n. II. pag.* 73.

„ ritatem suam apud exteras gentes, id est, „ ab Urbe procul dissitas, gratia Episcoporum illustrissimarum Ecclesiarum, quibus „ ob prærogativam urbium præsto quoque „ erat Principum favor, eos in suas partes „ trahere studuerunt variis modis atque ra„ tionibus. Sed nulla potentior antiquitus „ visa est, quam si Episcopos illos ornarent „ dignitate *Vicariorum Sedis Romanæ*", Qua in re verba recitat *Stephani Baluzii* in supplementis ad *Petrum* de *Marca* (5). Sed libenter ex *Febronio* sciscitarer, quid hæc de caussis, cur *Romani* Pontifices Vicarios Apostolicos constituerint, *Baluziana* disceptatio ad nostram dimicationem pertineat. *Baluzium* & ipse moram, qui illum eo ipso loco appellaveram. At rursus edico: non ego hanc inii cum *Febronio* quæstionem. Hoc unum meæ secum controversiæ caput est, an *Galli* Episcopi *Drogonem* & *Ansegisum* Apostolicos Vicarios recusarint, quod caussarum majorum ad *Romanam* Sedem relatio, illis a *Johanne* VIII. præscripta Juribus Metropolitarum incommodaret. Adfirmaverat ille; negavi ego, atque ea protuli meæ sententiæ argumenta, quæ diluere *Febronii* vindex desperavit. Cur *Romani* Pontifices de instituendis Vicariis Apostolicis cogitarint alia omnino quæstio est, de qua in *Antifebronio* ne verbum quidem. Ceterum

(5) *de Conc. lib. V. cap. 19. n. 2.*

rum quoniam nunc *Febronio* placuit novam hancce quæſtionem adtingere, monendus eſt, *Baluzianam* quam laudat diſſertationem, non ſatis cum ipſius decretis conſentaneam videri. *Baluzius* enim ad Pontificum *Romanorum* rationes induſtriamque Vicariorum inſtitutionem refert [6], quum tamen ipſe ad Primatus jura eam vere traducat. Quod ſi velit *Baluzium*, Pontificum induſtriam non tam in Vicariorum conſtitutione ſpectaſſe, quam in Epiſcoporum, quos Vicarios dicerent, electione; ſciat *Baluzium* inſigniter hallucinatum fuiſſe. Cauſſas, cur Vicarios Apoſtolicos in Provinciis magna longinquitate diſſitis conſtituerent *Romani* Pontifices, docet *Anaſtaſii* ad Remigium *Remenſem* epiſtola ab aliis *Hormiſdæ* tributa, ut nempe *& Apoſtolicæ Sedis Vigorem, & Patrum regulis ſuaderent adhibere cuſtodiam*. An autem *Baluzius* putat, humilium Sedium Epiſcopos in tanta præſertim Metropolitarum ambitione hæc impleturos fuiſſe, quum ipſi illuſtriſſimarum Eccleſiarum Antiſtites non ſemel graviſſimas cum ab Epiſcopis, tum a Metropolitis moleſtias pertulerint? Non igitur hæc ad politicam quamdam *induſtriam* referenda ſunt, ſed ad muneris, quod Vicariis deferebatur, ſuſtinendam auctoritatem.

III.

[6] Hinc *Febronius* in indice ſecundi hujus Voluminis [*pag. 646.*]: *Vicarios* Romani *Pontifices ſibi per Provincias ex ratione politica conſtituunt* 280. quo loco eadem *Baluzii* ſententia redditur.

III. Multa deinde *Febronius* ex *Ivone Carnotensi* recitat in ea, quæ inter hunc, & *Hugonem* Lugdunensem legatum Apostolicum intercessit, controversia, præsertim vero hæc *Ivonis* [7] expendenda monet; " HOC VELLEM CUM MULTIS MECUM PIE SENTIENTIBUS, ut *Romanæ* Ecclesiæ Ministri, tanquam probati medici, majoribus morbis sanandis intenderent, & non ab irrisoribus suis audirent; *calicem colantes, camelum glutientes, rutam, mentam, cymi-num & anetum decimatis, graviora autem legis prætermittitis*; quum per totum pene mundum flagitia & facinora videmus publice perpetrari, nec ea a vobis aliquando justitiæ falce resectari &c. " Tum addit hæc in Apostolicam Sedem ejusque Nuncios sane honorificentissima quæ scilicet *Melanchtonem* scribere puduisset [8]. " Si quæras, cur illi a Sede Apostolica mittantur, speciose respondetur a Canonistis, ut evellant, dissipent, ædificent, plantent sacram Religionem, mores christianos restaurent; ipsi e contra toti quanti occupabantur, aut strepitum appellatarum ad se litium, aut ceremoniali aularum, negociationibus politicis, explorationibus & relationibus ad Curiam faciendis, utque homines spiritu *Romano* imbutos conscribant,

[7] *Ep. 65. edit. a.* 1585.
[8] *T. II. pag.* 381.

bant, atque Sedem Apostolicam adorari, „ quantum valent, procurent, eos persequendo, qui (uti *Ivo Carnotensis*) rationabile illi & ratiocinans obsequium dumtaxat deferrent. Quid hodie fiat, alii indagent". *Indagent* alii, per me etiam licet sed hoc saltem voluissem, ut *Febronius indagasset*, num hæc ad *Antifebronium* pertinerent. Ego sane negarem. Id *Febronius* statuerat [9], *ab initio Legatos Pontificios ne minimam quidem partem jurisdictionis exercuisse, sed fuisse meros Apocrisarios, & Responsales; sæculo autem IX. post falsas decretales Nuntios Apostolicos amplissimam potestatem sortitos fuisse, ut ad specimen regiminis sæcularis essent instar Præsidum Provinciarum, exercuisseque concurrentem cum Episcopis jurisdictionem*. O falsarum decretalium scelus! Sed ad rem. In *Antifebronio* non admodum me difficilem ostendi in eo, quod Apostolicos ad Principes Legatos primum *fuisse meros Apocrisarios & responsales Febronius* dixerat. Duo tamen addidi: primum potuisse tamen Pontifices multo ampliorem suis Apocrisariis auctoritatem deferre; alterum, reipsa multo ante falsas decretales detulisse, idque *Constantini Pogonati* verbis in epistola a. 682. ad *Leonem* II. scripta confirmavi (10): *hortamur porro vestram sanctissimam Summitatem, ut* quam-

[9] T. I. cap. II. §. 10. n. 1.
[10] T. III. Conc. Hard. col. 1465.

quamprimum mittat, quem designare solet, Apocrisarium, ut is in Regia, & a Deo conservata nostra urbe degat, & in emergentibus, sive dogmaticis, sive canonicis, ac prorsus in ecclesiasticis omnibus negociis vestræ Sanctitatis referat personam. Quam apte atque efficaciter hæc a *Febronio* diluuntur illis, quas in Apostolicos Legatos conjecisse vidimus, contumeliosissimis criminationibus!

IV. Ceterum quum *Febronius* heic Pontificios Nuncios cum Legatis, cujusmodi Hugo *Lugdunensis* erat; minus recte confundat, ne miretur tantam Legatorum auctoritatem, audiat ex cl. *Carolo Gagliardio* (11) quanta olim Legatorum dignitas esset atque potestas. " S, *Gregorius* M. ad Episcopos *Siciliæ* „ rescribens patefacit, Legationes Apostoli„ cas in aliquo Regno, provinciave gene„ rales cum amplissima potestate viguisse ante „ sæculum VI. " *Valde necessarium esse perspeximus*, ait, *ut sicut prædecessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus, ut ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas. Quamobrem* Petro *subdiacono Sedis Nostræ intra Provinciam* Siciliam *vices nostras Deo auxiliante commisimus*. Quod si tanta jam tum inerat Legatis Apostolicis auctoritas, cur non eamdem *Romani* Ponti-

fices

[11] *Institut.* Juris *Canon. Comm.* & *Neapolit. lib.* I. *tit.* XXII.

fices Nunciis ad Principes ſuis conferre potuiſſent? Expectare ne falſas decretales debuerant, ut quæ Legatis, immo & Vicariis Apoſtolicis ad continendos in officio Epiſcopos, canoneſque vindicandos jura ex *Primatus* auctoritate concefferant, eadem ubi id neceſſitas poſtularet, Nunciis quoque tribuerent?

V. Nuncii ſuo munere haud funguntur; quin etiam conceſſis ſibi facultatibus in Epiſcoporum contemptionem abutuntur. Scilicet Nuncii quoque ac Legati homines ſunt; nihil ergo humani ab eis alienum puto. Sed addendum fuit, *Tridentinos* Patres [12] non paucos poteſtatis abuſus, qui in Legatis, Nunciiſque Apoſtolicis obtinuerant, ſanctiſſimis decretis reformaſse; illud vero maxime, ex abuſibus ad ipſam poteſtatem negandam peſſimam eſse argumentandi rationem. Horret animus ea recolens, quæ de Epiſcopalis auctoritatis abuſibus paſſim in Eccleſiaſticis referuntur Annalibus. Quis niſi deſipiat, hinc licere ſibi exiſtimet Epiſcopos a ſuis legitimis juribus deturbare? Verum ut ne a Legatorum exemplo diſcedamus, ipſe ille *Ivo* quem de Apoſtolicis Legatis querentem *Febronius* induxit, audiendus eſt. Ita igitur ille *Paſchali* ſummo Pontifici ſcribit (13): " Quum enim a la-
" tere

[12] *Seſſ. XXII. & XXIV. de reform.*
(13) *Ep.* 109.

„ tere veſtro mittitis ad nos Cardinales ve-
„ ſtros, tamquam filios uterinos; quia in
„ tranſitu apud nos ſunt, non tantum non
„ poſsunt curanda curare, ſed nec curanda
„ proſpicere, inde eſt, quod multi præpoſi-
„ torum facta gladio linguæ ferire cupien-
„ tes, dicunt, Sedem Apoſtolicam non ſub-
„ ditorum quærere ſanitatem, ſed ſuam, aut
„ lateralium ſuorum quærere commoditatem.
„ Unde & quidam conregionales noſtri hoc
„ murmur non æquanimiter adcipientes, ut-
„ pote *Romanæ* Eccleſiæ filii unanimes, ſcri-
„ bere decrevimus ſanctitati veſtræ, ut ali-
„ cui *Tranſalpino* legationem Sedis Apoſto-
„ licæ injungatis QUI ET VICINIUS SUB-
„ REPENTIA MALA COGNOSCAT, & ea
„ vel per ſe, vel relationem ad Sedem A-
„ poſtolicam maturius curare prævaleat. "
Viden quantum legatorum poteſtati *Ivo* de-
tulerit, licet interdum de eorum abuſibus
conquereretur? Sed ad alia *Febronius* nos
vocat.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De aliis Primatus juribus, quæ ſolum a Conciliis atque Epiſcopis Romano *conceſſa fuiſſe Pontifici* Febronius *contendit.*

CAPUT I.

Generatim quæritur, num a Synodis, & Epiſcopis (quod ait Febronius *), repetenda ſint plurima* Romani *Primatus jura?*

I. HAbet, inquiebat *Febronius* eo loco quem primo ſuperioris diſſertationis capite appellavimus, (1) *univerſalis Primatus ſua jura partim ex jure divino, partim ex humano; immo* PLURA EX HOC, QUAM EX ILLO. Nempe quæ in eadem diſſertatione perpendimus jura, ea ſunt, quæ ex *jure divino* profecta *Febronius* agnoſcit, licet ab eo mirum in modum adtenuata. Cetera a Conciliis, atque ab Epiſcopis *Romano* Pontifici adceſſerunt, immo, inquit idem *Febronius* (2), *Canones & Concilia Pontificibus Juriſdictionem* VERE TALEM, *atque alia contulerunt, quæ proprio & nativo jure, non habent*, ut Juriſdictionem VERE TALEM non eſſe ex jure divino *Romanorum* Pontificum propriam in-

(1) T. I. Cap. II. §. 7. n. 9.
(2) T. II. pag. 313.

intelligamus. Quam parum hæc diſtant a *Nili* & *Illyrici* hæreſi, quam *Bellarminus* confutandam ſuſcepit! (3) Hi enim *Romani* Pontificis auctoritatem eſſe a generalibus Conciliis adſerebant; quare quum Primatus abſque juriſdictione *vere tali* vix aliud ſit quam honoris Primatus, certe non ſupremæ cujuſdam auctoritatis; illud quod *Febronius* ex jure divino *Romanis* Pontificibus largitur, tam exiguum eſt, ut vix non ſibi adſenſuros fuiſſe *Nilum*, *Illyricumque* ominari poſſit.

II. Nos enimvero oſtendimus, Primatum, qui ex Chriſti inſtitutione *Petro* ejuſque ſucceſſoribus concreditus fuit, vera propriaque juriſdictione in univerſam Eccleſiam etiam in Conciliis generalibus congregatam præſtare, ut nihil eorum, quæ ad eam pro dignitate, & Catholicæ unitatis cum formandæ tum conſervandæ neceſſitate exercendam maxime pertinent, ab alio potuiſſe, quam a divino ipſius Primatus auctore derivari, atque conſtitui neceſſe ſit. Id uti jura, quæ *Febronius* Conciliis & Epiſcopis tribuit, ſingulatim conſiderabimus, manifeſtius fiet. Interea hoc ipſum veterum *Romanorum* Pontificum teſtimoniis confirmabimus. *Bonifacius* igitur primus univerſis Epiſcopis per *Theſſaliam* conſtitutis hæc a. 422. ſcribebat (4): Ni-

(3) *de Rom. Pont. l.b.* II. *cap.* 17.

(4) *ep. XIV. T.* I *Epiſt. R. P. Couſt. col* 1037. Hanc quidem epiſtolam *Queſnellus* in ſuppoſitionis aut interpolatio-

Nicænæ *Synodi non aliud præcepta testantur: adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, quum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa*. Eodem pertinet, quod *Gelasius* scripsit (5): Romana *Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est; Sed evangelica voce Domini & Salvatoris Nostri primatum obtinuit*.

III. Non negaverim tamen, Canones Conciliorum quodammodo tribuisse *Romanæ* Ecclesiæ auctoritatem, quia, ut ait *Bellarminus* (6), eam declararunt, & adseruerunt; quemadmodum etiam dicitur *Nicænum* Concilium definivisse, Filium Dei esse Patri consubstantialem. Quamobrem idem *Gelasius* in epistola ad Episcopos *Dardaniæ* ita *Romanæ* Ecclesiæ *principatum* explicat, ut *quem beatus* Apostolus *Petrus* Domini voce percepit, eum illam, *Ecclesia nihilominus* SUBSEQUENTE, *& tenuisse semper & retinuisse* adfirmet. Igitur *Domini voce* percepit *Petrus* Primatum, ejusque jura; quid Ecclesia in Conciliis, aut per dispersos Episcopos? Vocem Domini *subsequuta* est, non conferens *Petri* successoribus auctoritatem, quam in *Petro* Domini voce *perceperant*, sed illam agnoscens

lationis suspicionem adducit; sed egregie confutatus fuit a *Ballerinis* T. II. *oper. S. Leon. col.* 53.

[5] *Ep.* 33. *n.* 1.

[6] *l. c.*

scens, & prædicans. Alibi dixerat (7): *Apostolicæ vero Sedis auctoritas quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit universæ, & Canonum serie paternorum, & multiplici traditione firmatur*. Canonibus nempe, ac traditione effectum non est, ut *Ecclesiæ prælata sit universæ*, sed confirmatum. " *Johan-*
" *nes* quoque II., inquit *Bellarminus* [8],
" in epistola ad *Justinianum*, postquam di-
" xerat, *Romanam* Ecclesiam esse *caput Ec-*
" *clesiarum*, subiungit: *sicut Patrum regulæ*
" *& statuta declarant*. Et *Nicolaus* I. in epi-
" stola ad *Michaelem Imperat. Ista* inquit,
" *privilegia huic S. Ecclesiæ a Christo sunt*
" *donata, a Synodis non donata, sed celebra-*
" *ta & honorata &c.* Et in IV. Synodo sub
" *Symmacho* tres caussæ numerantur, si quis
" prudenter advertat, primatus *Romanæ* Ec-
" clesiæ. Sic enim legimus: *Ejus* [id est
" *Symmachi*,) *sedi primum* Petri *Apostoli*
" *meritum, deinde sequuta jussione Domini*
" *Conciliorum venerandorum auctoritas, singu-*
" *larem in Ecclesiis tradidit potestatem*. Ubi
" primo ponitur *Petri* meritum, quia ob
" meritum confessionis obtinuit *Petrus* Pri-
" matum, *Matth. XVI.* Secundo ponitur
" Domini jussio, qua institutus est Prima-
" tus, & *Petro* collatus, quum ei dictum
" est: *Pasce oves meas* Joh. ult. Tertio po-
" nitur

[7] *in epist. ad Anastas. Imp.*
[8] *l. c.*

„ nitur Conciliorum auctoritas, quæ hanc „ Domini jussionem declaravit". Idipsum indicavit *Maximus* Confessor, quum ad *Petrum illustrem* scriberet: *Sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam, idest Apostolicam Sedem, ab ipso incarnato Dei verbo sed & ab omnibus Sanctis Synodis secundum Sacros Canones, universarum quæ in toto terrarum orbe sunt Sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepisse & habere imperium?*

IV. Neque vero aliud sensit *Zosimus*, quem nobis *Febronius* obijcit (9). *Apostolicæ Sedi*, inquiebat ille (10), *in honorem beatissimi* Petri *Patrum decreta peculiarem quamdam sanxere reverentiam*. At quomodo sint ea intelligenda, ipsemet alia in epistola docet [11] his verbis: " Quamvis Patrum tradi„ tio apostolicæ Sedi auctoritatem tantam „ tribuerit, ut de ejus judicio disceptare „ nullus auderet, idque per Canones sem„ per regulasque servaverit, & currens ad„ huc suis legibus ecclesiastica disciplina *Pe„ tri* nomini, a quo ipsa quoque descendit, „ reverentiam, quam debet, exsolvat: tan„ tam enim huic Apostolo canonica anti„ quitas per sententias omnium voluit esse „ potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei

 „ no.

(8) *l. c. pag.* 313.
(10) Apud Coust. *col.* 943.
[11] *Ep.* XII. *col.* 974.

„ noſtri promiſſione, ut & ligata ſolveret, „ & ſoluta vinciret; par poteſtatis data con- „ ditio in eos, qui ſedis hereditatem, ipſo „ adnuente, meruiſſent: habet enim ipſe „ cum omnium eccleſiarum, tum hujus ma- „ xime, ubi ſederat, curam, nec patitur „ aliquid privilegii aut aliqua titubare au- „ ra ſententiæ, cui ipſa ſui nominis firma, „ & nullis hebetata motibus conſtituit fun- „ damenta, & quæ ſine ſuo periculo teme- „ re nullus inceſſat: quum ergo tantæ au- „ ctoritatis *Petrus* caput ſit, & ſequentia „ omnium majorum ſtudia firmaverint, ut „ tam humanis quam divinis legibus, & „ diſciplinis omnibus firmetur *Romana* Ec- „ cleſia, cujus locum nos regere, ipſius quo- „ que poteſtatem nominis obtinere non la- „ tet vos &c. " Longiuſcula igitur hæc *Zo- ſimi* ſententia eo ſpectat, ut intelligamus, quam Patrum traditio, & canonica antiqui- tas Sedi Apoſtolicæ tribuit auctoritatem, eam ex *Chriſti promiſſione* derivatam fuiſſe; *ſe- quentia* Patrum *ſtudia* eam firmaſſe auctori- tatem, cujus *Petrus* caput erat ex eadem *Chriſti promiſſione*, humanaſque leges id fir- maſſe, quod divinæ ſanxiſſent. Nihil ergo *Zoſimus* a ceteris, quos nuper appellavimus, *Romanis* Pontificibus hac in re diſcrepat.

V. Aliud præterea *Romanæ* Sedi perhono- rificum, ſed a Primatu, de quo nobis eſt cum *Febronio* contentio, longe diverſum cum

Ro-

Romani Pontifices, tum Concilia designare voluisse mihi videntur, siquando a Synodis, Patribusque auctam Pontificis dignitatem indicarunt. Ad Patriarchalem in universum Occidentem ea spectant auctoritatem. Hæc non juris divini est, quemadmodum Primatus, sed Ecclesiastici. Quum ergo vel Synodi, vel Patres aliquid *Romanæ* sedi tribuisse honoris, aut etiam primatus dicuntur de Patriarchalis honoris, ac Principatus dignitate intelliges, quam ipsam Concilia & Patres esse in *Romano* Pontifice supra ceteros *Orientis* Patriarchas longe præcipuam vel *firmarunt*, vel *agnoverunt*, ut qui *domini voce* Primas Ecclesiæ constitutus esset, omnibusque auctoritate præcelleret, idem quoque etiam in Patriarcharum ordine primus haberetur. Huc præsertim sextus *Nicænæ* Synodi canon pertinet. *Non aliquid* illa *super* Romanum Pontificem veluti christiani orbis Primatem *ausa est constituere* (quod *Bonifacius* ajebat). Ait quidem illa: *Ecclesia* Romana *semper habuit Primatum* (12). Sed *Prima-*

(12) *Quesnellus* duo commentus est, ut hocce in Romanam Sedem *Nicænæ* Synodi testimonium sane honorificentissimum eluderet. Primum enim in hujus canonis textum ex uno mendoso & posteriori *Oxoniensi* Codice *habeat primatum* inferre maluit, quam cum plurimis iisque antiquissimis exemplis legere: *habuit primatum*: deinde (quod *Dupinius* avide adripuit) partem hanc Canonis esse adjectitiam, ac vel *eam ex margine impressam in textum*, *vel a* Romanæ Ecclesiæ *clericis* (en vetustissimum *Curiæ* stylum),

matus nomine non heic designatur universalis ex Christi institutione in Ecclesiam Primatus, sed supra Patriarchas ex Ecclesiæ jussione principatus. Nam præterquamquod si *Nicæni* Patres divinum heic Primatum spectassent, aliis id verbis innuisse debuerant, prisca a *Justello* edita, atque a *Balleriniis* ad MSS. Codices diligentissime exacta hujus loci versio ita habet (13): *Antiqui moris est, ut Urbis* Romæ Episcopus *habeat principatum*; versio autem, quam Cardinalis *Deusdedit* [14] exhibet, ejusmodi est: *Antiqua consuetudo obtinuit, ut Urbis Romæ Episcopus &c.* An autem *antiquum morem*, *antiquam consuetudinem* appellassent *Nicæni* Patres si jus divinum. Primatus respexissent? Quare quod in illustri *Gelasii* fragmento, apud *Sirmondum* dicitur: *Sedi S.* Petri *trecentorum decem & octo Patrum invicto & singulari judicio* VETUSTISSIMIS JUDICATUS EST HONOS, eodem redit, neque ad universalem Primatum pertinet, qui non vetustate, sed divina jussione comprobatur (15). Sed vide *Ni-*

lum), *aliisve esse additam ne* Romanæ *dignitatis obliti esse Ss. Patres viderentur*. Utrumque hujus hypercritici figmentum *Ballerinii* strenue refellunt in adnotationibus ad eum Codicis Canonum a *Quesnello* editi locum [T. III. *operum S. Leonis pag.* 52.] quos vide.

[13] T. III. *S. Leon. col.* 498.

(14) *lib.* I. *n.* 1. suæ collectionis, quæ continetur in MS. Vaticano 3833.

(15) Non negaverim tamen hæc ipsa *Nicænæ* Synodi verba illustre quoddam pro universali Primatu argumentum sup-

Nicænorum Patrum in *Romanum* Pontificem reverentiam. Ne de Patriarchali quidem summi Pontificis dignitate quidquam statuerunt, *veterem morem*, & *consuetudinem* appellare contenta. Quo respiciens *Nicolaus* I. (16) ajebat: *Si instituta* Nicænæ *Synodi* diligenter *inspiciantur*, *invenietur profecto*, *quia* Romanæ *Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus forma*, *quod* Alexandrinæ *Ecclesiæ tribueret particulariter*, *sumpsit exemplum*: Sumpsit autem in iis, quæ ad Patriarchalem dignitatem spectant, non in iis, quæ divini sunt Primatus.

VI. Intelligit, opinor, *Febronius*, quam inepte ad Primatum ea *Chalcedonensis* Concilii (17) retulerit [18]: *Throno antiquæ* Romæ, *quod urbs illa imperaret*, *jure Patres privilegia tribuerunt*. Contendit quidem ille, Con-

suppeditare. Neque enim aut *canonica antiquitas* alia de caussa videtur principem inter Patriarchas locum *Romano* Pontifici adseruisse, quam quod nossent eum, ut universis præsideret, esse a Deo constitutum; aut ipsi *Nicæni* Patres nihil de Patriarchali ejusdem dignitate decernere ausi fuerunt nisi quod in eo *Petrum* a Christo universæ Ecclesiæ præpositum venerabantur. Quamobrem recte *Valentinianus* III. in Novella [T. I. Oper. S. Leonis col. 642.] *quum igitur*, inquit, *Sedis Apostolicæ primatum S.* Petri *meritum*, *qui princeps est episcopalis coronæ*, & Romanæ *dignitas civitatis*, *sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas*; *Nicænæ* scilicet non *Constantinopolitanæ*, uti contra *Salmasium* disputat Cl. *Sirmondus* in censura dissertationis secundæ *de Ecclesiis suburbicariis* cap. II.

(16) *Ep.* VIII.

(17) *Can.* XXVII.

(18) *l. c.*

Concilium his verbis *varias* Romanæ *Sedis* prærogativas libero Ecclesiarum consensui tribuisse. Verum *Chalcedonenses* Patres *Romanam* Sedem respexere non ut Primatis dignitate fulgentem; (privilegia enim Apostolicæ Sedis tanquam Primatis *non a Patribus sed a Deo constituta sunt*, ut ajebat *Gelasius*] sed ut Patriarchico jure donatam: quod unum ad augenda in *Constantinopolitano* Episcopo τα πρεσβεια της τιμης (*præeminentias honoris* diceremus) pertinebat. Ceterum ignorare *Febronius* non debuit, hunc *Chalcedonensem* Canonem numquam fuisse a *Latina* Ecclesia probatum, immo ne ab ipsis quidem *Græcis Photio* antiquioribus: qui XXVII. tantum *Chalcedonenses* Canones adceperunt (19). Ac jure quidem; nam ut ne omnia quibus hunc Canonem scatere ostendit *Christianus Lupus* (20), vitia persequar, duo ille maxime continet reprehensione dignissima; *Sedis Apostolicæ injuriam*, & *Canonum* (Nicænorum) *eversionem*, quemadmodum Synodi Patribus *Lucentius* S. *Leonis* Legatus exprobravit. Ac de canonum eversione res ex S. *Leonis* epistolis est manifesta. Sufficiet heic ea adnotare, quæ ad ipsum *Anatolium Constantinopolitanum* Episcopum, cujus caussa is canon editus fuerat, Sanctissimus Pontifex

(19) Confer *Ballerinios* in adnotationibus ad primam *Quesnelli* dissertationem (T. II. *oper.* S. Leon. *col.* 515.)
[20] *in adnotat. ad hunc Canon.*

fex ſcripſit (21), „Doleo etiam in hoc di-
„ lectionem tuam eſse prolapſam, ut ſacra-
„ tiſſimas *Nicænorum* canonum conſtitutiones
„ conareris infringere: tamquam opportune
„ ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecun-
„ di honoris privilegium ſedes *Alexandrina*
„ perdiderit, & *Antiochena* Eccleſia proprie-
„ tatem tertiæ dignitatis amiſerit: ut his
„ locis juri tuo ſubditis, omnes Metropoli-
„ tani Epiſcopi proprio honore priventur.
„ ... Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt
„ prava, quæ ſacratiſſimis canonibus inve-
„ niuntur eſse contraria. In totius Eccle-
„ ſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit e-
„ latio, quæ ita abuti voluit Concilio Sy-
„ nodali, ut Fratres in fidei tantummodo
„ negocio convocatos, & definitione ejus
„ cauſsæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad
„ conſentiendum ſibi, aut depravando tra-
„ duceret, aut terrendo compelleret. Inde
„ enim fratres noſtri ab Apoſtolica Sede di-
„ recti, qui vice mea Synodo præſidebant,
„ probabiliter atque conſtanter illicitis auſi-
„ bus obſtiterunt, aperte reclamantes, ne
„ contra inſtituta *Nicæni* Concilii, præſum-
„ ptio reprobæ novitatis adſurgeret". Ad
injuriam vero Sedis Apoſtolicæ quod ad-
tinet, eam *Ballerinii* amoliri conantur (22).
Verum quum eam agnoverit S. *Leonis* Le-
gatus,

(21) *Ep. CVI. col.* 1161. *Ball. edit.*
[22] T. II. *oper. S. Leon. col.* 515. *ſeq.*

gatus, quid hoc eſt niſi *æthiopem dealbare?* Equidem fateor, hoc canone divinis *Romanæ* Sedis juribus nihil ademptum, etſi *Cacciario* aliter viſum eſt (23); a *Petro* enim hæc jura in eam Sedem derivata eſſe quei negaſſent *Chalcedonenſes* Patres, qui alibi ipſum *Petrum*, & *Petri* auctoritatem in *Leone* profeſſi, & venerati erant? (24), ac præterea, ut dixi, non ea-Patrum mens erat, ut Pontificio in univerſam Eccleſiam Primatui quidquam detraherent. Illud tamen in eo Canone eſt *Romanæ* Sedi etiam ut Patriarchali valde injurioſum, quod privilegia a Patribus illi conceſſa dicantur, *quia imperaret*. Illa hæc in mentem veniunt, quæ de *Acacio* poſtea *Gelaſius* ſcripſit in epiſtola ad Epiſcopos *Dardaniæ*. " Riſimus autem, quod „ prærogativam volunt *Acacio* comparari, „ quia Epiſcopus fuerit Regiæ civitatis. „ Numquid apud *Mediolanum*, apud *Ravennam*, apud *Sirmium*, apud *Treviros* multis „ temporibus non conſtitit Imperator? Numquidnam harum urbium Sacerdotes ultra „ menſuram ſibimet antiquitus deputatam „ quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt? " Sed ridere non poſſumus *Chalcedonenſium* Antiſtitum confidentiam, quæ privilegia Patriarchali *Romanæ* Sedi a Patribus conceſſa in Im-

[23] *Exercitat. in S. Leon. opera pag.* 508. *ſeq.*

(24) Vide *Act. I.* & 2. item Synodi relationes ad ipſum S. Leon. & Imp.

Imperium referebat. Ipse enim ille honos, qui huic Sedi tributus est a Patribus, dum eam ita totius *Occidentis* Patriarchalem Thronum agnoverunt, ut ceterarum Patriarchalium sedium princeps haberetur, ex *Petro* adcersitus ei fuit, cui id deberetur, ut quemadmodum ei τα ΠΡΩΤΕΙΑ (primatum) Christus tribuerat, ita Ecclesia τα πρεσβεια της τιμης supra omnes Patriarchales Sedes adjudicanda fateretur. Unde enim nisi ex *Petro Alexandrinæ*, & *Antiochenæ* Sedi Patriarchalis dignitas? *Quum multi sint Apostoli*, ajebat S. *Gregorius* Magnus (25), *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.* Quare quum *Petrus Romanam* Sedem præ ceteris sibi vindicarit, dubium non est, quin majori illa etiam ut *Occidentalis* Patriarchatus Sedes dignitate reliquis præstet. Unde advertimus, inquit S. *Innocentius* I. in epistola ad *Alexandrum Antiochenum* (26), *non tam pro Civitatis magnificentia hoc* (Patriarchalem honorem intelligit) *eidem* (Antiochenæ Urbi) *adtributum*, *quam*

(25) *lib.* VII. *ep.* 40. *al.* 37. *lib.* 6.

quam quod prima primi Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen adcepit Religio Christiana, & quæ conventum Apostolicum apud se fieri celeberrimum meruit, quæ urbis Romæ *Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet*. Quid vero illud, quod privilegia *Romanæ* & *Constantinopolitanæ* Sedi concessa in eodem illo Canone *æqualia* prædicantur? Mitto *æqualia* numquam futura, quæ ita utrique Sedi adscriberentur, ut altera alteri primo honoris gradu antecelleret. *Æqualia* quod utrique Sedi adscriberentur, ut altera alteri primo honoris gradu antecelleret. *Æqualia* quod utrique Sedi tributa privilegia dicantur, multum Sedis *Romanæ* auctoritati detrahit. Nam licet *Romanus* Pontifex ut Patriarcha *Occidenti* æquo jure, quo ceteri Patriarchæ *Orienti*, imperet, universim tamen absque Apostolicæ Sedis injuria edici nequit, *æqualia* esse *Romanæ* Sedis, atque *Orientalium* jura; quemadmodum etsi Ducis, Comitisque jura eadem in omnibus sunt, nec majore Rex *Galliæ* potestate polleat tamquam *Burgundiæ* Dux, aut *Delphinatus* Comes, quam illarum Provinciarum Duces Comitesve antequam illæ in regis potestatem redactæ sunt; qui tamen *æqualia* esse jura *Galliarum* Regi atque olim *Burgundiæ* ducibus ac Comitibus *Delphinatus*, generatim pronunciaret, de *Galliarum* Rege contem-

temptim' loqui perhiberetur. Scilicet non solo *Burgundionum* Ducum ;aut *Delphinatium* Comitum jure, sed Regio præterea amplissimo *Galliæ* Rex imperat; quod generali illo effato elevari videretur: nec solo Patriarchali jure potitur *Romana* Sedes, sed longe magnificentiore Primatis in universam Ecclesiam, quod ea *Chalcedonensium* Patrum propositio saltem dissimulat, obtegitque. Atque id præterea *Constantinopolitanorum* Præsulum ambitioni ansam præbere facile poterat ampliorum in dies sibi per nefas vindicandorum jurium, ac sub *æqualium* privilegiorum obtentu ipsius Pontificii Primatus excutiendi: quod utinam sequentium illius Sedis Antistitum gesta non comprobassent! Non est ergo cur de *Chalcedonensi* hoc Canone multum *Febronius* sibi blandiatur.

CA-

CAPUT II.

Num jus terminandorum diœcesium finium; quod Febronius *ait*, Romano *Pontifici non ex ipsa Primatus vi, sed ex Ecclesiæ consensione adtesserit.*

1. MAgna sunt, ac valida, quæ adversus *Febronianum* illud de Pontificiis plerisque juribus ab Ecclesiæ concessione repetendis decretum adtulimus. Verum etiam proderit quam late diffusa sit ejus dogmatis pernicies, cognoscere quantamque Pontificiæ auctoritati calamitatem & stragem inferat. Quæ igitur ex eo sequantur, operæ prætium erit singulatim expendere. Primo itaque audiamus, quid de jure finium cujuscumque diœceseos terminandorum *Febronius* disputet. " Ante Episcopi, inquit „ (1), tum singuli, tum in Synodis con„ gregati, pleno suo jure utebantur confor„ miter ad dispositionem Canonum & anti„ quam consuetudinem. Inde intelligitur, „ quare Patres Concilii *Nicæni* Can. VI. „ volentes designare limites majorum diœ„ cesium non recurrerint ad determinatio„ nem *Romani* Pontificis, sed *ad usum* ge„ neraliter receptum inde a tempore Apo„ stolorum: *Antiqua*, inquiunt, CONSUE-

„ TU-

(1) T. II. *pag.* 313.

„ TUDO *servetur per* Ægyptum, Pentapolim
„ *&* *Lybiam*, *ut* Alexandrinus *Episcopus horum omnium administrationem habeat*. *Similiter* & *apud* Antiochiam &c. Inde etiam
„ Patres Concilii generalis secundi Can. II.
„ JUXTA CANONES Alexandrinus *Episcopus*
„ *quæ in* Ægypto *sunt*, *regat solummodo &*
„ *Orientis Episcopi Orientem tantum gubernent*.
„ Ex his sequitur, qualiter hæc diœcesium
„ divisio, hæc auctoritas Episcoporum, *Alexandrini*, & *Antiocheni*, non sit juris
„ *divini*, sed juris *humani ecclesiastici*, non
„ Papalis, sed vel Conciliaris, proinde *Episcopalis*, vel *usualis*; atque adeo; si hæc
„ potestas finium diœcesanorum regundorum
„ effective in summum Pontificem translata
„ fuerit, illud non aliter evenerit, quam
„ communi Episcoporum consensu: consensu,
„ inquam, per legem, vel per usum declarato.

II. Dubitat igitur primo, *Febronius*, *an hæc potestas finium diœcesanorum regundorum effective in summum Pontificem translata fuerit.* Non dubitavit tamen *Bernardus*, cujus hæc sunt (2). *Potest si utile judicaverit*, *novos ordinare Episcopatus*, *ubi hactenus non fuerunt*. *Potest eos*, *qui sunt*, *alios deprimere*, *alios sublimare*, *prout ratio sibi dictaverit*, *ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat*, *&* *e converso*, *si necesse visum fuerit &c.* *Ivonem* sæpe *Febronius* appellat. *Ivonem* quoque ea de re

(1) *Ep.* 131.

nil dubitantem audiat (3): *nec in hoc resistimus, quin possit Sedes Apostolica parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare, si utilitas populi Dei exigat, & nullum inde schisma contingat*. Hanc porro potestatem ab antiquissimis retro temporibus *Romani* exercuere Pontifices. Quotus enim quisque est, qui nesciat, statuisse *Zosimum*, ut Metropolitanus *Arelatensis* in provincia *Viennensi*, & in utraque *Narbonensi* ordinandorum Episcoporum haberet potestatem (4); exinde *Bonifacium* abrogato *Arelatensis* privilegio, *Hilario Narbonensi* ablatum a *Zosimo* jus restituisse, quod & sequentes Pontifices, ac nominatim S. *Leo* confirmarunt? Sed & suborta inter *Arelatensem*, *&* *Viennensem* Ecclesiam ob *Vasensis* Episcopi ordinationem controversia id palam facit. Ejus Ecclesiæ comprovinciales Episcopi rem ad S. *Leonem* a. 450. detulerunt; illam autem S. *Leo* hac sententia diremit (5): " *Viennensem* civitatem, „ quantum ad ecclesiasticam justitiam perti- „ net, inhonoratam esse non patimur; præ- „ sertim quum de receptione privilegii, au- „ ctoritate jam nostræ dispositionis utatur: „ quam potestatem *Hilario* Episcopo ablatam, „ *Viennensi* Episcopo credidimus deputandam. „ Qui ne repente semetipso factus videatur „ in

[3] Ep. 238. *ad* Paschal. II.
[4] Ep. *V*.
[5] Eq. *LXXVI*. Baller. *edit. col.* 999.

„ inferior, vicinis sibi quattuor oppidis præ„ sidebit, ideſt *Valentiæ*, & *Tarantaſiæ*, & *Ge*„ *nevæ*, & *Gratianopoli*, ut cum eis ipſa „ *Vienna* ſit quincta, ad cujus Epiſcopum „ omnium prædictarum Eccleſiarum ſollici„ tudo pertineat. Reliquæ vero civitates „ ejuſdem provinciæ, ſub *Arelatenſis* Antiſti„ tis auctoritate, & ordinatione conſiſtant." Recruduit tamen ea controverſia ſub *Symmacho*; hic autem ad Epiſcopos *Galliæ* ita reſcripſit [6]: *Juxta indulgentiam ſupradicti Pontificis* [S. Leonis] Valentiam, Tarantaſiam Genevam, *atque* Gratianopolim *oppida* Viennenſis *Antiſtes juri ſuo vindicet. Nec quidquam amplius ab his quæ ſemel ab Apoſtolica ſibi ſede conceſſa ſunt, æſtimet præſumendum. Alias vero Parochias vel diœceſes cunctas privilegio & honore ſuo Arelatenſis Epiſcopus ſub temporum continuatione defendat.*

III. Hæc fortaſſe *Febronius* ad Jus Patriarchicum referet. Sed *Bernardus* ipſum revincet, qui quæ ſupra ex ejus epiſtola reddidimus, divino Primatus juri adſcribit; ait enim: *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*; tum continenter addit quæ recitata ſunt, ſed *Orientalibus* quoque præſcripſiſſe *Romanos* Pontifices leges in iis, quæ ad Patriarcharum

[6] Ep. IX.

ac Metropolitanorum fines pertinent, testificatur *Innocentii* I. ad *Alexandrum Antiochenum* epistola [7]. " Quod sciscitaris, inquit
„ Pontifex, utrum divisis imperiali judicio
„ provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic
„ duo Metropolitani Episcopi debeant no-
„ minari; non esse e re visum est ad mo-
„ bilitatem necessitatum mundanarum Dei
„ Ecclesiam commutari, honoresque aut di-
„ visiones perpeti, quas pro suis caussis fa-
„ ciendas duxerit Imperator. Ergo secundum
„ pristinum provinciarum morem metropo-
„ litanos episcopos convenit numerari. "

IV. Hinc autem constat, hujuscemodi jus non ex Ecclesiæ consensu in *Romanos* Pontifices fuisse translatum, ut *Febronius* contendit, sed ex ipso divino Primatus jure accersendum. Libet id cl. *Ballerinii* verbis explicare (8). " Potestas illa illimitata in to-
„ tum mundum Apostolis ab ipso Christo
„ tradita, necessaria quidem fuit in illis
„ initiis, ut sua citius ædificaretur Eccle-
„ sia; ac proinde omnes poterant ubique
„ prædicare Evangelium, ubique Ecclesias
„ particulares & Episcopatus erigere, con-
„ secrare Episcopos, presbyteros &c. & quæ-
„ libet alia Apostolatus officia exercere.
„ At hoc jus immediatum in totum mun-
„ dum, & in omnes Ecclesias ex peculiari
„ ne-

(7) *Ep.* XXIV. *col.* 852. *edit. Coust.*
[8] *De Potest. Eccles. pag.* 163.

„ necessitate ac utilitate illis initiis tribu„ tum;, in aliis Apostolis extraordinarium „ fuit, quod bono ejusdem unitatis non de„ bebat in Episcopos eorum successores tran„ sire; in *Petro* autem, cujus auctoritas ra„ tione primatus ob ipsius unitatis bonum „ debebat esse perpetua, & in successores „ ejus propagari, ordinarium esse debuit, „ sicut & in successoribus ejusdem *Romanis* „ Pontificibus ordinarium debet agnosci. „ Quum vero extraordinaria aliorum Apo„ stolorum potestas in universum mundum, „ illis initiis necessaria non deberet Episco„ pis ipsorum successoribus æquo jure com„ petere, ne magna in Ecclesiis jam ædi„ ficatis confusio fieret, si æque ac Aposto„ li omnes Episcopi omnia possent ubique; „ sed potius expediret diversas dioeceses de„ signare, & Episcopatus diversos erigere, „ ita ut singuli Episcopi suæ cuique dioece„ si præficerentur, gregique adsignato faci„ lius prospicerent; hæc designatio diecese„ on & subditorum, quam Christus non in„ stituit, sed Apostolis eorumque successo„ ribus commisit, non est divini immuta„ bilis juris, sed Ecclesiastici, ac proinde „ ad disciplinam mutabilem pertinens, sub„ est potissimum dispositioni successorum S. „ *Petri*, qui cum ex eodem S. *Petri* prima„ tu jus ordinarium habent in universam „ Ecclesiam; tum vero eodem ordinario ju-

„ re uti possunt in diœceses singulas, æque
„ ac in illas Apostoli extraordinario jure
„ uti poterant. Ex hac potestate in diœce-
„ ses omnium Episcoporum, quæ in solis
„ *Petri* successoribus ex divini juris prima-
„ tu est ordinaria, *Romana* Sedes potest, si
„ expediat, Episcopatus aliquos supprimere,
„ novos erigere, unum dividere in duos;"
ceteraque quæ nuper ex *Bernardo* adcepimus. Est & alia hujus nostri decreti ratio. Designatio scilicet diœcesis, in qua Episcopale jus exerceatur, ad jurisdictionem est pernecessaria; ad eum ergo illa potissimum spectat, a quo isthæc dimanat. Quum ergo ostensum a nobis sit, Episcopos non *immediate* a Christo, sed a *Romano* Pontifice suam obtinere jurisdictionem, quid mirum si diœcesium definitio ad eumdem *Romanum* Pontificem pertinere dicatur? Et illud adcedit, diœceseon sive latiores sive angustiores fines publico Ecclesiæ bono, atque unitatis conservationi expedire aliquando posse. Cujusnam ergo maxime imperio erit diœceseon amplitudo definienda, nisi *Romani* Pontificis, qui non ex translato in se ab Ecclesia jure, sed ex divina Christi institutione curare ipsius Ecclesiæ bonum atque unitatem debeat?

V. At *Nicænum* & *Constantinopolitanum* I. Concilium *Alexandrini* Patriarchæ fines non ex Papæ auctoritate, sed ex consuetudine, & Ca-

& Canonibus terminarunt. Sed numquid ea consuetudo, numquid Canones quidquam ea de re constituerunt inconsulto aut saltem invito *Petro*, ejusque successoribus? Minime vero. " Quum enim, uti idem *Ballerinius*
" animadvertit (9) S. *Petrus*, ejusque suc-
" cessores *Romani* Pontifices nec ubique præ-
" sto esse, nec omnibus Episcopis per or-
" bem dispersis, quotiescumque opus esset,
" possent pro suo jure æque & immediate
" prospicere [*eorumque diœceses definire*];
" Ecclesiastica, vel Apostolica institutione
" provisum fuit, ut in singulis Provinciis
" singuli, & alii rursum in amplioribus re-
" gionibus majorem, quam simplex Episco-
" patus fert, in ipsos Provinciæ aut am-
" plioris regionis Episcopos haberent au-
" ctoritatem, quæ soli *Petro* ejusque succes-
" soribus jure divino competebat; & hac
" ratione, quam verissimam arbitror juris-
" dictio *Petri* & successorum ipsius peculia-
" ris ex institutione divina jure Primatus,
" Ecclesiastica quodammodo delegatione a-
" liis, qui subinde appellati sunt Patriar-
" chæ, Exarchæ, vel Metropolitæ, com-
" municata fuit. Huic profecto Ecclesiasti-
" cæ institutioni, & quasi delegationi bono
" publico maxime necessariæ S. *Petrum* ac
" successores ejus aliqua ratione consensisse
" dubitare non licet: nemo enim alius per

 " se

(9) *Ibid. pag.* 12.

„ se ea jurisdictione expers, illam potuisset „ cuipiam communicare, eo inscio vel in„ vito, qui eamdem solus non humano, „ sed divino jure obtinebat. Quod si Apo„ stoli pro extraordinario Apostolatus jure „ in universam Ecclesiam, quod in succes„ sores ipsorum non transivit, quum supra „ Episcopos jurisdictionem haberent, (*uti„ que etiam diœcesium designandarum*) pote„ rant hanc aliquibus communicare; eam„ que reipsa quibusdam majorum Sedium „ Episcopis communicasse præsumantur; „ quandoquidem hac in hypothesi commu„ nicassent jurisdictionem, quæ jure ordina„ rio ac divino uni *Petro* & successoribus „ ipsius competebat, non sine aliquo saltem „ tacito istorum consensu eam communicas„ se dicendi essent; vel saltem sine ipsorum „ *Petri* successorum præjudicio, ne jurisdi„ ctio, quæ ordinario ac divino jure ad „ ipsos pertinet, detrimentum caperet ". Hanc autem Patriarcharum, ac Metropolitarum jurisdictionem Conciliorum Canones subinde adprobarunt, vel certis finibus prout necessitas vel utilitas flagitabat, coercuere: initio vero pluribus in locis immemorabili tantum consuetudine certus modus viguit, certique fines fuerunt præscripti, qui pro lege habebantur, & in canonibus confirmati inveniuntur l. Quidquid autem sive canones, sive consuetudo circa hanc jurisdictio-

ctionem Patriarchis aut Metropolitis adtribuit, quum juris sit & institutionis meræ ecclesiasticæ, primigenio & divino *Petri* ac *Romanorum* Pontificum juri præjudicare non potuit: quidquid enim ecclesiastici, immo & Apostolici juris est, juri divino ne tantillum quidem decerpere potest. Decerpsisset enimvero si inscio vel invito *Romano* Pontifice Ecclesiarum fines terminasset. Quod quum absurdissimum sit, illud demum sit, consuetudinem & Canones, ad quos duo illa generalia Concilia *Alexandrini* Episcopi fines exegerunt, non omnem prorsus *Romanorum* Pontificum saltem tacitam, & quæ interpretatione colligitur, consensionem exclusisse, aut excludere potuisse.

CAPUT III.

Adfinis propositæ quæstio expeditur, quo scilicet jure ad Romanos *Pontifices novorum Episcopatuum, aut etiam Metropoleon institutio pertineat.*

I. EAdem erroris labe maculata sunt, quæ *Febronius* de *Romanorum* Pontificum in novis Episcopatibus, aut Metropolibus constituendis nobiscum disputat. Illos a multis retro sæculis pro sua ipsorum auctoritate novas erexisse cathedras, novasque fundasse Metropoles inficiari non potest. Quid tamen? Eos ait (1), *consentientibus saltem tacite, reliquis Episcopis, hoc jus sibi solis adtribuisse*. Addit non multo post (2): " his nihil officiunt variæ Episcopatuum & ,, nonnullarum Metropolium erectiones a ,, *Romanis* Pontificibus factæ, quas recensuit P. Zaccaria *T. II, lib. I. Cap.* 7. Ete- ,, nim de eo solum quæritur, an & unde Papa habeat jus *exclusivum* ad has erectio- ,, nes: quo titulo illud exerceat an qua ,, *Primas Ecclesiæ universalis*, consequenter ,, an inde erui valeat argumentum pro *Monarchico* Ecclesiæ statu? " Acute dictum, sed in magnam sui systematis perniciem.

Le-

(1) *T. II. pag.* 409.
[2] *ibid. pag.* 410.

Lector animum ad ea quæ disseram, diligenter adijciat. Illud intelliget, non me a propositæ quæstionis scopo aberrasse, quemadmodum indicare *Febronius* videtur, sed ipsum quanta meorum ad hanc dirimendam quæstionem argumentorum vis esset, aut non satis perspexisse, aut certe dissimulasse.

II. Ac tria quidem quod ad rem præsentem adtinet, in *Antifebronio* docui [3]. Primum est, *Romanos* Pontifices *Orientalibus* Patriarchis totum hocce constituendorum in *Oriente* Episcopatuum negocium dimisisse: alterum vero, *in omnem* Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, *atque* Siciliam & *insulas interiacentes* (Christianis sacris in has regiones primum inductis) *nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus* Petrus, *aut ejus successores constituerint Sacerdotes*, ut ajebat *Innocentius* I. (4): tertium denique est, apud *Occidentis* populos, qui Christianas disciplinas pridem edocti fuerant, a *Gregorio* VII. ad nostra tempora Episcopatum nullum, nullam Metropolim exstare, cujus fundatores non fuerint *Romani* Pontifices; a S. vero *Bonifacii Germanorum* Apostoli ævo ad S. *Gregorium* VII. Metropoles quidem omnes eosdem *Romanos* Pontifices veluti auctores agnoscere, idemque de Episcopatibus, si paucissimos exceperis adfir-

[3] P. II. *lib.* I. *cap.* 7. *edit. Pisaur.*
[4] *Ep. XXV.* T. I. *epist.* R. P. *col.* 856.

adfirmandum: denique a S. *Bonifacii* temporibus si ad superiora sæcula regrediamur *Occidentis* Metropoles, præter duas in *Hispaniis* sexto sæculo constitutas uni *Romanæ* Sedis auctoritati deberi, Episcopatuum contra aut a Metropolitanis aut a Provinciarum Synodis esse origines repetendas, adcedente tamen plerumque *Romanorum* Præsulum adsensione. Atque horum quidem omnium veritatem certissimis testimoniis in *Antifebronio* comprobavimus. Quid autem inde consequatur, statim aperio.

III. Primum tamen monitos Lectores velim, ne sibi a *Febronio* imponi patiantur, qui singularem de Episcopatuum stabiliendorum auctoritate disputationem eo referri ait, ut videamus, *an inde erui valeat argumentum pro Monarchico Ecclesiæ statu*. Equidem posito hujusmodi statu illud recte sequitur, ad Ecclesiæ principem potissimum spectare, ut qui in ea sunt, cœtibus, prout Christianæ Reipublicæ utilitas postularit, Episcopos præficiat. Verum hunc ipsum Ecclesiæ statum non inde comprobamus, quod *Romani* Pontificis sit hisce dignitatibus particulares Ecclesias, urbesque donare. Quemadmodum enim in Rebus publicis qui dux est, & princeps multa potest, quæ Reges præstant in Monarchiis, ut consiliis præesse, Senatum cogere, oratores mittere, neque tamen Monarcha appellabitur, ita Pontifex Episco-

pat-

patuum per Ecclesiam constituendorum jure potiri posset, quin Monarcha haberetur. Ad *Romanorum* igitur Pontificum Monarchiam hancce potestatem referimus, quia sacrarum litterarum, ac constanti Patrum traditione eos Ecclesiæ Monarchas esse edocemur; quæ autem a Monarcha in Regni administrationem commodumve proficiscuntur, Regiæ ipius potestati vulgo tribuimus.

IV. Ceterum quod ad Metropoles spectat jus *Romanorum* Præsulum *exclusivum* dici non immerito potest, quum nulla, ut indicabam, in *Occidente* Metropolis duabus exceptis *Hispanicis* designari possit, quæ Apostolicæ Sedis Pontifices non habeat auctores. Porro *Hispanæ* illæ Metropoles, quibus maxime *Febronius* gloriatur (5), quum præter regulam ab Episcopis decretæ fuerint, ut Regum voluntati obsecundarent, non video quid *Febronii* caussam juvent. Quid vero siquis Conciliaria illa monumenta, quibus tota earum erectio nititur, accuratius considerans, eaque paucis verbis comprehensa animadvertens, ut gestarum rerum narratiunculam potius quam Conciliorum acta exhibeant, Patres ex *Romani* Pontificis, quem de Regum petitione præmoniti antea consuluissent, sententia negocium illud perfecisse coniiciat? Incredibile profecto videatur, *Hispanos* eo ipso sæculo, quo *Romana* cum

[5] T. II. pag. 314

cum sede conjuncti adeo fuerant, ut ab *Hormisda* suos in iis regionibus Vicarios *Johannem*, & *Sallustium* paucis ante annis renunciatos inveniamus, avitæ erga eamdem Sedem reverentiæ oblitos, quod apud omnes ubique gentes obtinuerat, ut nulla inconsulto *Romano* Præsule Metropolis institueretur, neglexisse.

V. Ad Episcopatus porro quod adtinet, *Romanorum* Pontificum jus non equidem ad *Bonifacii* tempora exclusivum fuerat. Verum id factum ipsorum Pontificum indulgentia. Certe omnium Episcoporum ordinationem ad Patriarcham ex *Nicæni* Concilii Canone pertinuisse nemo negarit, quamquam ne itinerum difficultate fatigaretur Antistes, consultius Ecclesiæ Patres censuerint, ut Metropolitani a Patriarcha, a Metropolitanis in Synodum coactis Episcopi, non tamen absque Patriarchæ adsensu ordinarentur. Quamobrem ad *Alexandrum* Patriarcham *Antiochenum* *Innocentius* scribebat (6): " arbitramur, frater carissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad ma-

(6) T. I. *Epist. Rom. Pont. edit. Coust. col.* 851.

„ manus impositionem tuo gratiæ statuas per-
„ venire. Quorum enim te maxima expectat
„ cura, præcipue tuum debent mereri judi-
„ cium". Quod si Episcoporum ordinatio Patriarcharum juribus adcensebatur, quanto magis Sedium, quibus essent Episcopi præficiendi, designatio. Quemadmodum igitur Episcoporum ordinatio in Synodos translata fuerat, nihil tamen Patriarcharum juribus decesserat, concesso tantum œconomiæ caussa Synodis eorumdem usu, ita novorum Episcopatuum constitutio Metropolitanis ac Synodis adjudicata fuit, quin tamen Patriarchæ suo in eam jure spoliarentur. Quidni igitur publica id præsertim Ecclesiæ poscente utilitate potuerit *Romanus* Pontifex quam Synodis condendorum Episcopatuum potestatem dimiserat, iisdem ereptam, sibi pro suo jure reservare?

VI. Ergo, inquiet *Febronius*, *Romanus* Pontifex non *qua Primas Ecclesiæ universalis*, *sed qua Occidentis Patriarcha* hoc erigendorum Episcopatuum jure potietur. Non negaverim, si locorum, in quæ hancce *Romanæ* Sedis Antistites exercuere auctoritatem, ratio habeatur. Etenim quum nonnisi in *Occidentales* Ecclesias hoc sibi jus superioribus sæculis vindicarint, *Occidentalis* potius Patriarchæ, quam universalis Primatis munere videntur hac in re fungi voluisse; quo sensu ea potestas cum *Christiano Lupo* dicta a me in *Antifebronio* fuit [7] *Patriarchalis*. At illud disquirendum superest, quod *Febronius* non ani-

[7] T. *II. pag.* 154.

animadvertit, num *Romani* Pontifices {id ipsum in *Oriente* tanquam Ecclesiæ Primates potuerint? Quod enim *Orientalium* Episcopatuum erectiones in Patriarcharum fuerint potestate, non efficit, eas *Romanorum* quoque Pontificum auctoritati obnoxias nequaquam fuisse. Recte *Schelestratius* (8): *aliud est usus juris, aliud jus ipsum per se alicui competens*. Nonne *Febronio* teste (9) *observant eruditi, missiones ad extraneos a summis Pontificibus, pro Primatialis officii jure ac debito frequenter factas, ansam dedisse, ut facultas creandi novos Episcopatus in solius Papæ manus derivaretur*? Atqui *Missiones* nonnisi Episcopatibus apud novos Christianorum cœtus constitutis utiles fore multis *Febronius* contendit; immo acriter queritur, pauciores quam quæ ad barbaras gentes Christianis disciplinis imbuendas necessariæ viderentur, Episcopales Sedes fuisse apud *Indos*, ac *Sinenses* a *Romanis* Præsulibus positas (10). Ne igitur Missiones *pro Primatialis officii jure*

[8] *Ant. Eccles. T. II. diss. VI. cap. 4. art. 1. pag.* 447.

(9) T. II. *pag.* 409. Idipsum dixerat auctor in priori opere *cap. IV. §. 9. pag.* 257.

(10) Hæc ejus sunt T. II. *pag.* 411. " Certis hominibus, qui ambitionis nota taxantur, solet imputari, quod " eorum machinationibus Episcopatus abolitus fuerit in Imperio *Sinensi*, in *Anglia*, &, si res eorum votis adhuc succederet, in provinciis *fœderati Belgii*, in quibus tamen degunt ultra trecenta millia Catholicorum. Volunt viri illi, " ut omnes hi populi in spiritualibus regantur per simplices " Missionarios, immediate dependentes a *Romana* Congregatione de *Propaganda*. Scilicet, sic consultum cuperent & " suæ independentiæ ab omni Episcopali auctoritate, etiam " in rebus ad animarum curam pertinentibus, & ecclesiasticæ " Monarchiæ, vigore cujus *Romani* sibi arrogant jus episcopale ordinarium & immediatum in omnes fideles". Confer eumdem *Febronium T. I. Cap. IV. §. 9. n. 2. pag.* 259.

re ac debito *factæ* fructu careant, ad ejusdem *Primatialis officii* jura Episcopatuum erectiones pertinebunt. Num Christus Ecclesiæ suæ Primatem instituit, qui suo satisfacere officio minime posset, atque ab aliorum arbitrio ac potestate in iis, quæ sui præcipue muneris, ac juris essent, exequendis penderet? Non hæc *Bernardi* sententia fuit. *Plenitudo*, inquiebat ille (11), *potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est . . . Potest si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & e converso, si necesse visum fuerit &c.* Loquitur sane S. Doctor de potestate, quæ non solius *Occidentis* finibus contineatur, sed universo orbi coæquetur. Eam enim refert *ad plenitudinem potestatis super universas orbis Ecclesias*. Quum vero ex hac ipsa *plenitudine potestatis*, quæ demum Primatus est, colligat, posse *Romanum* Pontificem *novos ordinare Episcopatus &c.* an non aperte indicat, eam esse Pontificii Primatus vim, ut *ad novos ordinandos Episcopatus* se se exporrigat?

VII. Enimvero etsi in *Oriente*, ut dixi, haud advocata ad id Apostolicæ Sedis auctoritate Metropoles atque Episcopatus pas-

(11) *Ep.* CXXXI.

ſim conſtituebantur, ubi tamen neceſſe fuit, *Romani* Antiſtites pro ſuo Primatu erectas ibi Metropoles improbarunt. Quæ S. *Leo* M. ad *Conſtantinopolitani* Epiſcopi, qui Patriarchalem dignitatem adfectabat, infringendam audaciam geſſit, notiora ſunt, quam ut heic repeti debeant. Vetuſtius exemplum *Innocentius* I. ſuppeditat. Imperator *Valens* ut *Baſilii Cæſarienſis* Metropolitæ minueret auctoritatem *Cappadociam* diviſit in duas (12); *Tyana* porro *Cappadociæ ſecundæ* caput quum eſſet effecta, *Anthymus* ejus Epiſcopus *Baſilio* ſubeſſe renuerat, ac Metropolitica ſibi jura vindicarat. Hoc novitatis genus *Innocentius* I. damnavit. Quamobrem *Alexandro Antiocheno* ea reſcripſit, quæ ſuperiore capite recitavimus. Sequiore ævo quum *Balduinus Bethlemiticam* urbem, in qua primus *Hieroſolymorum* Rex inunctus fuerat, Epiſcopali dignitate exornari cuperet, *Romam* miſit *Arnulphum* ejus Eccleſiæ Archidiaconum, ut id a *Paſchali* II. Pontifice impetraret. Impetravit enimvero, atque *Bethleemiticus* Epiſcopatus a. MCX. erectus eſt. Regium hac de re exſtat edictum hujuſmodi, quod recitat *Thomaſſinus* (13). *Pro præcepto* Paſchalis *Papæ & mea bona voluntate, & adſenſu* Hieroſolymitani *Capituli, ac totius favore Conſilii omnia diſpenſans, in* Bethleemitica *Eccleſia*

(12) Confer. S. Greg. Nazianz. Orat. XV.
(13) T. I. *lib.* I. *cap.* 58. *n.* 15.

sia Episcopalem Primatum decrevit. Contra anno MCLIV, recepta ex Infidelium potestate *Ascalone* Urbe Episcopalem ibi cathedram erexit Patriarcha *Hierosolymitanus*; at appellante ad Romanum Pontificem *Bethleemitico* Episcopo, rescissa est illa Episcopatus novi institutio, & Ecclesia *Ascalonitica* Episcopo *Bethleemitico* parere jussa.

VIII. Quod si *Febronius* suum illud oggerat, *Romanos* Pontifices *consentientibus saltem tacite reliquis Episcopis* hæc sibi jura adscripsisse, hoc habeat responsi; de Episcoporum adsensu nos ne dubitare quidem posse; illud tamen adfirmate post *Bernardum* a nobis pronunciari, Episcopos sua consensione *plenitudinem potestatis* in *Romano* Pontifice agnovisse, non autem jus, quod ipsi velut Ecclesiæ Primati ex divina jussione, vel ut *Occidentis* Patriarchæ ex Canonum decretis non deberetur, tribuisse. Recolantur quæ ex *Ballerinio* proximo capite descripsimus, atque ad hocce argumentum, uti possunt, diligenter referantur.

CAPUT IV.

Quid de Pontificis ac præsertim peccatorum & dispensationum reservationibus sentiendum sit? Earum origines ab Episcoporum voluntate Febronius *ac* Pereira *adcersunt : qua in re multiplicis revincuntur erroris.*

I. PEjora *Febronianæ*, quam capite primo refellimus, doctrinæ consectaria nos manent. Id præcipue *Febronius* contendit, Pontificias reservationes, easque maxime, quæ peccatorum sunt, atque ad dispensationes pertinent, uni Episcoporum voluntati esse tribuendas (1). Qua in re adstipulatorem habuit *Lusitanum Pereiram* in eo quem de *Episcoporum potestate* scripsit, libello (2), ex quo nonnulla deinde in primi voluminis defensionem decerpsit (3). Atque utrique confutando ea satis sunt, quæ in *Antifebronio* disserui (4), eoque magis, quod *Febronius* se illa ne vidisse quidem indicat. Ut tamen *Pereiræ* quoque fiat satis, id iterum ad examen revocabimus. Ordiar autem a quo-

(1) T. I. *cap. V.* §. IV. n. *6.* & §. *V. n.* 3. alibi etiam.
(2) *Princip.* IV. *pag. 62. seq.* versionis Italicæ.
(3) *T.* II. *pag.* 314. *seqq.*
(4) *T.* II. *lib. V. cap.* .I

quorumdam criminum reservationibus. " Plu- „ ribus sæculis, inquit ex *Vanespenio* (5) „ *Febronius* [6] penes Episcopos fuit plena „ ac omnimoda auctoritas absolvendi in fo- „ ro pœnitentiali cujuscunque quantumvis „ enormis sceleris reos; neque iis sæculis „ ulla erat reservatio Papalis in foro illo „ pœnitentiali nota. At circa sæculum XI. „ cœperunt Episcopi ipsi nonnullos gravio- „ rum criminum reos ad Sedem Apostoli- „ cam mittere; idque vel ut a Pontifice „ reconciliarentur, vel ut a Pontifice pœ- „ nitentia imponeretur; qua demum pera- „ cta ab Episcopis absolverentur. Nec tan- „ tum in particulari aliquo casu Pœniten- „ tes ad Sedem Apostolicam mittebant: sed „ subinde etiam generali decreto criminis „ alicujus reos non ab Episcopis aut Ar- „ chiepiscopis, sed a solo Pontifice absol- „ vendos decernebant. Hoc vero hac ratio- „ ne factum videtur, ut hac reservatione „ difficilior esset obtinendi a crimine com- „ misso absolutionem occasio, atque hac „ difficultate a crimine committendo retra- „ herentur ",

II. Vere hæc dicuntur, neque erat cur *Febronius* (7) *Ivonis* (8) aut *Londinensis* &

 Ro-

(5) *Jur. Eccles. Univ.* P. II. *Tit. VI. cap.* 7. *n.* 8. *seq.*
(6) T. I. *pag.* 283.
(7) V. *II. pag.* 284.
(8) *Ep.* 130.

Rothomagensis Synodorum (9) verba ad rem exploratissimam confirmandam ex *Pereira* (10) decerperet. Satis ad id erat Auctores consulere, quos in *Antifebronio* (11) indicavi; aliqua enimvero præstitisset quod ad historicam spectat disquisitionem, adiicere, ne quid ad hujus consuetudinis penitius pernoscendas origines desideraretur. Nempe non ea quam *Van-Espenius* indicat, una caussa fuit, cur Episcopi criminis alicujus reos *Romano* Pontifici absolvendos decreverint, sed publicæ pœnitentiæ, quæ in *Occidente* passim aut exoleverat, aut certe consenescebat, remissio. Quum enim tam efficacem ad continendos in officio Christifideles viam occludi sibi viderent Episcopi, aliam visum est rationem inire, quæ idem præstaret. De aliquibus igitur criminibus sibimet judicium servarunt, quod publica pœnitentia vigente non invenies; tum enormiora quædam *Romano* Pontifici dimissa sunt. Hinc in *Parisiensi* Concilio quod a. circiter MCXCVIII. celebratum fuit (12) crimina Pontifici seu Episcopo, & Papæ servata distincte hoc tetrasticho comprehenduntur:

Ince-

(9) T. II. *pag.* 314.
(10) *Princip.* IV. *pag.* 65.
(11) T. II. *pag.* 391.
(12) T. VI. *Conc. Hard. p.* II. *col.* 1940.

Inceſtum faciens deflorans, aut homicida
Pontificem quæras: PAPAM *ſi miſeris ignem;*
Sacrilegus; patris percuſſor; vel ſodomita;
Si percuſſiſti clericum; Simonve fuiſti.

Aliæ etiam fuerunt hujus rei cauſſæ, quas in *Antifebronio* indicavi (13). Scilicet Epiſcopi interdum quid faciendum ſibi foret, non bene pervidebant, ac verebantur, ne aut in peccatores plus æquo animadverterent, aut ubi indulgentius cum iis agerent, minus ejus conſcientiæ conſulerent; quod *Hilderberti* ſexageſima epiſtola docet, illaque *Lemovicenſium* Patrum ſententia: *hoc ab ipſis Apoſtolicis* Romanis *&* *ceteris Patribus cautum tenemus, ut Parochiano ſuo Epiſcopus ſi pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, ut judicet utrum ſit, an non pœnitentia digna pro tali reatu &c.*

III. Hinc tamen perperam *Febronius* ac *Pereira* colligunt, haſce reſervationes ad unum Epiſcoporum eſſe referendas conſenſum ac voluntatem. Quid enim ejuſmodi reſervationes ſunt? Si peccatores ipſos conſideremus, nihil aliud ſunt niſi excommunicationis genus quoddam, ac veluti pars

 [14]

[13] *l. c. pag.* 392.

(14) ; quo fit ut quemadmodum excommunicatus fidelis a Confessionis Sacramento omnino arcetur, quin illi possit ab ullo administrari, ita in servatum *Romano* Pontifici crimen prolapsus a nemine absolvi possit, cui peculiaris ad id facultas non sit. Sin Episcopos spectemus, cui adimitur eorum absolvendorum potestas, sunt hæ reservationes Episcopalium facultatum coercitio. At ad excommunicationem quod adtinet, non solum ejus ferendæ potestatem a Christo, non ab Episcoporum voluntate summus Pontifex habet; sed absque eorum consensu ea uti potest. Supra id ostendimus; addere tamen liceat quod *Gothofredus Andegavensis* Episcopus apud *Martenium* (15) profitebatur: *Ecclesiam* Maziacensem, *quia eam Apostolica auctoritate excommunicatam audivimus, absolvere non possumus, nec debemus*. Quantum *Gothofredus* a *Februniana* aberat sententia, quæ dissentientibus Episcopis eam vim adserit, qua Pontificia anathemata omni robore careant! Quod autem ad Episcopalium facultatum coercitionem spectat, Episcoporum quoque potestatem ejusmodi esse alibi demonstravimus, ut quod in Comitiis a. 1728. *Gallicanus* Clerus ajebat, *Jesus Christus ipse sua institutione limites illi præscripserit, subieceritque Sedi* Petri, *in qua posuit plenitudi-*

nem

[14] *Vide Antif. l. c. pag.* 391.
(15) T. IV. *Anecdot. col.* 123.

nem *Apostolicæ potestatis*. " Quare, uti *Bal-*
„ *lerinius* egregie disputat (16), non debent
„ quidem Pontifices passim ac temere Epi-
„ scoporum facultates & jura quavis de
„ caussa diminuere, limitare, sibive adtri-
„ buere; id enim in pubblicum damnum
„ & magnam Ecclesiarum perturbationem
„ deflecteret. At si caussa justa occurrat,
„ qua utile vel necessarium bono publico
„ judicent, aliquid tale efficere, sibive non-
„ nulla reservare; quis id Pontificiæ supre-
„ mæ potestati negare auserit? Ecclesiæ cer-
„ te bonum, & naturalis ordo postulant,
„ ne primati totius Ecclesiæ hæc potestas
„ in ipsas Episcoporum facultates negetur.
„ Quum enim Episcopi cum suis facultati-
„ bus instituti fuerint a Christo in bonum
„ Ecclesiæ, non vero Ecclesia in Episcopo-
„ rum; hi utilitati vel necessitati Ecclesiæ
„ ita debent studere, ut non inique ferant,
„ si ex utilitate vel necessitate ejusdem Ec-
„ clesiæ aliquot facultatum suarum restri-
„ ctionem, moderationem, aut reservatio-
„ nem suprema potestas faciendam censue-
„ rit ". Adposite S. *Augustinus* (17): *Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum & Sacramentum Dominicum ministramus: ac per hoc, eorum sine scandalo gubernandorum s se necessitas tulerit, ita* vel

[16] De Potest. Eccles. pag. 186.
[17] lib. II. in Crescon. cap. II.

vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus.

IV. At negari saltem non potest, *Papales* quorumdam peccatorum reservationes suam originem & fundamentum habere in consensu Episcoporum & auctoritate Ecclesiæ (18). Hancce verborum circuitionem pernoscamus. Quid ea *Febronius* vult? Episcopos hisce reservationibus occasionem dedisse? Ita sit; at urgeo cum *Ballerinio* (19). " Num
„ quorumdam Episcoporum observantia, qua
„ initio particulares casus Apostolicæ Sedi
„ detulerunt, probare potest consensum om-
„ nium, qui de tali potestate abs se ab-
„ dicanda ne cogitarunt quidem? Num
„ qui initio detulerunt eos casus ad eam-
„ dem sedem, potestatem, quæ isti non
„ competeret, eidem quasi juri suo renun-
„ ciantes tribuisse dicendi sunt? Num S.
„ *Petrus*, qui omnia solvere & ligare pote-
„ rat ex institutione ipsius Christi, non po-
„ tuisset in illis casibus absolvere, nisi hanc
„ potestatem sibi Episcopi concessissent?
„ Num minor est *Romanorum* Pontificum
„ auctoritas, in quos idem *Petri* primatus
„ ac jurisdictio transivit "? Verum quid opus multis? Nonne ipsum *Tridentinum* Concilium totum reservandi jus non in delationem Episcoporum, sed in *supremam potestatem* sibi

(18) Febr. T. II. *pag.* 283.
[19] *l. c. pag.* 187.

sibi [summo Pontifici] *in Ecclesia universa traditam*, diserte retulit? (20) Retulit sane, inquit *Febronius* [21] sed *bono jure dicere potuit, dixitque sancta Synodus S. Pontificem* pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali TRADITA, *potuisse quædam graviora crimina reservare; abstrahendo, a quo hæc ei portio supremæ potestatis tradita fuerit*, nempe an a Christo, an ab Ecclesiarum consensu? [22] Equidem ubi de rebus inter Catholicos controversis agebatur, novi *Tridentinos* Patres ita decreta sua efformasse, ut neutri Scholasticorum parti officere viderentur. At quid quæso hac œconomia opus in re, de qua nunc disputamus? Numquid Theologi a se invicem dissentiebant in supremæ Pontificiæ potestatis origine definienda? Cur ergo *Tridentina* Synodus *abstraxisset*? Sed ne *abstrahere* quidem aut potuit aut debuit, ne in re tanti momenti, neque ad eam diem, ut dixi, ab ullo in dubium vocata incertos fidelium animos relinqueret. Sed tota *Tridentini* capitis series rem plane efficit. *Magnopere vero*, inquiunt *Tridentini* Patres, *ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis Sacerdotibus absolveren-*

[20] Sess. XIV. cap. 7.
(21) l. c. pag. 285.
[22] Aliam *Febronii* iu hunc Tridentini locum animadversionem vide confutatam in Antif. [T. II. *pag.* 389.)

verentur. Hoc enimvero juris Ecclesiastici est, quum id *Sanctissimis Patribus nostris visum Tridentini* Patres adfirment. Nempe hanc Christus Ecclesiæ potestatem contulit, sed ejus arbitrio concessæ potestatis usum reliquit. Ubi autem Ecclesiæ Patribus reservandorum criminum consuetudinem statuere *visum est*, qua in hisce sibi servandis criminibus potestate Pontifex utitur? *suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita*. Cœcus sit oportet, qui non perspiciat, *Tridentinos* Patres eam potestatem aperte indicasse, quam Christus summis Pontificibus tradidit. *Unde*, inquiunt, *merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita &c.* Si enim potestatem intellexissent a sanctissimis Patribus nostris, aut ab Ecclesia traditam, an non planum erat, potestatem ab *iisdem Patribus*, vel saltem ab *Ecclesia universa traditam* appellare? Immo necesse erat, si ab eodem Ecclesiæ jure & saluberrimi moris institutio, & legitimæ ad id potestatis delatio manaverat. Abstinuisset autem maxime Synodus a *supremi* vocabulo. Noverat scilicet Christianorum mentes ut *supremam Romani* Pontificis potestatem nominari intelligunt, illam statim cogitare, quam eum in *Petro* adcepisse Fide Catholica credimus. Quid porro magis ridiculum, quam verba illa *pro suprema potestate &c.* ad denotandam *portionem supremæ potestatis* transfer-

sferre? Una fuit *Petri*, una est ejus successorum *suprema* potestas verbis illis Christi comprehensa: *quodcumque ligaveris &c.*, quæ huic potestati subsunt, vel ab ea exercentur, non ipsius potestatis *portiones* sunt, sed multiplex unius ejusdemque potestatis materies, multiplices actus. Neque illud satis intelligas, quomodo *suprema* dici posset auctoritas, quæ ab Ecclesia in *Romanos* Pontifices proflueret, non perpetuo in illis mansura, ut contendit *Febronius*, sed ad Episcoporum nutum certis finibus coercenda, immo & revocanda. Sed de criminum reservatione hactenus.

V. Ad dispensationes adcedo. Eæ autem quum Episcopalium quoque facultatum sint coercitio (neque enim negari potest, quin olim Episcopi dispensationes ejusmodi impertirentur, non ex potestate, qua Canonibus aut Generalium aut etiam Provincialium Synodorum dominarentur, sed ex ἐπιεικείᾳ quadam & indulgentia, quam Ecclesiæ utilitas aut necessitas exposcebat), quis dubitet earum in illo esse potestatem, cui Christus omnes juris Episcopalis facultates voluit esse subiectas? Neque quod antiquioribus sæculis eas *Romani* Pontifices Episcoporum arbitrio reliquerint, Primæ Sedis potestati quidquam officit. *Thomassinus* audiatur, cujus testimonio *Febronius*, & *Pereira* abutuntur. *In usu*, inquit ille censuræ re-

spon-

ſpondens, quam Anonymus in ejus libros *de Beneficiis* tulerat (23), *in uſu, & exercitio variatum eſt non in poteſtate, quæ & in Conciliis Provincialibus* [addc & *in Epiſcopis*] *pro ſuo modo, & in* Romanis *Pontificibus pro eorum ſummo principatu eadem ſemper intacta atque illibata viget: erumpit autem & exercetur non eodem ſemper modo, ſed pro locorum temporumque & rerum opportunitate, pro Eccleſiæ ſive utilitate ſive neceſſitate. Non ergo quæſtio umquam vertitur de poteſtate primæ Sedis, quæ ſumma eſt, & ſui ſimillima; ſed de variato ejus per tot ætatum, tot locorum negociorumque varietates exercitio atque uſu.*

VI. Huic noſtræ contraria eſt *Febronii*, & *Pereiræ* opinio, cauſſaſque omnes *tranſlatarum multarum ab Epiſcopis ad* Romanam Sedem facultatum, ſeu *reſervationum* ajunt (24) *demum terminari in conſenſu Epiſcoporum ſua jura deſerentium*, ſine quo, inquit Pereira (25), non potuiſſet Pontifex Epiſcopos juribus ac prærogativis ſpoliare antiqua conſuetudine legitime præſcripta, aut Conciliorum decreto ad univerſum Epiſcopale corpus pertinentibus. Neque enim Dominus Canonum Pontifex eſt, ut ex arbitrio Hierarchiam Eccleſiaſticam commutare, ac ſubver-

(23) Extat ea Cl. Viri reſponſio in fronte T. I. ejuſdem operis Lucenſ. edit. Hæc autem verba ad Cenſuram XIV. pertinent.

(24) Febr. *T.* II. *pag.* 317.

(25) *Princip. V. n.* 8. *pag.* 82.

vertere valeat. *Privilegia Ecclesiarum*, in epistola ad *Nicolaum* I. ajebat *Hincmarus*, *Sanctorum Patrum Canonibus instituta & venerabilibus* Nicænæ *Synodi fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla pravitate mutari*. " Hinc quum sæculo XIII., inquit
„ *Pereiræ* [26] plagiarius *Febronius* [27], *Ro-*
„ *mani* Pontifices dispensationes super defe-
„ ctu natalium, aliasque propria auctoritate
„ sibi reservare præsumerent, protestabantur
„ in suis Constitutionibus Synodalibus Epi-
„ scopi *Angliæ*, se ipsos in his irregulari-
„ tatibus dispensare posse. Probat hoc Tho-
„ massinius *cit. cap.* 28. *n.* 8. allegans duas
„ ejus temporis Synodos, quibus dicunt E-
„ piscopi: *cum talibus dispensare possumus*.
„ S. *Dunstanus* Archiep. *Cantuariensis*, quum
„ Papa ei mandaret, ut quemdam suum
„ diœcesanum ab excommunicatione, in
„ quam Sanctus eum ob crimen incestus
„ incidisse declaraverat, absolveret, intre-
„ pide respondit, se Pontificis voluntati fa-
„ cturum satis, quando peccator per me-
„ dium publicæ pœnitentiæ se absolutione
„ reddiderit dignum: *Equidem*, ait, *quum*
„ *illum sui delicti pœnitudinem agere videro*,
„ *præceptis Domini Papæ libens parebo*, apud
„ *Surium* ad diem XIX. Maii T. III. pag.
„ 323. Circa idem tempus *Robo Engolis-*
„ *men*

[26] *Princip.* IV. *n.* 3. *pag.* 66.
[27] T. II. *pag.* 315.

„ *menſis* Epiſcopus in *Lemovicenſi* Synodo
„ anni 1031. apud *Harduinum* Tom. VI.
„ col. 891. reſpondit : *Quod ego poſtulare*
„ *debueram ab Apoſtolico, Apoſtolicus poſtulat a*
„ *me. Non credere poſſum, hoc mandatum ab*
„ *eo exortum : hoc tibi nihil utile eſt : & do-*
„ *nec aut a me vel ab hujus ſedis Archidiaco-*
„ *no, me jubente accipias pœnitentiam, per-*
„ *mane in excommunicatione. Et ejecit eum*
„ *foras de Eccleſia.*

VII. Nihil tamen inde huic opinioni probabilitatis adcedit. Nam ut nuper dicebamus, quæcumque Epiſcoporum conſenſio aliquam *Romanis* Pontificibus occaſionem præbere quidem potuit, ut tandem ejuſmodi diſpenſationes ſibi ſolis vindicarent; aliæ tamen cauſſæ, eæque graviſſimæ fuerunt, cur ſin minus lege, uſu certe illas Epiſcopis ereptas ſibi adſcriberent. Nempe omnium *Romanorum* Pontificum ea vox eſt, quæ *Magni Leonis*, ajuntque illi, quod hic in epiſtola ad univerſos Epiſcopos *per Siciliam* conſtitutos (28): *divinis præceptis, & apoſtolicis monitis incitamur, ut pro omnium Eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu, ac ſi quid uſquam reprehenſioni invenitur obnoxium, celeri ſolicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut a præſumptionis vſurpatione revocemus.* Quum ergo Provincialia Concilia, ad quæ Epiſcopi ineunte quarto ſæculo jus diſpen-

[28] Ep. XVI. col. 715. Ball. edit.

diſpenſationum traduci paſſi non illibenter fuerant, quod in illis aliquid amplius quam in ſingulis Epiſcopis, ineſſe vigoris, ſapientiæ; conſtantiæque animadverterent; quum, inquam, Provincialia Concilia paullatim exoleſcere cœpiſſent, aut non ea ſaltem, qua antea, celebrari frequentia, nec conſultum eſſet, ſingulorum Epiſcoporum arbitrio graviſſimas diſpenſationum cauſſas dimittere; præterea, ut *Thomaſſinus* notat (29), *inconſideratius* quandoque *obrigeſcerent Epiſcopi maxime adverſus ſummos Principes, quibus æquum eſt multa indulgeri, quo lubentiores & ipſi poſtea perneceſſarium Eccleſiis & tuitionem impendant ſuam, & benevolentiam*; *Romani* Pontifices præter eas, quæ a *Lateranenſi* IV. Concilio ipſis adjunctæ fuerant, pleraſque alias diſpenſationes ſibi ſervarunt, ne aut nimia indulgentia canonum diſciplina penitus tandem infringeretur, aut nimia ſeveritate Fideles in præceps abducerentur. Summus enim Pontifex, ut *Facundus Hermianenſis* ajebat [30], *non in deſtructionem paternæ ſententiæ ſed potius in defenſionem atque ultionem, primam adcepit & maximam poteſtatem, nec aliquid contra veritatem ſed pro veritate plus ceteris conſacerdotibus poteſt*. Erant quoque aliqua diſpenſationum genera, quæ Epiſcopi ſibi non licere agnoſcebant. Sub ſæ-

(29) T. II. *lib.* III. *cap.* 27. *n.* 13.
(30) *lib.* II. *cap.* 6.

sæcuii XII. forsan initia putat *Thomassinus* [31], *serpere & invalescere latius cœpisse illud axioma: ab Episcopis, & a Conciliis relaxari non posse Canones Conciliorum, & Apostolicæ Sedis decreta*. Recte autem *Thomassinus* ea verba usurpavit: *serpere eo tempore illud axioma & invalescere* LATIUS *cœpisse*. Nam vetustissimis exemplis instruimur, eam multo antea sententiam obtinuisse. Ut cetera deessent, satis sit *Africanorum* Patrum, quod alibi excussimus, decretum memoria recolere. Cur enim litteras mittendas ad fratres, & Coepiscopos *Italiæ*, & MAXIME ad *Sedem Apostolicam* statuere, ut in tanta ordinandorum, qua premebantur, penuria a *transmarini* seu *Capuani* Concilii interdictis dispensationem obtinerent, possentque aut *ordinatos in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluissent suscipere in suis honoribus aut* Donatistarum *ad Ecclesiam redeuntium infantes ad ordines promovere?* nisi quod illis etsi suæ libertatis, & antiquæ auctoritatis retinentissimis, in iis quæ ab Apostolica Sede interdicerentur, nullam sibi esse dispensandi facultatem persuasum fuisset? Immo quum ceteroquin pervulgata sit Canonistarum sententia si ingruat necessitas, neque exspectari *Romana* rescripta possint, licere Episcopis uti ἐπιείκεια, *Anselmus* tamen *Cantuariensis* petendam sibi a *Paschali* II. facultatem duxit,

[31] *l. c. n.* 12.

xit, ut in ejusmodi casibus *posset quædam prout discretionem sibi daret Deus, temperare* (32). Quid ergo mirum, *Romanos* Pontifices, ne Episcopi aut ignoratione quadam, aut nimia sive facilitate sive etiam confidentia concessæ sibi facultatis limites prætergredentur, modum Episcopalibus dispensationibus præstituisse?

VIII. Falluntur deinde *Febronius* ac *Pereira*, graviterque falluntur, dum Episcoporum consensionem ad id *Romanis* Pontificibus necessariam fuisse contendunt. Enimvero quantum omnibus retro sæculis summi Pontifices in Episcoporum dispensationes auctoritatem exercuerint, consideremus. Dispensarant nonnulli, ut videtur, *Hispaniarum* Episcopi cum pœnitentibus, bigamis, aliisque, quos propterea sacris ordinibus initiaverant. Ignovit illis *solius pietatis intuitu Siricius*; edixit tamen *sciant posthac omnium Provinciarum summi antistites, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint adsumendum, & de suo, & de eorum statu, quos contra canones & interdicta nostra provexerint, congruam ab Apostolica Sede promendam esse sententiam* (33). Similiter *Innocentius* I. cum *Macedonibus* expostulavit, quod ii, *qui a Catholica ad hæresim* (Bonosi) *transierant, apud eos non solum pœnitentiam*

[32] Ep. XLII.
(33) Ep. I. *ad Himer.*

non agerent, *sed etiam honore* (Clericatus) *cumularentur* (34) . Multas quoque *Africanorum* dispensationes improbavit S. *Leo* M. (35). „ Quum ergo , inquit , inter vos tantum „ valuerint aut studia popularium , aut ambitus superborum , ut non solum laicos , „ sed etiam secundarum uxorum viros , aut „ viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale provectos , nonne apertissimæ exigunt caussæ , ut Ecclesiæ , in quibus ita commissa sunt , judicio severiore „ purgentur , & non solum in tales Præsules , sed etiam in ordinatores eorum ultio „ competens proferatur " ? Interdum etiam quas Episcopi petiissent dispensationes a *Romanis* Pontificibus negatas reperimus. S. *Bonifacius* suum sibi successorem ordinare percupiebat , idque a *Zacaria* Papa postularat . Verum Pontifex illi rescribens (36) abnuit : *ut te vivente*, *inquit in loco tuo eligatur Episcopus* , *hoc nulla ratione concedi patimur*. Age jam quis sibi in animum inducat , eos , qui in Episcoporum dispensationes pro summa potestate animadvertebant , illasque nunc cohibebant , nunc plane aversabantur , eorumdem Episcoporum consensu indiguisse , ut aliquas Episcopis dispensationum facultates adimerent , ac sibimetipsis servarent ?

IX.

(34) *Ep.* XVII.
(35) *Ep.* XII. *col.* 664. *Ball. edit.*
(36) *Ep.* I.

IX. At Pontifices Domini Canonum non ſunt. Id alibi conceſſi, iterumque concedo (37). Sed quis heic Canonum dominatus? Im-

(37) Hoc ſolum iis, quæ ſupra hac de re diſputavimus, addendum. Febronius (*T.* I. *cap.* III. §. 7. *n.* 5. *pag.* 190.) cum *Barthelio* monet, Innocentium *potiſſimum* III. & Alexandrum III. *ſe dominos Canonum dixiſſe*. At id *Thomaſino*, quem heic ſe ſequi jactat, falſiſſimum eſt. Recito ejus locum [*de Beneſ. P.* II. *lib.* III. *cap.* 28. *n.* 5.] " Sed illud tum in Epiſtolis *Innocentii* III. tum „ in corpore Decretalium & obſervari ſedulo, & altiſſi- „ me animo infigi operæ pretium eſt; quod Pontifices, „ qui ab aliquibus *Domini Canonum* dicuntur, diſpenſa- „ tores tantum eorum ſint; nec his vocibus, *domini Ca-* „ *nonum*, aliud ſignificetur, quam eximia quædam pote- „ ſtas de iis diſpenſandi, ubi Eccleſiæ vel neceſſitas co- „ git, vel invitat utilitas. Eodem redit & alia illa con- „ flictatio verborum, quum de re conveniat, ubi ajunt „ alii, Pontificem eſſe ſupra Canones, alii Canonibus „ ſubeſſe. In ipſo jure ſunt, quo illi nec deſunt quæ „ huic faveant verborum conſuetudini '. Porro utrobique „ una ſententia eſt; poſſe Pontificem de Canonibus diſ- „ penſare, eoque nomine eſſe quodammodo ſupra Cano- „ nes: ſed quum diſpenſare non poſſit niſi juxta canoni- „ cas regulas, ex utilitate & neceſſitate Eccleſiæ, eo „ ſenſu ſubeſt canonibus, qui ita temperatas diſpenſatio- „ nes vehementer probant, ceteras improbant. Ejus rei „ jam præſidia venanda ſunt nobis in *Innocentii* III. epi- „ ſtolis, ceterorumque Pontificum, quorum decreta ra- „ diant in libris decretalium. Audi primum, ut *Inno-* „ *centii* III. hanc velit egregiam & ſingularem eſſe præ- „ rogativam Sedis Apoſtolicæ & plenitudinem poteſtatis, „ quod in ſingularibus quibuſque cauſſis poſſit Canones „ relaxare, integro ſemper & illibato futuro eorum alias „ Canonum vigore. *Adſcitis aliis in partem ſollicitudinis,* „ *ſummus Pontifex adſumptus eſt ad plenitudinem poteſta-* „ *tis; qui quum moderator ſit Canonum, juri non facit inju-* „ *riam, ſi diſpenſat. Præſertim quum diſpenſatio ſic juris* „ *vincula laxet in aliquo, quod in aliis non diſſolvit: &* „ *ſic beneficium gratiæ ſpecialis inducat, quod vigorem*

„ Con-

Immo ut Canones ſervarent, eo ſummi devenere Pontifices, ut Epiſcopales quaſdam diſpenſationes ſibi vindicarent. Neque id (quod *Pereira* ſomniat) eſt aut Eccleſiaſticam pro arbitrio Hierarchiam ſubvertere, aut ſuis juribus Epiſcopos ſpoliare. Nihil minus. " Qua in re illud præſertim cum
„ *Ballerinio* (38) animadvertendum eſt,
„ quod ſi quæ poteſtas Epiſcopis jure divi-
„ no tradita videri poterat intacta relin-
„ quenda, ea procul dubio eſt poteſtas ab-
„ ſolvendi a quibuſcumque peccatis, quam
„ ſine reſtrictione ulla ab ipſo Chriſto Apo-
„ ſtolis & Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſo-
„ ribus collatam liquet. Si ergo hæc tanta
„ ac tam illimitata poteſtas ita (divino u-
„ tique

„ *Conſtitutionis non perimit generalis*. Regeſt. 16. Epiſt.
„ 164. Quum denique toties profeſſus ſit *Innocentius*, non
„ a ſe umquam remitti vim Canonum, niſi cogente Ec-
„ cleſiæ neceſſitate, ſatis ſuperque non *dominatorem* ſe
„ Canonum, ſed *moderatorem* eſſe teſtificatus eſt. Venio
„ ad *Gregorianos* Decretalium libros, ubi *Innocentius* idem
„ III. verba faciens de canone, quem *Alexander* III. pu-
„ blicaverat in Concilio III. *Lateranenſi* adverſus ſpurios,
„ & demonſtrans eo Canone inijci non potuiſſe vincula
„ *Romanis* Pontificibus, *Alexandri* III. ſucceſſoribus: non
„ ait Pontifices *Romanos* dominari Canonibus, etſi perop-
„ portunus is fuiſſet locus ejus doctrinæ propalandæ, ſi
„ ea ejus animo inſediſſet ſententia; tradit tantum, poſſe
„ Pontifices diſpenſare. *Nobis tamen per eum adempta non*
„ *fuit facultas diſpenſandi, quum non fuerit prohibentis*
„ *intentio qui ſucceſſoribus nullum potuit in hac parte præ-*
„ *judicium generare, pari poſt eum, immo eadem poteſta-*
„ *te functuris: quum non habeat imperium par in parem.*"

(38) *De poteſt. pag.* 19.

„ tique jure) subest auctoritati Pontificiæ, „ ut *pro suprema Romanorum* Antistitum *potestate* restringi per reservationes *merito* „ potuerit, (quin aut Ecclesiastica Hierarchia convelleretur, aut Episcopi sua sibi „ adempta jura queri possent) quidni aliæ „ eorumdem Episcoporum facultates, quum „ expedire visum fuerit, eadem suprema „ potestate moderari seu refringi similiter „ poterunt “? Nempe ut sæpe dixi, ita Christus voluit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ut omnis eorum potestas juri *Petri* esset subjecta, iisque obnoxia coercitionibus, quas *Petrus* Ecclesiæ universæ utiles esse judicasset.

X. Quod ad exempla spectat, quæ ex *Pereira Febronius* mutuatus est, *cæci* sunt illa, *qui cæco ducatum præstet*. “ Quum sæculo „ XIII. inquit *Febronius* (39), *Romani* Pontifices dispensatores super defectu natalium, „ aliasque propria auctoritate sibi reservare „ præsumerent, protestabantur in suis Constitutionibus Synodalibus Episcopi *Angliæ*, „ se ipsos in his irregularitatibus dispensare posse. Probat hoc Thomassinus *cit.* „ *Cap.* 28. *n.* 8. allegans duas ejus temporis Synodos, quibus dicunt Episcopi: *Cum* „ *talibus dispensare possumus* “. Sed cur quæ continenter addit *Thomassinus*, non legit *Febronius*? *Argumento*, inquit vir doctus, *id*

[39] T. II. pag. 315.

porro eſt nuperam fuiſſe eam reſervationem, eoque nec dum ad omnes Eccleſias pervadere potuiſſe. Vide quam molli manu vetera ſint a modeſto pioque Scriptore tractanda monumenta, quam ſobrie interpretanda. Non heic *Thomaſſinus Romanos* Pontifices videt *diſpenſationes propria auctoritate ſibi reſervare* PRÆSUMENTES; non *proteſtantes Anglos*, perinde ac ſi notæ ſibi Pontificiæ voluntati pervicaciter reluctarentur. *Pereiræ* hæc ſunt; hæc *Febronii*, non *Thomaſſini* temperatiſſimi æque atque eruditi Scriptoris. Quæ porro de S. *Dunſtano* narrantur, ut vera ſint (40), id unum efficiunt, Summo Pontifici obreptum fuiſſe ab iis, quos Legati a comite inceſtus reo *Romam* miſſi ut ejus cauſſæ patrocinarentur, *largo munere*, *largiori ſponſione* corruperant. Neque parere ſanctus Archiepiſcopus *Romano* Pontifici detrectavit; hoc ſolum exegit, ut antea ille *ſui delicti pœnitudinem ageret*, quod ſane & ſummus Pontifex re bene perſpecta ab eo poſtulaſſet. Obreptum quoque *Romano* Pontifici in cauſſa, de qua *Engoliſmenſem* Epiſcopum ſecus judicaſſe *Febronius* refert. Reddamus integrum *Lemovicenſis* Synodi locum (41). *Dicebant*

[40] Hæc ſcilicet ex *Osberto* ſumpta ſunt, qui XII. ſæculo S. *Dunſtani* acta perſcripſit; verum hac de re nihil invenias in S. Archiepiſcopi vita, quam antiquior *Oſboernus* edidit. Quare dubio fortaſſe locus, num *Osberto* fidendum ſit.

(41) *apud* Hard. T. *VI. p. I. col.* 890.

cebant ergo Episcopi ad invicem : Frustra hæc querela adversus caput nostrum mutire audet: Apostolicus enim absque culpa est : & potius nos culpabiles sumus, nisi *litteris nostris notum ei faciamus, de quibus nolumus*, ut *absolvantur . Quum ergo tales* DECEPERINT *Apostolicum , ut* FRAUDULENTER *absolvantur ab eo , irrita est eis illa absolutio . . . . Quidam autem in Concilio dixit: Vidi nuper de Episcopo* Engolismensi, *qui præsens est, quod dico . Quidam ex suis Parochianis excommunicatus ab eo, dum satisfacere nollet , non poterat impetrare ab eo pœnitentiam . Qui sine licentia Episcopi sui Papæ Romano* SUBRIPUIT *pœnitentiæ legem , & litteras ex nomine ejus Episcopo detulit in Cœna Domini , quibus Episcopum rogabat Apostolicus , quatenus illi pœnitentiam, quam imposuerat, adfirmaret. Episcopus vero intelligens* FRAUDEM *ait homini ;* cetera quæ *Febronius* descripsit . Quantum vero *Lemovicenses* Patres a deneganda in hisce facultatibus *Romano* Pontifici potestate abfuerint docent, quæ statim sequuntur (42). *Et dixerunt Episcopi: hoc ab ipsis Apostolicis* Romanis *& ceteris patribus cautum tenemus : ut Parochiano suo Episcopus si pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, ut judicet, utrum sit an non pœnitentia digna pro tali reatu ; potest eam confirmare auctoritas Papæ, aut leviga-*

[42] *ibid. col.* 892.

vigare, *aut superadijcere*. JUDICIUM *enim* TOTIUS ECCLESIÆ MAXIME IN APOSTOLICA SEDE CONSTAT. Hoc equidem *Febronio*, & *Pereiræ* amice consilium darem, ut deinceps ab appellandis *Lemovicensibus* Patribus sibi sedulo caveant.

CAPUT V.

Beneficiorum reservationes non tam ex Episcoporum consensu quemadmodum Febronius *adseruit , quam ex ipso* Romanorum *Pontificum jure petendæ sunt . Cujusmodi id jus sit , & quo nomine eisdem summis Pontificibus conveniat . In harum reservationum antiquitatem , justasque caussas diligentius inquiritur , multaque* Febronii *commenta refelluntur .*

I. PErgit *Febronius* jura percensere , quæ ex Ecclesiæ consensu *Romanis* adcessisse Pontificibus existimat . In his autem numerat Beneficiorum reservationes . *Hinc*, inquit (1), *colligitur , sicut alias jam memoratas reservationes , ita & hanc beneficialem (quæ magnis tamen deinceps oppositionibus adhuc subjecta fuit) non habere fundamentum nisi in Episcoporum consensu* . At in *Antifebronio* oppositum demonstravimus (2). Sed illa *Febronius*, qui Apologiam in *Antifebronium* scribere se ostentat , ne memorat quidem . Cogamus ergo vel invitum , si fieri potest , aliquid respondere . Id ut obtineam , hancce Beneficiorum reservationibus controversiam breviter quidem , sed a suis fundamentis

(1) T. II. *pag.* 315.
(2) *lib.* V. *cap.* 3. *n.* 8. *seq.*

tis diſpiciamus. Hoc ergo primum ſtatuo, jus aliquod in univerſæ Eccleſiæ beneficia omnibus ante ipſas *Iſidorianas* decretales ſæculis *Romanos* Pontifices *pro ſuprema poteſtate* exercuiſſe. *Dominos* ergo Beneficiorum omnium ait Pontifices, inquiet *Febronius*. Quæſo quæſtionem alia quæſtione non implicet; quodnam hoc jus ſit, Domini ne an aliud quidpiam, infra perpendam. Hoc unum nunc adſero, in ſacræ vetuſtatis annalibus indubia exſtare monumenta exercitæ a ſummis Pontificibus in Eccleſiaſtica omnium gentium beneficia auctoritatis. Duo autem cum primis ſummos Pontifices video ſuper beneficiis egiſſe; vigilantiæ alterum, alterum poteſtatis; illud, ne bona Eccleſiaſtica quidquam caperent detrimenti, alterum, ut ex publici boni, Eccleſiarumque utilitate de illis decernerent. Atque ad primum quod adtinet, ſtatim ſe nobis offerunt *Romanorum* Pontificum leges, quibus ne Eccleſiaſtica bona alienarentur, ſancte cautum. Celebria hac in re ſunt *Leonis* M. [3] *Hilari*

[3] Ep. XVII. Ball. edit. *ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos*. " Sine exceptione decernimus, ut „ ne quis Epiſcopus de Eccleſiæ ſuæ rebus audeat quid„ quam vel donare, vel commutare, vel vendere, niſi „ forte ita aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, „ & cum totius Cleri tractatu atque conſenſu id eligat, „ quod non ſit dubium, Eccleſiæ profuturum. Nam „ Presbyteri, vel Diaconi, aut cujuſcumque ordinis Cle„ rici, qui conniventiam in Eccleſiæ damna miſcuerint; „ ſci-

lari (4) & *Symmachi* (5) decreta. Huc etiam facit *Cautio* Episcopi, quam editor P. *Garnerius Gregoriani* temporis disciplinam sapere existimat (6). Inter cetera enim, quæ electus Episcopus *Romæ* in *verbis solemnibus* spondebat, hæc legere est (7): *Spondeo etiam Ecclesiastica prædia urbana vel rustica universasque res immobiles, sesequue moventes, vel ornamenta Ecclesiæ, ministeriaque sacrata diligenter & fideliter servaturum: si qua pignora a quibuslibet obligata sunt, aut indebite detinentur, meo adnisu, labore, & sumptu proprio,*

„ sciant, se, & ordine, & communione privandos "; quæ poena nonnisi ob gravissimas noxas clericis olim infligebatur. *Quesnellus* hanc M. *Leonis* epistolam in dubium vocavit; sed ejus ratiunculas diluit *Tillemontius* [T. *XV. in* S. Leon. *adnot.* 9.]; consensio autem codicum MSS. quos in *Admonitione* ad eam epistolam *Ballerinii* percensent (*T*. I. *col.* 725.) plene evertit.

(4) *Hilarus* Papa easdem Ecclesiæ res in *alienum jus* transferri vetuit, *nisi prius apud Concilium alienationis ipsius caussa doceatur, ut quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur*. Hanc scilicet adeundi Concilii cautionem, quæ sane major erat quam cleri consensus a *Leone* præscriptus, suaserit nimia cleri facilitas.

(5) *Epist. ad Cæsar. Arelat.* " Possessiones igitur, quas „ unusquisque Ecclesiæ proprio dedit ac reliquit arbitrio, „ alienari quibuslibet titulis atque contractibus, vel sub „ quocumque argumento non patimur; nisi forsitan aut „ clericis bonorum meritis, aut monasteriis religionis in- „ tuitu, aut certe peregrinis necessitas largiri suaserit: „ sic tamen, ut hæc ipsa non perpetuo sed temporaliter „ donec vixerint perfruantur ". Similia statuerunt *Agapetus* in epistola ad eumdem *Cæsarium*, S. *Gregorius Magnus* in epistola ad *Siciliæ* Episcopos &c.

[6] Antiquior tamen *Gregorio* est, quum Consulis nota adscribenda statuatur [*pag.* 68.]

(7) *pag.* 64.

prio, *ut temporis necessitas largietur*, *atque meo studio revocanda*, *nec a me alienanda quolibet titulo esse promitto*. Porro *Romanus* Pontifex litteras Episcopo dabat legendas *in Synodo Ecclesiæ*, cui præpositus erat [*Synodale* appellabantur]; in iisque se hoc etiam *dedisse* neo-Episcopo in *mandatis* ajebat (8): *Ministeria*, *atque armamentum Ecclesiæ vel quidquid est in patrimonio ejusdem non minuere studeat*, sed *augere*; quæ sumpta ex *Gelasio* I. videntur (9). Et illud heic considerari omnino velim, Episcopos siquando a laicis temporaria, qua in urbes, terrasve potirentur, jurisdictione spoliari eos contigisset, ad *Romanam* Sedem illico confugisse, ut salva ipsorum jura esse vellet, sicque *Rothomagensis* Archiepiscopus [10], & *Bellovacensis* Episcopus (11) *Gregorii* IX. auctoritatem adversus *Galliæ* Regem implorarunt. Ad Pontificem quoque eorum Præsulum caussas delatas novimus, qui Ecclesiarum bona

(8) *pag.* 73.

(9) Deinceps vero inductum fuit, ut Episcopi se Ecclesiarum suarum bona conservaturos, nec umquam alienaturos *inconsulto* Romano *Pontifice* jurato sponderent. Ejusmodi juramenta etiam Episcoporum *Transalpinorum* a. 1235. edita in MS. Regesto *Cencii* Camerarii prænotato, quamvis post hujus obitum aucto vidit *Muratorius* ut ipse testatur in dissertationibus *sopra le antichità* Italiane (*T.* III. *diss*- LXXII. *pag.* 459. *edit. a.* 1766. *in* 4.)

(10) apud Raynald. *ad ann.* 1232. *n.* 26. & *ad ann.* 1233. *n.* 62.

(11) *ibid. ad ann.* 1233. *n.* 62.

bona dilapidarent. Quare a. MCLXVII. *Alexander* III. *Guidonem* ab Abbatis munere deijci jussit, quod *Regiense* S. *Prosperi* (nunc S. *Petri*) Monasterium cui præerat, ejusque bona decoxisset, *ita ut tectum Monasterii, quod plumbeum erat, eruisse diceretur, & in gulæ voracitate illius pretium dissipasse* (12): anno autem circiter MCLXXX. *Regienses* Canonici apud Judices ab eodem *Alexandro* III. constitutis Capituli Præpositum accusarunt, quod *res Ecclesiæ male administraret sæpius in damnum Ecclesiæ & Canonicorum jam per decem annos suæ Præposituræ; & res mobiles sine consensu Canonicorum, ac Massariorum Ecclesiæ indebite dando, vel alienando & terrarum Ecclesiæ cambia faciendo sine eis* (13). Immo Imperatores ipsi quum in eos, qui Ecclesiarum bona dispersissent, ab Episcopis illorum præsidium expeteretur (quemadmodum *Otto* I. & II. Augusti a. 972. *Ravennæ* quum essent, ab Archiepiscopo *Honesto* moniti fuerunt, Classense Cœnobium *tam per cambiacionem, quam per Emphitheosim ita in dissipatione positum fuisse, ut ejusdem Monasterii Cœnobitæ cunctis necessitatibus indigebant*), libenter auctoritate sua bonorum Ecclesiasticorum alienationes interdixerunt, se tamen id facere ex *Romani* Pontificis

[12] Murat. *l. c. pag.* 448.
[13] Murat. *ibid.*

ficis adſenſu interdum profitebantur [14].

II. Alterum Pontificiæ in Eccleſiaſtica bona poteſtatis jus in eo poſitum diximus, quod de illis ex auctoritate diſponerent. Multiplices porro hujuſce juris actus occurrunt. Primus ille, qui in bonis Eccleſiæ aut Monaſterio cuipiam confirmandis eminet. Plena Pontificiis ejuſmodi diplomatibus eſt *Ughellii Italia ſacra*; plenæ cl. *Muratorii Antiquitates Italicæ medii ævi*, pleni Annales cum *Benedictini*, tum *Camaldulenſes*, ſimilesque exterarum Eccleſiarum libri [15]. Notari autem in his diplomatibus maxime velim cum formulas *jubemus*, ſimileſque, quæ

[14] *De conſenſu*, inquiunt memorati *Ottones* in diplomate ejus anni pro *Claſſenſi* Cœnobio, *domni* Johannis *ſummi Pontificis*, *noſtrique ſpiritualis Patris*. Murator. ibid. pag. 446.

(15) Aliqua tantum indicabo ſæculo undecimo vetuſtiora. In his Bulla *Stephani* Papæ pro *Nonantulano* Monaſterio data a. 753. [Ughell. T. II. *recent. edit. col.* 84.] Privilegium *Ravennati* Eccleſiæ a *Paſchale* I. a. 818. conceſſum (*ibid. col.* 344.); Bulla a. 828. pro *Patavino* S. *Juſtinæ* cœnobio a *Gregorio* IV. edita (Murat. *Antiq. Ital.* T. III. *col.* 39.); Breve, quo a. 881. *Johannes* VIII. Apoſtolica protectione *Adericum* Abbatem Ss. *Gervaſii* & *Protaſii*, ejuſque bona donavit (Ughell. *T.* IV. *col.* 120.) duo *Marini* Papæ privilegia a. 883. alterum Monaſterio *Solemniacenſi* (Ugh. T. I. *col.* 113.); alterum *Gherardo Laudenſi* Epiſcopo impertitum [vide meam, *Laudenſ. Epiſcoporum ſeriem pag.* 100.] Pro ſæculo X. memorabo diplomata *Sergii* III. (a. 910.) pro Canonicis *Aſtenſibus* [Ugh. *T.* IV. *col.* 343.]; *Leonis* VI. (a. 536. pro Monaſterio *Sublacenſi*) Murat. *Antiquit. Italic. T.* VI. *col.* 201. (; *Marini* II.) a. 944. pro Eccleſia *Beneventana* (Ugh. *T.* VIII. *col.* 50.)

quæ ſæpius occurrunt; tum pœnas a Pontificibus ſuarum Conſtitutionum violatoribus intentatas, non ſpiritales tantum, ſed & pecuniarias [16]. Alter Pontificii juris actus unionem ſpectat duarum Epiſcopalium Sedium; ſiquando enim vel Barbarorum incurſibus, vel aliis de cauſſis duas uniri Sedes neceſſe fuit, alterius in alteram jura, bonaque *Romani* Pontifices transferebant. Sic a Magno *Gregorio* factum tum a. 591. quo *Formienſem* ac *Minturnenſem* (17) tum a ſequente, quo *Cumanam* ac *Miſenatem* Eccleſias univit (18). Sæpe etiam per ſummos Pontifices facta eſt alienandorum Eccleſiaſticorum bonorum poteſtas. *Muratorius* inſtrumentum vulgavit, quo *Paganus Vulterranus* Epiſcopus a. 1216, Monaſterio S. *Galgani* quoſdam aquæductus, nonnullaſque ſylvas dono dedit, data ſibi ab *Innocentio* III. facultate: *non obſtante*, inquit Pontifex in Brevi, quod Inſtrumento inſeritur, *vinculo juramenti, quod nobis & Apoſtolicæ Sedi feciſtis de non concedendis alicui bonis Eccleſiæ abſque licentia, & mandato*. Neque minoris auctoritatis actus cenſeri debet, Eccleſiaſti-

[16] Ut indicatis *Paſchalis* I. pro *Ravennatenſi* Eccleſia, & *Gregorii* IV. pro S. *Juſtinæ* Cœnobio diplomatis, quæ tamen *Iſidorianis* Decretalibus paullo ſunt antiquiora.

[17] *ib. I. epiſt. VIII.*

(18) *lib. II. ep.* 31. Alia in hanc rem, ſed recentiora exempla congeſſit cl. *Georgius* in diſſertatione hiſtorica de *Cathedra Epiſcop. Setiæ* pag. 125. ſeq.

eorum bonorum usurpatores ad eorumdem restitutionem cogere, injtosque contractus rescindere. Exempla habeto. *Leo* IX. in Bulla JOHANNI *Abbati Monasterii* Sanctæ Mariæ Vallis Pontis *in* Perusina *diœcesi constructi* inscripta A. MXLIX. inter cetera ait (19): *ab omni etiam alienatione liberos vos & securos reddere volumus: unde Apostolica auctoritate cassamus, & revocamus illa præcepta, quæ a* Benedicto, *&* Gregorio *injustis Pontificibus Andreæ Episcopo* Perusino *collata sunt de eodem vestro Monasterio. Victor* quoque II. in Bulla, quam *Muratorius* ex MS. *Peregrini Prisciani* annalibus eruit (20), *Ferrariensi* Ecclesiæ ejusque Episcopo *Rolando* omnia bona confirmans a. MLV. abolet *quidquid* Gregorius *dissipator potius, quam Rector ipsius Ecclesiæ cartis aut superscriptionibus composuit, vel scribi rogavit* (21). Aliud hujus rei exemplum in Jure Canonico exstat ab *Alexandro* III. (22). Quid vero dicam de *Romani* Pontificis auctoritate in concedendis, abrogandisve oneribus, quæ interdum a civilibus Magistratibus ob Reipublicæ

(19) Murat. T. III. dissert. *sopra le antichità Italiane* diss. 72. pag. 459. Confer Thomassinum *de re benefic.* T. *III. lib.* I. *cap.* 43. *n.* 15. *& Muratorii* Annales Italicos T. XI. ad ann, 1657. ubi ejusmodi Facultates Clero *Gallicano*, ac Reipublicæ *Venetæ* concessas memorat.

[20] Murat. *ibi diss.* 73. *pag.* 467.

[21] Murat. *ibi diss.* 73. *pag.* 447.

[22] L. III. *de donat. C. Fraternitatem.*

cæ bonum Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque bonis imponi necesse est. Concilium III. *Lateranense* sub *Anathematis districtione* hæc præstitui vetuerat, nisi *Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes necessitates, vel utilitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda* (23). Verum *lateranense* IV. Concilium *Romano* Pontifici totum hac de re judicium esse voluit [24]. *Propter imprudentiam tamen*, inquit, *quorumdam* Romanus *Pontifex consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere*. Hinc quum *Eduardus Angliæ* Rex a. 1297. symbolam a Clero in belli impensas conferri juberet, *Clerus*, inquit *Thomas Valsinghamensis*, *ob Constitutionem Papæ* (Bonifacii VIII.) *hoc anno editam, quæ prohibet sub pœna excommunicationis, ne talliæ vel exactiones a Clero per sæculares Principes quoquo modo exigantur, vel eis solvantur de rebus Ecclesiæ, Regi pro guerra sua petenti subsidium* denegavit, utique agnoscens, *Romano* Pontifici horum interdicendorum inesse auctoritatem; immo ut ex eodem *Valsinghamensi Thomassinus* narrat (25), Archiepiscopus *Cantuariensis* expressiorem quidquam ad temporarias Regni necessitates conferen-

R 2

[23] *Extra de immunit. c.* 47.
[24] *Can.* 46.
[25] P. III. *lib.* I. *Cap.* 41. *n.* 13.

ferendi prohibitionem *Roma* mitti curaverat.

III. Hæc quidem ad ipsos Ecclesiarum fundos adtinent. Nunc eamdem super earum reditibus potestatem a summis Pontificibus exercitam videamus. A *Simplicio* Papa plerumque origines repeti solent celeberrimæ partitionis Ecclesiasticorum proventuum in Episcopos, Clerum, pauperes, sartaque tecta Ecclesiarum ædificia servanda. *Gaudentius* scilicet *Ausinii* Episcopus non Simoniacus modo ordinationes fecerat plures, sed ne præscriptas quidem regulas in Ecclesiæ distribuendis reditibus observarat. Certior ea de re factus *Simplicius* *Severum* Episcopum delegavit, qui *Ausiniensem* Antistitem quarta tantum proventuum parte gaudere sineret, quartam alteram partem clero addiceret, duas reliquas *Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturas ab* Onagro *Presbytero sub periculo ordinis sui ministrari* juberet (26): præcepit deinde Pontifex, ut *Gaudentius* tres illas portiones quas superiore triennio sibi præter fas vindicaverat, restitueret. Eamdem partitionem *Gelasius* deinde confirmavit (27). *Gregorius* M. deinde statuit, ut Ecclesiarum visitatores eam fructuum portionem perciperent, quæ defuncto Episcopo, si viveret, obve-

(26) *ep.* III.
(27) *ep.* IX. & X.

obveniret (28). Ex eadem deceſſorum ſuorum poteſtate *Alexander* III. præcepit, ut *reditus* & *proventus Præbendæ*, quam *Cluniacenſis* Abbas habebat in Eccleſia *Carnotenſi* deputatos, in Monaſterio ſuo ad luminare Beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Paulli*, quos quidem Abbates aliquibus ſæcularibus Clericis de facto aliquoties conceſſerant, de cetero nemini concederentur, *ſed eſſent luminare hujusmodi perpetuo deputati* (29). Huc etiam pertinent decimæ, de quibus in *Melphenſi* Concilio a. 1089. (30), & in *Romano* a. 1099. (31) ſancitum fuit, ut *ſiquis Epiſcopis improbitatis & avaritiæ cauſſa conſentire noluerit, ut Monachis decimæ a laicis offerrentur*, Romano *Pontifici nuncietur, & ejus licentia quod offerendum eſt, offeratur.* Præterea ob publicas Regnorum neceſſitates, ac bellicas præſertim expeditiones *Romanos* Pontifices *Angliæ*, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, aliarumque gentium Clero ſæpe ſæpius ſubſidia conferenda indixiſſe notius eſt, quam ut hiſtoricis monumentis comprobari debeat (32). Adde & annuas penſiones, de quibus non ſolum ſæpe *Romani* Pontifices ſibi decernendum

(28) *L. IX. ep. ad* Petrum Tricalit. & *lib. VII. ep.* 75. ad Conſtant.

(29) apud Thomaſſ. *P.* III. cap. 25. n. 3.

(30) *Can.* 5.

(31) *Can.* 15.

[32] Vide tamen Thomaſſinum p. *III. lib. I. cap.* XII.

dum sumpserunt (33), sed & ipsa Concilia (34) irritas habendas esse sanxere, quæ ab Apostolica Sede minime probarentur.

IV. Post tot, tantaque Pontificiæ in Beneficia jurisdictionis argumenta non erit, cur *Febronius* (35) miretur, *Clementem* III. sive ut ipse cum *Barthelio* putat, *quartam* non dubitanter adseruisse (36), *omnium beneficiorum Ecclesiasticorum plenariam dispositionem ad* Romanum *Pontificem pertinere*. Quos enim percensuimus actus temporum diuturnitate locorum universitate, rerum varietate conspicuos, an exerceri a *Romanis* Pontificibus potuisse existimabimus absque eximiæ cujusdam potestatis aut vi, aut saltem argumento? At quonam hæc omnia jure summi Pontifices effecerint, inquiramus. *Barthelius* (37), & ex eo *Febronius* (38) ait id esse principium ROMANORUM, *quod Papa dominus sit omnium beneficiorum*. Atque hoc *Ro-*

(33) Plura invenies apud Thomassinum P. III. *lib.III. capp.* 29. *seqq.* Aliud exemplum cl. *Muratorius* suppeditat pensionum, quæ a *Romanis* Pontificibus *Beatrici Estensi* ejusque Filio *Stephano* ad levandam eorum inopiam adjudicatæ fuere. Vide Tom. III. dissertationum *sopra le antichità Italiane diss.* LXX. *pag.* 421.

[34] *Toletanum* a. 1566. *Rothomagense* a. 1581. *Bituricense* a. 1584. *Tolosanum* a. 1590. Confer Thomassinum *lib. cit. cap.* 31. *n.* 12.

[35] T. I. *cap. VII.* §. *IV. pag.* 561.

(36) *in cap.* 2. *de Præbendis in* 6.

[37] *in adnotat. ad Jus Can. lib.* III. *Tit.* 5. §. 2. *quæst.* I. *p.* 207.

(38) T. *I. cap. VII.* §. 4. *n.* II. *pag.* 569.

Romanorum quorumdam effatum fuisse non nego, uti *Merlinii* (39), *Seraphini* (40), *Menochii* (41), & Card. *Petræ* (42). Verum hoc *Romanos* ita sentire, ut id *Romanorum pincipium* appellari αντονομαςικως possit longe falsissimum est. Plerique enimvero, qui *Romanorum* partibus student, Theologi & Canonistæ, præeunte illis Angelico Doctore (43) statuunt, *Romanum* Pontificem esse universalem Ecclesiasticarum rerum administratorem, non dominum. Hæc diserta sententia est *Cajetani* (44), *Soti* (45), *Molinæ* (46) *Suarii* (47), *Charlasii* (48), *Roncagliæ* (49); atque ne Theologos tantum appellare videar, ex Canonistis *Navarri* (50), *Lotterii*

R 4 (51)

(39) *Decis.* 375. *n.* 21.
(40) *Decis.* 45. *n.* 4.
[41] *Cons.* 192. n. 7.
(42) T. I. *pag.* 53. *n.* 63. 67. *& alibi*.
(43) 2. 2. q. 100. a. I. ad. 7. *Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ*, UT PRINCIPALIS DISPENSATORIS, NON *tamen sunt ejus* UT DOMINI ET POSSESSORIS.
[44] *in Comm. ad h. l. S.* Thomæ.
[45] *de justit. & jure lib.* III- *q.* 6. *a.* 3. *ad* 3.
[46] *de justit. & jur. Tract.* II. *disp.* XXIX. *concl.* 2. ubi suam sententiam *communem* appellat.
(47) *Defens. Fid.* Cathol. *l. IV. cap.* 18. *n.* 8.
(48) *De libertat. Eccles. Gallic. lib. VI. cap.* 10. *n.* 7. Leod. *edit.*
(49) *Animadvers. ad* Nat. Alex. *diss.* VIII. *in hist.* Eccles. *sæc.* XIII. *&* XIV. T. VIII. *edit. Luc.* 1752. *pag.* 424.
]50] *Tract. de reddit. Eccles. q.* I. T. I. *oper. Ven. edit.* 1599. *p.* 227.

(51), *Johannis Petri Monetæ* (52), & qui *Romanorum* Canoniſtarum princeps dici non immerito poſſet, *Fagnani* (53). Immo Illuſtriſſimus *Saſſinatium Johannes Baptiſta Braſchius* in opere, quod *de libertate Eccleſiæ in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia* prænotavit, & Sacro Cardinalium Senatui inſcripſit, fuſe idem confirmat; tum addit (54): "Eamdem fuiſſe mentem Canoniſtarum quotquot de hac re ſcripſerunt, nullatenus eſt ambigendum. Quum etenim in *Capit. licet 2. de præbendis in 6. & in Clement. I. Ut lite pendent.* non aliud dicetur, niſi quod ſummo Pontifici omnium beneficiorum plenaria competit diſpoſitio; dominium excluditur, & ſic plenitudo poteſtatis Papæ in beneficialibus non illum dominum conſtituit, ſed ſimpliciter diſpenſatorem. Nec alia mens ineſſe potuit Interpretibus Canonum, ſi Canones textualiter hoc indigitant . . . Quod ſi aliqui minus forte circumſpecta voce dictitarunt, Papam eſſe dominum omnium Eccleſiarum, omniumque Beneficiorum, uti aliqui fecerunt (55), horum videntur caſtiganda utili-

(51) *De re benefic. l.* I. *q.* 4. *n.* 57. *& lib.* 2. *q.* 22. *n.* 10.

(52) *de Commut. ultim. volunt. c.* 5. *n.* 97. 99.

(53) *in* I. *decret. de Translat. Epiſcop.* C. *Quanto n.* 81. *ſeqq.*

[54] T. III. Cap. 16. n. 10. pag. 311,

(55) Borel- *ſum. deciſ.* T. I. *tit.* 15. *n.* 7. Seraph. *deciſ.* 45. *n.* 4. Menoch. *conſ.* 192. *n.* 7. & alii.

„ tiliter verba . . . & ideo dicendum eſt, „ loquutos eſſe quoad dominium reſpiciens „ jus collationis, ut eos interpretatur *Johannes Petrus Moneta* (56): Vel quoad dominium reſpectu tituli beneficialis, qui ſicuti per Papam creatur; ita & per ipſum poteſt annichilari; uti eos exponit *Melchior Lotterius* (57): Vel demum cum eodem *Moneta* reducendi ſunt ad ſenſum, quem de his habet *Azorius* dicens: Romanus *Pontifex plene, & libere poteſt de beneficiis ſtatuere, non quia dominium beneficiorum, aut rerum eccleſiaſticarum habeat, ſed quia quatenus ſupremam obtinet in Eccleſia poteſtatem, ut ſummus Chriſti Vicarius, &* Petri *ſucceſſor, ampliſſimam habet omnium bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem. Quare quum dicitur Pontifex plenam & liberam in beneficiis diſpoſitionem habere, poſſeque jus ipſum relaxare in his, quæ ad beneficia pertinent; non intelligitur poſſe jus naturale, vel divinum ſi quod eſt in beneficiis, diſſolvere, abrogare, vel mutare; ſed quia fere innumera ſunt de beneficiis jure ſcripto canonico conſtituta; ideo dicitur Papa plene, & libere poſſe de beneficiis ſtatuere; ſcilicet in his omnibus, quæ jus Canonicum circa beneficia conſtituit* (58)“.

Quid

(56) *de Commut. ult. volunt. c. 5. n.* 100.
(57) *de re benefic. lib.* 2. *c.* 22. *n.* 15.
(58) Azorius *Inſtit. Moral.* P. II, *l.* 6, *c*, 26, *q.* 1.

Quid vero si idipsum magnus ille *Gerson*, quo maxime Duce gloriatur *Febronius* idem fere docuisset? Hæc tamen illius sunt (59): *omnia beneficia subsunt Papæ, tamquam ordinatori supremo non tamquam Domino aut possessori, immo nec tanquam immediato dispensatori, nisi Prælatorum inferiorum iniquitas aut manifesta Ecclesiæ utilitas casibus certis istud exigeret*. Duo ergo Pontifici *Gersonius* tribuit jus *ordinatoris supremi*; jusque *immediati* etiam *dispensatoris*, *ubi Prælatorum inferiorum iniquitas* (quod ad supplendam Prælatorum negligentiam spectat) *aut manifesta Ecclesiæ utilitas casibus certis id exigeret*. Si Ecclesiæ utilitati alias, quæ occurrere facile possunt, amplioris cujusdam sed tamen justæ facilitatis caussas addidisset, nostram omnino sententiam expressisset. Neque enim qui plenæ in *Romano* Pontifice Beneficiorum dispositionis potestatem nobiscum agnoscunt, effrænem, & ab omni æquitatis ratione aberrantem hanc esse contendunt, ut ille omnia pro arbitrio etsi injusta, & Ecclesiæ exitialia facere possit; nec tamen ita publicæ utilitatis legibus coercitam volunt, ut nihil valeat, nisi quod ad illas exactum perfectissime fuerit, quum justæ ceteroquin caussæ se se offerre possint, cur Pontifex posthabito inferiorum Antistitum jure absque mani-

(59) T. II. *oper. vet. edit. pag.* 22. apud Thomass. P. II. *lib.* I. *cap.* 45. *n.* 10.

manifesta Ecclesiæ utilitate sibi alicujus beneficii delationem vindicet.

V. Quibus autem nominibus id juris ad *Romanum* Pontificem pertineat, si quæras, multa indicari possunt, quæ tamen omnia ad divinum Primatus jus referuntur. Nam primo quum Ecclesia status sit, ejus bona illum habere debent supremum saltem administratorem, qui Ecclesiæ universæ statum regendum a Christo suscepit; idque præsertim in eorum sententia, qui bonorum Ecclesiæ Dominium penes ipsam Ecclesiam esse constituunt. Quod si quis tamen cum aliis illorum dominium aut penes Deum, aut penes Christum esse contendat, quum tamen certum sit Ecclesiam saltem eorum dominium *utile* & usufructum habere, argumentum redit. Ex horum tamen sententia aliud pro *Romani* Pontificis auctoritate momentum enascitur. Cui enim suprema horum omnium bonorum administratio potiore jure adjudicetur, quam Dei Christique in terris Vicario? Præterea quum Ecclesiastica bona passim a Conciliis & Patribus res Deo devotæ, ac patrimonia pauperum dicantur, necesse fuit, ut aliquis in Ecclesia exstaret, qui sua auctoritate obsisteret, ne *prædia & possessiones Ecclesiarum*, ut ajebant Patres *Vasensis* Concilii a. 855. *cupidis ad invadendum paterent*. Quis autem id posset, nisi supremus Ecclesiæ Princeps? Leges quidem ab

Ec-

Ecclesia', & Synodis passim latas novimus, ut effrænis laicorum, Ecclesiasticorumque in sacris ejusmodi bonis aut occupandis, aut dissipandis licentia coerceretur. Verum ipsa harum legum vis a *Romano* Pontifice potissimum pendet, qui Canonum exequutor, & Vindex a Deo positus fuit. Quod si personas consideremus, queis beneficia conferri par est, quum hæ ut plurimum Ecclesiæ ministrent, ac pro suio rdinis gradu ac dignitate arctiore quodam vinculo cum *Romano* Pontifice colligentur, hujus potissimum est curare, ne quæ ad vitam sustentandam maxime sunt necessaria, illis desint. Neque illud ommittendum quod supra a *Lateranensi* Concilio adtactum vidimus. *Romani* Pontificis *interest communibus utilitatibus providere*; ad eum ergo pertinere bonorum Ecclesiasticorum administratio debet, ut exigentibus Christianæ Reipublicæ necessitatibus ex his ipsis bonis quæ sine *nequissimæ deprædationis* exemplo ut verbis S. Leonis M. utar (60) in alios distrahi usus non licet, congrua a Clero subsidia ferantur. Quamquam una Primatus ratio id suadet. Canon inter Apostolicos XII. præcipit, ut *Episcopus rerum Ecclesiæ potestatem habeat; si enim ipsi commissæ sunt pretiosæ hominum animæ, multo magis necesse est, ut de pecunia disponat, ut ejus auctoritate egenis a Presbyteris & diaconis distribua-*

(60) Ep. XVII.

buatur. Ea ergo vel Apostolis, vel certe antiquis priorum trium sæculorum Synodis, a quibus Canones illi prodierunt, mens fuit, Episcopis quemadmodum animarum, ita & rerum Ecclesiæ curam esse debere, neque alteram ab altera sejungi posse. Quum igitur summo Pontifici Primatus sui potestate omnium quæ in Christiano orbe sunt, animarum cura incumbat, ad eum quoque omnium Ecclesiæ rerum administratio spectabit. Complexus est hujus argumenti vim *Cassiodorius* ad *Johannem* Papam scribens his verbis „ vos enim speculatores Christiano populo præ„ sidetis Vos Patris nomine universa diligi„ tis, securitas ergo plebis ad vestram respi„ cit famam cui divinitus est commissa custo„ dia. Quapropter nos decet custodire aliqua, „ sed vos omnia. Pascitis quidem spirituali„ ter commissum vobis gregem, tamen nec „ ista potestis negligere, quæ corporis viden„ tur substantiam continere. Nam sicut homo „ constat ex dualitate, ita boni Patris est u„ traque refovere " (61) atque id quidem mea sententia pernecessarium maxime est, ut Primatus finis facilius & felicius obtineatur. Unio hic est, ut sæpe alias diximus, membrorum omnium cum capite, sacrorum vero ministrorum cum primis, a quibus populi in officio continendi sunt. Quum porro ea hominum conditio sit, ut illos, a qui-

[61] *lib.* XI. *c.* 2.

quibus ditari se posse confidant, maxime foveant ac colant, quis non intelligat, ad universalis Primatis dignitatem pertinere, ut eos, qui sibi magis devincti sint, beneficiis cumulet, & alios præterea horum exemplo ad se pertrahat, adliciatque? Non alia de caussa *Constantienses* Patres (62) *suam sollicitudinem ad hæc inter alia adspirare* significarunt, *ut Sancta præsertim* Romana *Ecclesia* ... *simul cum virtutum ornatu, temporalium bonorum obtineat ubertatem.... Prisci quoque Patres permoti, largam prædiorum, dominiorum, & possessionum amplitudinem ipsi Ecclesiæ adquirere curaverunt*. Verum etsi magna hæc sunt, quid tamen si cum exterarum omnium gentium meritis, egestate, spe ipsa conferantur? Necesse ergo erat, ut *Romanus* Pontifex ad Primatus officium pro dignitate implendum ex aliarum quoque Ecclesiarum bonis proficere posset. Ad *Romanum* propterea Pontificem rectissime transferes, quæ de Episcopis differebat *Ratherius* (63). *Quum rarissime videas gratis aliquos, sed aut timore, aut confœderari amore, unde te verebitur, cui nihil vales auferre? Unde amabit, cui nihil potes conferre? Si ergo ad Episcopum nihil de rebus pertinet, quibus Clerici vivere debent, aut ipse eis non debet, ut animalem, ita & corporalem*

(62) *Sess.* XXVII. *cap.* 5. T. VIII. *Concil. Hard. col.* 1232.

[63] *in libro de contemptu Canonum P. I.*

ralem dare in tempore tritici mensuram, & sicut Actus Apostolorum continent, non dividuntur singulis ab Episcopo, vel quolibet alio ab eodem ad id officium instituto, prout cuique opus est &c. Quo igitur jure summus Pontifex universæ Ecclesiæ statui præest, eodem divino scilicet, omnibus ejus bonis datus est administrator. Nec ille beneficia servare sibi poterit pro ut e re Ecclesiæ sibi visum fuerit conferenda? Rem dicam fere incredibilem. Quum superiore sæculo magna illa *Innocentium* XI. inter & *Galliarum* Regem de Regaliæ jure controversia excitata est, *Natalis Alexander* aliique, qui a Rege stabant, *Gallicanæ* Ecclesiæ advocatiam ab eo gestam prætexebant, hancque ejusmodi esse adfirmabant, ut ad conferrenda absque ullo Ecclesiæ concessu vacantium Ecclesiarum beneficia omnimodam Regi potestatem faceret. Non ego heic in hanc disputationem ingrediar adversus Regiorum Theologorum conatus a *Sfondrato*, *Apamiensi* Episcopo, *Charlasio*, aliisque pluribus diligenter, copioseque tractatum. Id unum velim mihi explicari, quei fieri possit, ut quum *Gallicanæ* Ecclesiæ advocatia tantum juris in Reges transferre crederetur; haud absimile tamen jus si *Romano* Pontifici, cui non solum universæ Ecclesiæ defensio, sed suprema illius gubernatio ab ipso Christo concredita fuerit, a nobis adferatur, ridendi simus, aut etiam veluti Ecclesiæ hostes suggilandi?

VI.

VI. At enim *mandata de providendo*, & quæ subinde invectæ sunt *Reservationes* Apostolicæ *sunt sequioris ævi partus* (64). Summi nempe Pontifices, ut ex *Berthelio Febronius* narrat (65) " collationibus beneficiorum successive, leniter, & pedetentim se ingesserunt, quin illa statim immediate ipsi conferrent, sibique privative reservarent. Sæculum duodecimum medium erat, quo *preces* dumtaxat interposuit *Adrianus* VI, rogando per litteras recommendatitias Episcopum *Parisiensem*, ut certo cuidam clerico pauperi, de Ecclesia bene merito, & eminenter digno, beneficium primo vacans conferre vellet.... Sed Pontifices mox ultra progressi, suis precibus *monita & mandata* addiderant: *Alexandri* enim III; qui immediatus *Adriani* successor erat, jam armatæ preces fuerant; *monendo* enim, & *mandando* rogavit, idque forsan ideo, quia preces ejus non ita passim & semper admitterentur. Ast & monitionibus, mandatisque haud amplius proficientibus, successores Pontifices *exequutoriales litteras* adjunxerunt, immo & *Exequutores* constituerunt, qui censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis ordinarios compellerent, ut Clericis ab se commendatis de beneficiis vacantibus providerent.... successerunt

[64] Febr. *T.* I. *cap.* VII. §. 4. *pag.* 561.
(65) T. I. *Append.* I. §. 16. pag. 798.

„ runt *Reservationes* primitus *speciales* & par„ticulares, a quibus pedetentim ad amplio„res & *generales* progressus fiebat, amplissi„mo demum & excessivo earumdem nume„ro per regulas Cancellariæ Pontificiæ in„troducto." *Berthelio & Febronio* præivit *Bohemerus* (66), cujus hæc sunt: *Neque enim usque ad sæculum* XII. *eo processerat Præsulum* Romanorum *conatus, ut collationes ordinarias directe turbarent, & Beneficia vacantia conferrent*. Loquens deinde *Lutheranus* Jureconsultus de *Mandatis Apostolicis* ait: *Etiam hæc fuere Preces, & quidem olim semel tantum, ad singula Capitula directæ, ab initio tantum obligationem imperfectam continentes, ut inquit, evici ex* Hadriani *IV. Epistola* XIII. *ad Episcopum* Parisiensem .... *ubi non mandat Papa, sed orat: Vocat litteras suas Preces* ... *Ejus successor* Alexander *III. Preces armatas admiscuit & mandando rogavit* ... *Hoc modo Precibus* [Pontificiis] *plenum tributum est robur*. Verum *Berthelius* ac *Febronius* animadvertere debuerant, quam infidum sibi ducem e Protestantium numero adsciscerent. Nihil enim aut magis falsum, aut minus eruditum ea *Bohemeri* observatione fingi potest. Eruditionem quidem in *Bohemero* desidero. "„ Neque enim, inquit doctissimus Auctor „ dissertationis Polemicæ *de Jure Regaliæ &* „ *Primarum Precum contra Publicistas Prote-*

(66) *in Jure Eccles. Protest. lib. III. tit. V. pag.* 338.

„ *ſtantes* (67), habere vim aliquam poteſt
„ *Bohemeri* argumentatio, niſi ſupponatur
„ prioribus XII ſæculis, aut magna eorum
„ parte obtinuiſſe *Beneficia Eccleſiaſtica*, quæ
„ a ſuis Collatoribus, quum vacarent, di-
„ ſtribuerentur. Ecquod enim eſſet impoten-
„ tiæ argumentum in *Romano* Pontifice,
„ non ea contuliſſe Beneficia pro ſua au-
„ ctoritate, quæ quum non eſſent, dari ne-
„ quaquam poterant? Atqui nullo certo do-
„ cumento conſtat ante ſæculum XII., vel
„ ante XI. finem erecta fuiſſe Eccleſiaſtica
„ beneficia in Titulos diſtinctos & perpetu-
„ os, & vacationis capaces, ut hodierni
„ moris eſt. Antea enim vel Clericis diſ-
„ tributiones dabantur de manu Epiſcopi,
„ ejuſque miniſtrorum immediate, quod fe-
„ re obtinuit prioribus quinque ſæculis; vel
„ ſaltem ex certa Bonorum maſſa Clericis
„ in commune adtributa, quod conſuevit
„ fieri ſexto, ſeptimo, octavo ſæculo; vel
„ ex certis fundis aut Præſidiis, quæ ſingu-
„ laribus Clericis concedebantur poſt obi-
„ tum in communem maſſam reſtituendis,
„ quod ſatis frequens fuit Sæculis nono,
„ decimo, & undecimo: Nomen *Præbendæ*
„ hodierna uſurpatione primum occurrere
„ in Concilio *Melphitano* anni 1089. obſer-
„ vat *Fleury* in inſtit. Jur. Can. Tom. I.
„ C. II. *Præpoſituras Eccleſiæ*, *ſive Canonicas*,
„ *Præ-*

(67) Romæ 1753. 4. pag. LIV.

„ *Præbendas etiam, quæ Canonicatus dicuntur,*
„ *Episcopus sine venalitate distribuat.* At hæc
„ & similia ex monumentis XI. sæculi apud
„ *Thomassinum*, aliosque petita, minime pro-
„ bant fundos Præbendarum perpetuo a re-
„ liqua massa separatos, & iterum in com-
„ munem massam non restituendos, quam-
„ vis ex sæculi XII. monumentis plura sup-
„ petant testimonia Præbendarum perpetuo
„ separatarum; Vide *Turonense* Concilium
„ ann. 1063. ad ea verba; *divisionem Præ-*
„ *bendarum prohibemus*. Lege conventionem
„ de Archidiaconatu *Eboracensis* Ecclesiæ an.
„ 1196. apud *Robertum de Hoveden ad* ea
„ verba: *si supervixerit, recipiat Archidiaco-*
„ *natum sine diminutione*, *Stephanum Torna-*
„ *censem* Ep. 109. ad ea verba. *Tres præ-*
„ *bendæ vacarent*. Quamvis non omnino
„ universalem sæculo XII. fuisse hanc bo-
„ norum Ecclesiasticorum in Præbendas cer-
„ tas pluribus posset confirmari: satis sit in-
„ dicare Epistolam LXVIII. *Stephani Tor-*
„ *nacensis* . . . Quæ de Ecclesiis Parochiali-
„ bus cum certis, separatis, & perpetuis
„ adsignatis reditibus constant ex pluribus
„ monumentis ante sæculum XII. apud *Tho-*
„ *massinum* T. III. l. 2., ea probant men-
„ sam quamdam veluti Parochialem ad su-
„ stentationem Parochi, & aliorum clerico-
„ rum illius Ecclesiæ: Quæ communis men-

„ sa, seu massa diversa est ab hodiernis se„ paratis, ac divisis beneficiis. “

VII. Neque tamen prout indicata antiquorum temporum disciplina ferebat, in veterum quoque Pontificum monumentis mandatorum & reservationum exempla desiderantur: ut falsum etiam sit, quemadmodum dixi, XII. primum sæculo isthæc apud *Romanam* Curiam invecta fuisse. Vel unus S. *Gregorius* M. plura hujusmodi exempla suppeditat, quæ *Thomassinus* congessit (68). Pauca huc transferam. “ *Paullinus* Episcopus
„ Civitatis permodicæ in Provincia *Brutio*-
„ *rum* sive in *Calabria*, post Civitatis suæ,
„ Ecclesiæque, & Monasterii eversionem a
„ Barbaris factam, in *Siciliam* secessit, do-
„ natusque est a *Gregorio* Magno Abbatia
„ & regimine Monasterii Sancti *Theodori* in
„ Civitate *Messinensi*. Collator hujus Be-
„ neficii erat Episcopus *Messinensis*, ideo &
„ illum certiorem rei totius fecit *Gregorius*,
„ ut ne adflictaret se se, quasi se inscio a-
„ liquid in Episcopatu suo novaretur. “
Quam rem, inquit in epistola ad *Felicem Messanensem* Episcopum (69), *venerationi tuæ innotescendam prævidimus, ne te omisso, aliquid ordinatum in tua diœcesi contristeris*. Atque id quidem in *Felicem* caritatis, sapientiæque officium fuit; verum quod ad ipsam Beneficii

(68) P. II. *lib.* I. *cap.* 41.
(69) *l.* I. *ep.* 38.

ficii collationem adtinet, Episcopi consensum nec petiit *Gregorius*, nec præstolatus est. Paullo absolutius egit cum Episcopo *Importuno*, ad quem *Dominicum* misit Presbyterum ut vacantem illi committeret Parochiam, addito mandato, ut & fructus illi refunderentur ejus temporis, quo Ecclesia vacaverat. *Ea quæ provide disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia Ecclesiam Sanctæ* Mariæ *quondam* Campisonis *in tua Parochia positam Presbytero vacare cognovimus, præsentem portitorem* Dominicum *Presbyterum in eadem Ecclesia ut præesse debeat nos scito deputasse.* Ideoque *fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, & decimæ fructus indictionis qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui; quatenus ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjutore, sollicite valeat procurare* (70). Et illud adtexam quod Sanctus Pontifex de *Felice* diacono ad *Syracusanum* Episcopum scripsit (71). *Imbecillitati ejus, atque necessitatibus consulentes, maximeque intuitu pietatis, sustentationi ejus providentes, in tua Ecclesia* Syracusana *eum prævidimus cardinandum: sive ut officium diaconatus expleat, seu certe ut sola ejusdem officii, pro sustentanda paupertate sua commoda consequatur; in tuæ fraternitatis voluntas*

(70) *lib.* II. *ep.* 10.
[71] *l.* III. *ep.* 14.

lumus hoc pendere judicio. Quod hortamur; ut tua fraternitas implere festinet &c. Ne vel nostræ commendationis invenïaris tramitem neglexisse, vel minus exhibuisse, quam tuus exigit ordo pauperibus. Quod si qui Episcopi de sua ipsorum sede seu ob barbarorum incursiones seu ob Civitatum suarum vastitatem, seu alias ob caussas deturbati essent, pensiones illis adsignabat Pontifex ex Ecclesiis Episcopalibus opimioribus exsolvendas, vel eos transmittebat ad opulentiores Episcopos, eorum sumptu ut sustentarentur. Discimus hoc ex *Johanne* diacono in vita S. *Gregorii* (72). *Sed & expulsos Episcopos, quos tam cito* Gregorius *incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat aliis Episcopis, qui tunc videlicet suis locis degebant, interim pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ jungebat.* Non aliena ab his *Gregorii* exemplis sunt, quæ *Johanni Philadelphiæ* Episcopo S. *Martinus* I. præcepit. Grassabatur per *Orientem Monothelitarum* hæresis. Suum itaque per eas Provincias Legatum *Johannem* constituit, *ut sic*, inquit in epistola ad eum scripta (73), *prosperans in domino, ea, quæ desunt corrigas, et constituas per omnes civitates earum, quæ sedi tum* Hierosolimitanæ *tum* Antiochenæ *subsunt, Episcopos, & Presbyteros & diaconos: hoc tibi omni*

[72] *l.* III. *c.* 15. *seq.*
(73) *Ep.* V.

omni modo facere præcipientibus nobis ex Apostolica auctoritate, quæ data est nobis a Domino per Petrum *sanctissimum, & Principem Apostolorum. Vitalianus* quoque Pontifex eadem usus est auctoritate; dedisse enim in mandatis S. *Theodoro Cantuariensi* Archiepiscopo, ut *Anglicano* cuidam cœnobio Abbatem præficeret *Hadrianum Africanum*, fertur a *Beda* (74). Extat (75) & *Paulli* I. jussio, qua *Wlchario Senonensi* præceperat, ut *Marinum* Presbyterum in aliqua, quæ primum vacaret, *Galliarum* Ecclesiæ Episcopum consecraret. Summam denique auctoritatem præseferunt, quæ *Johannes* VIII. ad *Romanum Ravennatem* Archiepiscopum scripsit. " Defuncto Ecclesiæ *Faventinæ* Episcopo prævidimus hunc *Dominicum* venerabilem Archidiaconum, sedis ipsius honore Episcopali dignum existere. Hoc auctoritatis nostræ statutu præsenti, dilectioni tuæ præcipimus, ut absque omni mora, vel protelatione, eundem Archidiaconum studeas secundum morem Episcopum consecrare (76). " Hæc mandatorum exempla sunt. Quondam vero Reservationum specimen dedit idem *Gregorius Magnus* dum hæc ad universos Episcopos

(74) *Histor. Anglor. lib. IV. cap. I.*

(75) *Ep. 39. in Cod. Carolin. apud* Duchesne T. III, *pag. 756.*

(76) *Ep. 171. 174. 175.*

per *Dalmatiam* constitutos perscripsit (77)."
„ Oportuerat quidem fraternitatem vestram,
„ divini respectu judicii, clausis carnalibus
„ oculis, nihil, quod ad Deum pertinet,
„ a recta mentis intentione omittere, nec
„ cujuslibet hominis faciem rectitudini ju-
„ stitiæ præponere. Sed postquam mores ve-
„ stri ita sunt sæcularibus traducti negotiis,
„ ut obliviscentes omnem Sacerdotalis in
„ vobis honoris tramitem, cunctumque su-
„ perni metus intuitum, non quid Deo,
„ sed quid vobis placeat, studeatis explere;
„ necesse habuimus hæc ad vos districtiora
„ specialiter scripta transmittere: quibus ex
„ B. *Petro* Principis Apostolorum auctori-
„ tate præcipimus, ut nulli penitus, ex-
„ tra consensum, permissionemque nostram,
„ quantum ad Episcopatus ordinationem
„ pertinet, in *Salonitana* Civitate manus
„ præsumatis imponere, nec quemquam in
„ civitate ipsa, aliter quam diximus, or-
„ dinare. Quod si contra hæc quippiam,
„ vel sponte vestra, vel a quolibet coa-
„ cti, præsumpseritis, vel tentaveritis a-
„ gere; decernimus vos a Dominici corpo-
„ ris, & Sanguinis participatione privatos,
„ quatenus ex eadem vobis ipsa adtrectatio-
„ ne vestra, vel voluntate trasgrediendæ
„ præceptionis nostræ, a Cœlestibus myste-
„ riis alieni sitis, nec is quem ordinaveri-
„ tis, habeatur Episcopus." VIII.

(77) *lib.* III. *ep.* XV.

VIII. Sequiore ævo, quo beneficia primum in titulos, diſtinctos atque perpetuos erecta fuiſſe vidimus, multo uberior iſtiuſmodi *mandatorum*, atque adeo Reſervationum ſeges occurrit. Verum immutata Beneficiorum diſciplina plures id cauſſæ a *Romanis* Pontificibus poſtularunt. Quis certe non horreat ea recolens, quæ olim in Canonicis electionibus admittebantur, ſcelera; " Proh! dolor, ajebat *Durandus* Epiſcopus „ *Mimatenſis* in tali ſtatu ſunt Eccleſiæ con„ ſtitutæ quod in eis vacantibus vix repe„ riuntur perſonæ eligibiles; & ſi quan„ doque, quod raro nunc adcidit, bo„ na perſona & idonea in eiſdem reperia„ tur, latens ſicut lilium inter ſpinas; tan„ tum excedit numerus malarum, & inutili„ um perſonarum, quod non permitterent „ perſonam bonam ad Prælationem adſumi „ ſed ſimiles ſimilibus applaudentes, eli„ gunt ſibi virum juxta cor ſuum, ad de„ ſtructionem Eccleſiæ & plebium ſubiecta„ rum. Olim enim, quando plures erant bo„ ni, quam mali in Eccleſia, tunc electio, „ quæ fiebat ſecundum pluralitatem puncto„ rum, bona erat, & Canonica: plures e„ nim erant, qui eligebant Deo, illis, qui „ eligebant diabolo, ſed modo fit a con„ trario, quia plures ſunt mali, quam boni „ regulariter, & ſic frequentius electio eſt „ diabolica, non celebrata per Sancti Spi-

„ ritus

„ ritus inspirationem, sed per dolosam, & „ machinosam conspirationem. Multi etenim hodie introducuntur in Ecclesia insidiose & dolose; alii per impressionem, & „ importunitatem potentiæ sæcularis; alii „ per ambitionem, & fictionem hypocriticæ simulationis; alii adfectione sanguinis & cognationis &c. " (78) Gravius de ejusmodi electionum perversitate querebantur a. 1276. Patres *Bituricensis* Concilii: " his diebus in electionibus „ celebrandis, in quibus potissime libertatis „ puritas est servanda, pro libertate datur „ impressio: Et quasi pro auro plumbum, „ pro argento scoria: honores in contumelias convertuntur, adeo quod quando in „ certis locis electiones Pastorum imminent „ celebrandæ, multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis, aut ad tempus impediuntur totaliter, aut in locis hactenus consuetis nequeunt celebrari, prout in *Lugdunensi* & *Burdigalensi*, & *Carnotensi* Ecclesiis nuper dignoscitur esse factum. In „ qua siquidem *Burdigalensi* Ecclesia, occasione impressibilis, dum immineret electio „ celebranda, homicidium de Sacrista, nobili membro præfatæ Ecclesiæ inhumani-

„ ter

[78] Apud Bail *in summa Concilior.* T. I. p. m. 466.

„ ter exſtitit perpetratum." (79) Hæc quum *Romani* Pontifices animadverterent, ſibi electiones, ac Beneficiorum collationes ſervarunt, ut tot malis occurrerent. An autem ad id Epiſcoporum conceſſione indigebant? Quærat *Febronius* ex *Petro Alliacenſi*, cujus auctoritate ſæpius ſe protegit. Hic ergo in opuſculo, quod a. 1416. in *Conſtantienſi* Concilio legit ediditque (80) ita diſſerit. " Pa-
„ pa jure potuit ordinationes majorum &
„ electivarum dignitatum ac collationes a-
„ liorum Beneficiorum ſibi & Apoſtolicæ
„ Sedi reſervare, quia hæc antiquiſſimo ju-
„ re ſibi competebant. Hæc etiam non
„ ſolum jure univerſali adminiſtrationis Pa-
„ palis potuerunt competere, ſed etiam ex
„ ſpeciali cauſſa, ratione materiæ ſubiectæ,
„ utpote quia inferiores in ſuis electioni-
„ bus & ordinarii Collatores in Beneficio-
„ rum collationibus abutebantur, & per
„ potentiam laicalem ſæpe jure ſuo non li-
„ bere uti permittebantur, ſeu aliqua ſpe-
„ ciali ratione." Non indigere autem *Romanos* Pontifices Epiſcoporum conſenſu in iis, quæ ad corrigenda inferiorum Antiſtitum vitia, ſupplendam eorum negligentiam, vindicandos ab ingruentibus abuſibus canones quis non intelligat?

IX. Adceſſerunt Principum ipſorum preces,

(79) *tit. de electione.*
[80] Apud Von der Hardt *Con. Conſt. T. VI. pag.* 50.

ces, quia *Romanis* Pontificibus hujusmodi mandata ac reservationes efflagitabant. Certe *Alexander* III. ad *Parisiensis* Capituli clericos instantibus *Lodovico* VII. *Galliarum* Rege, Regina, aliisque Regni magnatibus litteras dedit, quibus *Meldensis* Episcopi Nepoti *præbendam* impertiri jubebantur (81). Idem *Clemens* VI. de *Angliæ* Rege testificatur in epistola ad ipsum Regem [82]: *Magnitudinem tuam latere non credimus, nec a tua memoria excidisse, quod nobis pro reservationibus inibi faciendis aliquibus feceris supplicari. Carolus* ipse *Galliarum* Rex pragmaticæ sanctionis Auctor & parens illud a *Callixto* III. pervicerat, ut *Tornacensem* sibi Episcopatum reservaret, Regio cuidam Ministro conferendum; quod & apud *Pium* II. *Callixti* successorem iterum ursit (83). Quis horum Principum de Episcoporum petendo consensu umquam cogitavit? Idem de plurimis, quæ Christianissimi Reges ac Regni Proceres a *Romanis* Pontificibus obtinuere, indultis dicendum. De *Innocentio* IV. hæc scribit *Matthæus Paris* (84): *contulit multis Consanguineorum eorum multa Beneficia Ecclesiastica, & licentiam plura obtinendi cum Indul-*

[81] Ep. 106. *Precibus illustris* Francorum *Regis, Reginæ quoque, & aliarum magnarum personarum inducti, Universitatem vestram per Apostolica scripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus &c.*

[82] Apud Raynald. *ad a.* 1344. *n.* 7.

[83] Vide *Æneæ Sylvii* seu *Pii* II. *ep.* 374. 375.

[84] *ad ann.* 1243.

dulgentiis multis, *necnon complura ipsis Nobilibus contulit donativa*. *Innocentius* quoque VI. *Johanni* II. *Galliarum* Regi petenti *indultum* concessit ad *vacatura* in XXV. *Regni sui Cathedralibus & collegiatis Ecclesiis* (85). *Johannes* tandem XXIII. (ne infinitus sim) ad quingenta beneficia jus nominandi *Carolo* VI. adtribuit (86). Haud equidem qui Jus Pontificium ad Episcoporum consensionem revocaret, Regum istorum gratiam iniret. Quum enim solam illi *Romani* Pontificis potestatem agnoverint, nec de exquirendo Episcoporum consensu solliciti fuerint, irrito jure potitos suisse efficeretur.

X. Illud vero mirandum maxime jam tum sub *Alexandro* III. ejusque successore *Lucio* item III. adeo certam corroboratamque fuisse hanc *Romanorum* Pontificum potestatem, ut non solum, (quod nuper vidimus) Rex ipse, Regina, ac Regni Proceres *Alexandrum* precibus suis ad *mandata* quæ vocabant de *providendo* in *Gallias* mittenda exstimularent, sed plerique quin parendum sibi esset, non dubitarent. Extant ea de re non paucæ *Stephani Tornacensis* Epistolæ memoratu dignissimæ: Nam epistola III. meminit ille de promisso in *favorem Guillielmi* ad preces Domini Papæ *Beneficio*; tum de mandato *Precibus* addito hæc habet: *subsequenter & constan-*

(85) Vide Indultum apud Glossatorem Pragmat. Sanct.
(86) Bullam recitat du Tillet *part*. I. *pag*. 454.

ſtanter auctoritate mandati mihi injuncti eidem (*Aurelianenſi* Epiſcopo coram Canonicis illius Eccleſiæ) *prohibui*, *ne alii*, *antequam tibi*, *Beneficium in Eccleſia* Magdunenſi *conferret*, *& Canonici*, *ne alium*, *quam te*, *Concanonicum reciperent* . . . *Homo ille obedienter*, *ut ſolet*, *reſpondit*, *& mandatum Domini Papæ ſe ſe completurum promiſit*, Epiſtola quoque LXII. ad *Alexandrum* Pontificem de ejus mandato plena eſt ſummæ erga Pontificem reverentiæ. En illam. " Ad unius Juſſio-
„ nis vocem veſtræ, Pater, obtemperans
„ Filio *Laxii* de *Archerio*, ſicut præſens co-
„ ram vobis promiſeram, abſens exhibere
„ curavi, quamvis ſit vobis aliter per ejus
„ vicinos intimos intimatum. Frumento, &
„ vino ſtabilivi eum, ut altero confirmare-
„ tur cor hominis, altero lætificationem
„ ſentiret. Mutatum eſt mandatum, & ag-
„ gravatum præcepto, ut quotidianum vi-
„ ctum in immenſam pecuniæ ſummam con-
„ verterem, & decem ſolidos *Pariſienſes* per
„ ſingulos menſes puero numerarem. Fa-
„ ctum ut imperaſtis, quum & hæc, & a-
„ lia quæcumque juſſeritis, ego, & Fratres
„ noſtri parati ſimus, & libenter ſuſcipere,
„ & liberaliter adimplere. Sciat interim
„ Paternitas veſtra nos in quibuſdam clericis
„ exhibendis per aliquos Dominos meos Car-
„ dinales conſimilia onera ſuſtinere (87). "
Ad-

(87) " Ex hac epiſtola, inquit cl. Auctor *diſſertationis*
„ *polc-*

Addamus tertiam, quæ XXII. eſt ad eundem *Alexandrum*. Ejus hoc eſt initium: *Parata ſedes veſtra, Pater, ut de plenitudine ejus omnes adcipiant*; tum ad clericum, cujus cauſa eam *Stephanus* epiſtolam dabat, ſermonem convertens ait: *Credimus eum idoneum, qui vel in* Aurelianenſi, *vel in alia Eccleſia ſtipendia canonica mereatur*. " Quæ verba profecto,
„ inquit *diſſertator Polemicus* (88), quem an-
„ tea (89) appellavi, vel ineptiſſime ac pro-
„ pemodum ſtulte a tanto viro ſcripta ſunt,
„ aut Poteſtas Rom. Pontificis ad collatio-
„ nes beneficiorum, vel mandata de provi-
„ dendo in quibuſcumque Eccleſiis indubiæ
„ veritatis erat ea ætate. " Enimvero tantæ in *Galliis* uſum auctoritatis ſub *Alexandro* III. proximisque ejus ſucceſſoribus qui ad *temporum injuriam ac barbariem*, aut negligentem Epiſcoporum facilitatem cum *Febronio* referret, ſe in illius ævi Regnique monumentis admodum peregrinum oſtenderet.

Satis

„ *polemicæ*, quam ſupra indicavi [pag. 11.] duo conſtant
„ ad hiſtoriæ lucem diligenter animadvertenda. I. Con-
„ ſuetum fuiſſe ſub *Hadriani* IV. & *Alexandri* III. tem-
„ pora, ut *Romana* Curia mandata ad Epiſcopos expedi-
„ ret, non modo de beneficiis cum perpetuo titulo, ſeu
„ de Præbendis conferendis, verum etiam de certis elee-
„ moſinis, vel manualibus penſionibus ex Epiſcopalis Ec-
„ cleſiæ menſa in clericum erogandis. II. Ejuſdem facul-
„ tatis participationem in aliquot Cardinales redundaſſe,
„ quod ſciente, & concedente Pontifice factum eſſe cre-
„ dendum eſt. "

(88) *pag.* 50.

[89] *num.* VI.

Satis sit ejusdem *Stephani Tornacensis* epistolas CXXVI. CXXVII. CXXVIII. & CLIX., in quibus contra Pontifices in *Turonensi* Metropoli aliqua innovantes multa leguntur non libere tantum, sed etiam ferociter scripta; *Ivonis* quoque epistolam ad *Paschalem* II. CCXXXVIII. plenam irarum indicasse. Quum vero neque illius ætatis inscitia, neque Episcoporum adsentatio quidquam obstiterit, quin hæc ex *Gallia* ad summos Pontifices ob læsa ejus Cleri jura scriberentur, quis credat, *Gallos* non patienter modo laturos fuisse, sed summis Pontificibus obsequuturos, si tunc *mandata de providendo* nova quadam, eaque Episcopalibus juribus infesta potestate expedirentur? Quamobrem difficile creditu est, quod post *Bohemerum Berthelius & Febronius* ingerunt Romanum Pontificem *Hadriano* IV. sedente nonnisi *precibus* pro Beneficii in ceteris Ecclesiis collatione impetranda usum fuisse; Sedente vero *Alexandro* III. proximo ejus successore eo usque immutatam rerum faciem & statum, ut jus non modo sibi adseruerit præcipiendi ac mandandi, sed etiam habuerit plane uti vidimus agnitum confirmatumque. Quamquam quid conjecturis & si firmissimis utimur? Ut *Adrianum* IV. *precibus* tantummodo egisse ostendant, appellant illi ejusdem *Hadriani* ad *Parisiensem* Antistitem epistolam XIII. At cur in *Adrianæarum* epistolarum lectione

paullo

paullo ulterius progressi non sunt? Invenissent XXIV. ejus epistolam ; in qua non *rogat* sed *mandat*, ac *præcipit Parisiensi* Capitulo, ut Præposituram, ubi vacaret, *Hugoni* Cancellario conferret (90). Quod si omnes *Hadriani* IV. epistolas conferre eos pigebat, an non magno laboris compendio potuissent *Thomassinum* adire, qui eo ipso loco (91) XIII. & XXIV. ejus Pontificis epistolam recitat? sed nimirum eorum intererat ista confingere ut crescentem in dies *Romanorum* Pontificum non tam auctoritatem, quam ambitionem incautis obijcerent. Quod quemadmodum a Protestante *Bohemero* factum non miror, ita a duobus illis Catholicis Scriptoribus in longe graviorem Apostolicæ Sedis contemptionem repetitum & doleo vehementer, & indignor.

XI. Id tamen, inquit *Febronius*, negari nequit, Episcopos Romanorum Pontificum conatus obstitisse (92), *Anglos* præsertim, de quibus *Matthæus Parisius* (93). Obstite-

[90] Ep. XXIV. T. VI. Conc. Hard. p. II. col.1351. *Universitati vestræ præcipiendo per Apostolica scripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenus Præposituram, quæ in* Parisiensi *Ecclesia, & Domos, quæ in claustro ejusdem Ecclesiæ, dehinc primum vacaverint . . . ei* (Hugoni Cancellario) *omni contentione, & appellatione seposita concedatis.*

(91) P. *II. lib I. cap.* 43. *n.* 2.

[92] T. *II. pag*. 315.

[93] *ad ann.* 1226.

runt ſane (94); at cuinam Regum ac Principum obtigit, Regni ſui ordines ita devinctos habere, ut numquam eos, ac præſertim ubi de augendis vectigalibus, de exprimendis pecuniarum ſubſidiis, de privilegiis in magnum familiarum detrimentum aut abolendis, aut minuendis, verbo de opibus, aut juribus actum ſit ſibi repugnantes ſenſerit? Obſtiterunt: At fuere ſemper, qui *Romano* Pontifici etiam in his non obtemperare nefas ducerent (95). Obſtiterunt; at alii contra cogi illos ad parendum poſſe ſenſerunt, immo & Pontifices, ut ſua in illos auctoritate animadverterent, exſtimularunt (96). Sed & illud fatendum eſt, pleroſque eo-

(94) Quæ tamen ex uno *Matthæo Pariſio* proferuntur, *ubique vehementer ſuſpectæ*, ut eum *Thomaſſinus* appellat (*P. II. lib. I. cap. 43. n. 9.*) *hiſtorico maledicentiæ*; caute admodum ſunt ſuſcipienda.

(95) Audi quid *Stephanus Tornacenſis* ſcripſerit [ep. CXXXI.] *Paternas D. Papæ preces, monitus & mandata tanta debetis hilaritate, ac diligentia ſuſcipere ea &c. Quoniam pro Johanne . . . ſummus* Pontifex *monendo, rogando, & mandando ſcripſit vobis, ego quoque . . . . moneo & conſulo ea &c. quoniam tanto Patri non parere, perire eſt; Non obedire obire, Adcedit quod D. Papa D.* Rhemenſi *Archiepiſcopo exequutionem negocii commiſit . . . qui mandatum Apoſtolicum, ſi deſides apparueritis, implebit non minus celeriter*, QUAM POTENTER. *Johannes* vero *Sariſberienſis* Epiſcopum *Vorceſtrenſem*, quem ut viro multis ornato virtutibus, præbendam conferret, urgebat, graviter monuit (ep. XXIII.); *Summi Pontificis voluntas decretum eſt*.

(96) Idem *Stephanus Tornacenſis* (ep. CIX. ad *Lucium* III.) ait: *Scripſit pro eo* (Hervæo Subdiacono) *fel. rec. Pater* Alexander *Decano, & Canonici* S. Aniani Aurelia-nen-

eorum, qui Pontificibus maxime adverſati ſunt, non ipſam eorum poteſtatem oppugnaſſe, ſed graviſſimis reſtitiſſe abuſibus, qui miniſtrorum aut ad Apoſtolicam Sedem confugentium vitio irrepere cœperant. Id eo confidentius pronuncio, quod noverim *Innocentium* IV. reſervationes mandataque omnia revocaſſe, quæ, ut ipſe in Bulla ait (97) *& qualitas temporis, quod diebus iſtis potiſſimum fuit ob eorum malitiam modis variis redimendum, & nonnullorum importuna inſtantia extorſit*. Nempe " Pontificiis hiſce reſervationibus, inquit cl. *Rigantius* (98), „ utcumque ſpecialibus obſequutæ ſunt Na„ tiones omnes, quamdiu ſervata regula bo„ ni & æqui, aut pauperibus aut indigenis „ Beneficia diſtribuebantur. Sed reſtitere „ *Angli*, dum earum Provinciarum opes de„ ferri videbant in *Italiam*, & rurſus obſti-

 „ tere

nenſis: *ſcripſiſtis & vos primo, & ſecundo: ſed neque preces, neque præceptum veſtrum, quamvis tres Præbendæ vacarent, voluerunt audire. Abſit Pater, ut inanes ſint preces veſtræ, contemptibilis auctoritas, eluſorium præceptum; & nunc demum tanta, ſi placet, virtute ſuper eos intonet Majeſtas veſtra, ut qui blanditiis juvari non potuerunt, imperio diſcant vinci*. Extat quoque inter *Johannis Sariſberienſis* epiſtolas triceſima ſexta, qua *Cantuarienſis* Archiepiſcopus monet *Alexandrum* III. patuiſſe ſe ejus de Præbenda mandato, ſed *Londonienſem* Epiſcopum etiamnum reſiſtere; Pontificis propterea eſſe, ut ſuæ ſuarumque precum dignitate conſulat: *vos honorem veſtrum ſervabitis*.

[97] Extat ea bulla in additionibus ad *Matthæum Pariſium*.

(98) *Comment. in Reg. I. Cancell. §. I. n. 12. ſeqq.*

„ tere tum *Angli* cum *Hiſpani*, quum a „ Pontificibus *Avenione* reſidentibus, homi„ nibus *Gallis* ſua Sacerdotia conferri vide„ rent. " Hi tamen abuſus ex mandatis de providendo quæ *exſpectativæ* dicebantur, potiſſimum emergebant. Quamobrem poſt graviſſimas populorum querelas pluribus ſæculis iteratas ea tandem Concilium *Tridentinum* ſuſtulit (99), quum jam ante centum fere annos *Pius* II. de iis exſtirpandis in Conſiſtorio deliberaſſet, ſed auctoritate potiſſimum Cardinalis *Hiſpani Carvajal* incorrupta integritate *Portuenſis* Epiſcopi, qui rem tot laboribus, tot certaminibus adſertam ſponte abiici noluit, a propoſito dimotus fuiſſet (100). Ferenda autem non eſt *Febronii* audax inconſideratio, qui ut reſervationes omnes inviſas reddat, *Barthelii* ſui ſectatus veſtigia (101) ait (102): " quid poſt hæc ſapiens „ quiſque judicabit de prætenſo jure *Roma*„ *norum* ad collationes beneficiorum, quod „ tum in ſua origine, tum in exercitio „ *Gerso* vocat *figmentum auctoritatis a Chriſto* „ *non collatæ*; *tranſgreſſionem terminorum ra*„ *tionis & juſtitiæ*; *uſurpationem illegitimæ* „ *poteſtatis*; *fructum intolerabilis pompæ*, *ava*„ *ritiæ & ambitionis* Romanorum; *manifeſtam*

„ *ra-*

(99) *Seſſ. XXIV. cap.* 19.

(100) Confer Cardinalis *Papienſis* ep. 92. & Raynald. ad ann. 1464. n. 67.

(101) apud Febronium *T. I. app. I.* §. 17.

(102) *T. II. pag.* 484.

„ *rapinam jurium Episcopalium; consuetudinem* „ *ad omne malum inductivam*: quod PARISIENSIS UNIVERSITAS, *Canonum contemptum, jurium humanitatis violationem; Ecclesiarum evacuationem & destructionem; non portanda personarum, praecipue ecclesiasticarum, onera; Status ecclesiastici deformationem*: quod REX CHRISTIANISSIMUS, *non tolerandam in rebus Sacris deformationem & indignitatem; Sacerdotiorum spoliationem; fomentum voti captandae Mortis; rei pecuniariae exhaustionem, bonarum litterarum atque disciplinae suppressionem.* " Sapiens enimvero quisque *Febronium* judicabit cum spectris confligere; *Gerso* enim, Universitas *Parisiensis, Galliarum* Rex nominatim in diplomata Apostolica, quae *Exspectativas* nuncupabant, & mandata invehuntur; ea scilicet jura, quibus *Romani* Pontifices per *Tridentinum* Concilium spoliari se passi sunt. Praeterea *Sapiens quisque* judicabit nec satis in *Tridentinum* Concilium reverentiae a *Febronio* exhiberi, & gravissimam insuper ab eo injuriam Christianissimo Regi irrogari? Quid enim? an ipse aut melius novit *Tridentinis* Patribus, quae ab Apostolicis reservationibus damna imminerent, aut tanta illos fingit seu socordia, seu in *Romanos* Pontifices adsentatione, ut qui mandata gratiasque *exspectativae* vocabantur, de medio tollere non timuere, Reservationibus si ipsum audimus

non minus noxiis pepercerint? De *Francisco* vero *primo Galliarum* Rege quid dicam? Adfert *Febronius* nescio quæ ex proemio in Concordata cum *Leone* X.; ut Pontificias omnes Reservationes nigerrimis a Rege coloribus pictas fuisse suadeat. *Franciscus* scilicet *primus* stipes erat, ut qui *Concordatorum* pactione plures in *Galliis* reservationes Pontificibus superesse (103) intelligebat, atque adeo adsentiebatur, reservationes tamen omnes veluti *non tolerandam in rebus Sacris deformitatem & indignitatem* &c. detestaretur. Præterea quum *Parisiensis Universitas* sua illa a Concordatis appellatione (104) nihil apud Regem profecerit, ac concordata omnino servari Christianissimi Reges voluerint, quid eas *Universitatis* querelas in scenam trahere est, nisi *Galliarum* Regibus, a quibus neglectæ, contemptæque fuerunt, procacissime insultare? Inclita quoque Natio *Germanica* merito ac jure *Febronio* indignaretur, qui reservationes in celeberrimis concordatis a se receptas atque a tot sæculis servatas tam inclementer traducere, atque exagitare non timuerit. Ille quidem majus suæ Nationis bonum a se spectatum prætexet. Sed *Germani* [de Catholicis loquor] nullum agnoscunt bonum, quod cum avita erga Apostolicam Sedem reverentia pugnet.

C A-

[103] Adi Thomassinum P. II. lib. I. cap. 45. n. 9.

(104) Quæ enim *Febronius* recitat, extant in illius Academiæ appellatione apud Bulæum [T. *VI*. *pag*. 88.]

CAPUT VI.

Pauca de Annatis. Febronius a quæstione, quam super Annatis in primo opere propositum erat ad aliam minus odiosam in suis defensionibus callide deflectit. In hac tamen fere nova quæstione multiplicis falsitatis revincitur; jusque Annatarum iterum Romano Pontifici invicte adseritur.

I. BRevem de Annatis disquisitionem superiori capiti veluti appendiculam adtexo. *Febronius* Annatas in primo opere docuerat *sapere simoniam, nullo posse prætextu sanari; peccare etiam in jus commune* (1). Igitur ut ab his *Febronii* criminationibus annatas liberarem, in *Antifebronio* [2] ostendi, illis nihil simoniaci, injusti nihil inesse. Enimvero ex Annatarum historia, quam ibi pertexui [3] constat *Viennense* generale Concilium etsi de Annatis abolendis deliberatum in eo est, *Johannis Andreæ* qui illis vicesimam omnium Beneficiorum sufficiendam censuerat, sententia diligenter perpensa, nihil tamen adversus eas statuisse (4). In Concilio quoque

(1) Confer Indicem Tomi primi verbo *Annatarum origo &c.*

(2) T. *II. lib. V. cap.* 3.

(3) *ibid.* 420. *seqq.*

(4) *In Concilio* Viennensi, inquit cl. Thomassinus [P. III. lib. II. cap. 58. n. 4.] *Verbum de illis factum est nul-*

Constantiensi acriter de Annatis disputatum fuit; a *Gallis* præsertim; sed hi in varias deinde sententias abiere; immo præclarissimi inter eos Theologi *Gersonius* & *Petrus Alliacensis* temperatius de Annatis senserunt. Quid deinde? Post graves ea de re concertationes non solum nihil in eas a Concilio constitutum fuit, sed etiam illas *Martinus* V. confirmavit (5) *Basileense* Concilium illas quidem abolevit sessione XXI. Scilicet tunc Concilium sumebat, ut animadvertit *Thomassinus* (6) *vi sessionis XII. adsignatum jam fuisse, aut adsignandum mox fore fundum alium, & uberrimum proventuum ad onera Curiæ* Romanæ *& Cardinalium expensas, ministro-*

nullum. At fallitur vir eruditus. Testem enim habemus non solum æqualem, sed qui ea de re mentem suam aperuerat a *Viennensibus* Patribus expensam, ipsum illum, quem nuper indicavi, ea ætate celeberrimum Juris consultum *Johannem Andreæ* [in c. inter cetera de offic. ordin. l. 1. decretal.] At *Durandus Mimatensis*, inquit *Thomassinus*, in opusculo, quod a *Clemente* V. jussus elocubravit, de *modo Concilii generalis celebrandi*, Annatarum ne meminit quidem. Hoc unum ergo inde colligere par est, nihil in Annatis reprehendendum *Durando* visum fuisse, quum id operis suscepisset, ut *Viennensis* Concilii Patribus ostenderet, quibus eluendis disciplinæ maculis, quibus expurgandis corruptelis incumbendum sedulo foret. Quum enim *Johanni Andreæ* fides negari nequeat, de Annatisque certe in Concilio actum fuerit, *Durandi* silentium argumento esse non potest, Annatas nondum eo tempore obtinuisse.

(5) Confer Thomassinum [*P. III. lib. II. cap.* 59. *n.* 2. *seq.*] & P. *Berthier* in dissertatione de Annatis T. *XV. hist. Eccles. Gallic.* præmissa *pag. XVI. seq.*

(6) *l. c. n.* 5. Confer etiam Berthierum (*l. c. pag. XIX.*)

ſtrorumque. Alias enim pugna fœdiſſima & manifeſta ea foret conflictatio Decretorum Concilii. Sed quid invictius & ineluctabilius (pergit *Thomaſſinus*), " quam decretum ſeſſio„nis XLII. ejus Concilii, ubi creato Papa „vel Antipapa *Felice* V. ad ejus & Cardi„nalium ejus expenſas adſignavit illi Con„cilium anno 1440. quinctam partem pro„ventuum ex omnibus Epiſcopatibus, Ab„batiis, dignitatibus, & quibuſcumque de„mum Beneficiis per annos quinque, & „decimam partem per quinque proximos „ſequentes annos. Auctoritate propria hanc „reſervationem fecit Concilium conſenſit„que, ut hoc decreto nihil derogaretur „Capitulis vel Beneficiariis, quibus conſue„tudo vel privilegium, vel ſtatutum ſuffra„garetur, ad Annatas aliis ex Beneficiis „exigendas; integrum enim eis fore, ut „eo jure ſuo uteretur, altero poſt Anna„tam Pontificiam anno. " Oſtendit porro *Berthierus* [7] hanc *Felici* a *Baſileenſi* Conciliabulo conceſſam annatam ceteris annatis, quas antea de medio tollere ſuſceperat, multo fuiſſe graviorem [8]. Denique *Tridentini* Pa-

(7) *l. c. pag. XXI.*

(8) At inquit Febronius (T. II. pag. 491.) *Baſileenſe* Concilium in eos, qui Annatas exigerent, pœnas in jure adverſus Simoniacos decretas ſtatuit. *Per hoc igitur ſacra Synodus quidem non declaravit Annatas ipſas eſſe* Simoniacas, *ſed* OLERE SIMONIAM. Falſa & inepta collectio. Si enim Annatæ vel *oluiſſent Simoniam*, numquam a *Baſileenſi*

Patres licet Cardinalis *Lotharingius* de Annatis in privato cum Legatis colloquio mentionem injecisset, de illis nihil sibi decernendum duxere (9). Nihil his ad Annatas ab

sileensi Concilio confirmatæ fuissent, quemadmodum confirmatas re ipsa fuisse vidimus. Una illarum retentis Bullis exigendarum ratio visa est ejus Synodi Patribus *olere Simoniam*, sacrisque Canonibus contraria, uti *Natalis Alexander* animadvertit (*in Hist. Eccles. sæc. XV. & XVI. diss. IX. art. 4. n. 1.*); eaque de caussa exigentibus pœnas illas indixere. Sed numquid *Basileenses* Patres non iisdem pœnis eos, qui *deportus* exigerent, addixere? Neque tamen hi *olere Simoniam* visi sunt *Gallis*, apud quos etiam post *Basileense* decretum viguerunt?

[9] Id videtur *Febronius* Legatorum Pontificiorum artibus tribuere. Ait enim [*T. II. pag.* 492.] Cardinalem *Pallavicinum* scribere (*lib. XIX. cap. I. n.* 4.): " Studuerunt legati ictum declinare, respondentes, id negocii, „ quippe quod nec ad fidem, nec ad morum correctionem „ spectabat, non a Concilio, sed solum a Pontifice corrigendum. E contrario *Lotharingus* semper in eodem perstitit, adfirmans, sæpe respondisse Pontificem, negocium *de Annatis* ac Præventionibus, & quodlibet aliud, „ a se repositum in Concilio: atque hinc ortum fuisse „ consilium, ut *Gallici* Præsules mitterentur ". Verum *Febronius* Lectoribus suis illudit, ac *Pallavicini* narrationem corrumpit. Non enim quæ ibi de Annatis *Lotharingius* egisse cum Legatis a *Pallavicino* perhibetur, Annatas ipsas spectabant, sed cleri subsidia, quæ *Galliarum* Regi Pontifex ea lege concesserat, ut edicta adversus Annatas, ac Præventiones in *Galliis* edita antea revocarentur; id enim ajebat *Lotharingius*, quum Regi sine Senatus *Parisiensis* adsensu efficere non liceret, de illoque obtinendo spes nulla adfulgeret, Pontificiam subsidiorum concessionem Regi nullius esse usus atque emolumenti; Contra vero Pontifici satis esse debere, *che tali editti non si osservassero*, COME DI FATTO, *diceva egli*, inquit eo ipso loco *Pallavicinus*, NON SI OSSERVAVANO. Hæc ea sunt, quæ ut declinarent Legati, rem ad Pontificem ablegandam reponebant; non Annatarum ipsarum suppressio.

Immo

ab omni aut Simoniæ, aut alterius cujuſque vitii labe vindicandas illuſtrius. Quis enim de catholicis Scholis Theologus vel ſuſpicari poſſit, quatuor generalia Concilia, ac *Tridentinum* præſertim, quod ſeveriſſimas adverſus Simoniam leges edidit, in confirmandas Annatas conſpiraſſe, ſiquid in illis ejuſmodi criminis latuiſſet? Recte *Alliacenſis* (10): " Status ſummi Pontificis & Sacri
„ Collegii Cardinalium dum recipit & quærit ſubventiones conſuetas in oblationibus, decimis, vel annatis & ſimilibus, non debet eo ipſo de ſimoniaca pravitate notari, niſi forte vitium aliud in exactionis modo concurrerit; quod vitium corrigi debet, non obinde ſtatus minui, deſtrui, culpari, vel juribus aliunde defraudari, ſicut ab infirmo morbus tollendus eſt, non ſubiectum, vel corpus deſtruendum. Oppoſitum vero pertinaciter imponere, notando generaliter de ſimoniaca pravitate totum ſtatum iſtum, temerarius error eſt, nec eſſet ferendus. " Quæ quidem hujus Theologi ſententia quanto magis obiicienda *Febronio* eſt poſt corroboratas a *Conſtantienſi*, *Baſileenſi*, ac *Tridentino* Conciliis annatas?

II.

Immo quantum ab illis abolendis *Lotharingius* abeſſet, ſatis oſtendit a. 1563. in generali Patrum conventu, in quo illas Pontifici ſervandas palam edixit, ut idem *Pallavicinus* narrat (*lib. XXIII. cap. 3. n. 3.*)

[10] *Tract. de auctor. Eccleſ.*

II. Hæc in *Antifebronio* fuere propoſita. Quid ergo *Febronio* faciendum fuerat, qui mihi reſpondere ſuſcepiſſet? Id utique unum. Debuerat huic argumento ſatisfacere, noviſque ſi licuiſſet momentis Simoniæ injuſtitiæque vitium Annatis confirmare. At hoc oppido difficile erat. Quid igitur *Febronius*? E re ſua eſſe exiſtimavit, in hac noſtra proponenda controverſia moderationem ſe ſe exhibere. Hoc ergo titulo quæſtionem inſcribere placuit (11), *an aliquo*, & *quo titulo Annatæ exigantur*, & *ſolvantur?* Quum autem *tituli*, ut ipſe ait (12), *qui heic in conſiderationem venire poſſunt*, *ſint ſequentes*, *ex jure ſeu lege omnibus gentibus communi*; *ex ſuprema Pontificis hæc tributa imponentis poteſtate*, *ex conventione ſeu concordato*, *ex honeſtate vel convenientia*; priores duos omnino reijcit, tertio plures obmovet difficultates; quartum problema eſſe vult ac pro utraque parte momenta adfert. Equidem id jure poſſem a *Febronio* poſtulare, ut diſerte edicat, num Annatæ a quatuor generalibus Conciliis permiſſæ atque adeo corroboratæ haberi *injuſtæ* poſſint? num *Simoniam ſapiant? nec ullo prætextu ſanari queant?* Hæc enim una quæſtio eſt, quam in *Antifebronio* adverſus ipſius decreta pertractavi; quo titulo Annatæ perſolvantur, alia omnino quæ-
ſtio

(11) T. *II. pag.* 488.
(12) *pag.* 490.

ſtio eſt, nec cum priore illa ab accurato Scriptore confundenda. Sed ne videar novæ hujus quæſtionis explicatum declinare, eam ingredi libet.

III. Ac quoniam *Febronius* inquirit, *quo titulo Annatæ exigantur & ſolvantur*, hoc primum ſibi habeat reſponſum, eo *titulo exigi, & ſolvi*, quo *Viennenſes* Patres, quo *Conſtantienſes*), quo *Baſileenſes*, quo *Tridentini* Patres *exigi & ſolvi permiſere*. Id, licet quiſnam ille *titulus ſit*, indicari certo non poſſet, ſatis æquo & Catholico homini eſſe deberet, ut juſto illas titulo inniti indubitate judicaret. Quod ſi *Febronius* ſingulare aliquod *Romani* Pontificis in Annatas jus ſibi denotari velit, confidenter dicam ex iiſdem quatuor illis fontibus, quos ipſe nobis indicabat, totidem veluti certiſſima jura dimanare, quæ Annatas Summis Pontificibus adſerant. Primum erat *ex lege omnibus gentibus communi*, atque ad id *Febronius* revocat, quod Cardinalis *Pallavicinus* (13) ſcripſerat, *hoc jus ab eo trahere originem, quod Deus ipſe de ſolvendis ſummo* Sacerdoti decimis in veteri Teſtamento ſtatuerat. Quod quidem argumenti genus ſi ita efformetur, ut ex jure decimarum jus annatarum quaſi ſucceſſionis vi colligatur, ineptum eſt ac fallax, quum illud ad judiciaria veteris legis præcepta pertinuerit in novo fœdere a

Chri-

(13) *lib. II. cap. 8.*

Christo abrogata: sin autem ita proponatur, ut ejus antiqui juris exemplo non vitio solum carere, sed pias, honestas, æquas esse annatas, immo & veteri illi juri consentaneas, tuearis, magnam sane vim habet ad persuadendum. Quamobrem non solum S. *Thomas*, aliique cum Theologi tum Canonistæ a decimarum jure annatas repetunt, sed etiam *Petrus* de *Alliaco* in opusculo nuper indicato *de auctoritate Ecclesiæ* his verbis: " Quum Levitæ pro sua sustentatione
„ receperunt decimas, summus Sacerdos
„ decimam decimæ a Levitis debeat re-
„ cipere, ut patet Num. XIX. Unde si-
„ mili jure videtur quod Papa possit re-
„ cipere ab Episcopis promotis Commu-
„ nia servitia, quæ vocantur vacantiæ:
„ & in minoribus Beneficiis primos fru-
„ ctus, seu alia hujusmodi subsidia; ex
„ quibus ipse, & sibi in Ecclesiæ servitio
„ adsistentes possunt convenienter sustenta-
„ ri ". Adde nunc, nullam exstitisse aut etiamnum exstare gentem, sacris profanis addictam, apud quam illi qui primi Sacerdotis locum obtinet, minores Sacerdotes plura quotannis sive munera, sive tributa non conferant, quod de *Teschamo Taossorum* apud *Sinas* Sacerdotum Principe, de magno Tartarorum *Lama*, de aliisque id genus idololatrarum Pontificibus maximis compertum ex historiis est. Efficies demum, jus quod-

dam

dam gentibus commune postulare, ut summo Pontifici inferiores Sacerdotes aliquid pendant; quod *Romani* Pontifices Annatis definierunt. At inquit *Febronius* (14), *si huic debetur* decima *aut ejus loco* Annata, *Camera Apostolica in exigendo hoc censu se admodum tardam ac negligentem exhibuit, eo quod ex omnium, ipsorummet etiam* Romanorum *consensu & confessione, ante sæculum XIV. de eo levando non cogitaverit.* Acute sane. Sed caussam nosse facile poterat, si quem oppugnabat, *Antifebronium* legisset. Ostendi enim fundos, reditus, oblationes multo ampliores, atque opulentiores antiquioribus sæculis *Romanæ* Ecclesiæ fuisse, largiorum præterea recentiore ævo impensarum necessitatem *Romanis* Pontificibus obortam, ut mirum non sit, eos de annatis serius cogitasse, unde necessarii sumptus suppeditarentur.

IV. Jus autem Primatis, quod alterum est ex juribus a *Febronio* commemoratis, addendi cum primis heic debet. Ait quidem ille (15), *fuisse tempora ignorantiæ, quibus credebatur* Romano *Pontifici ex jure sui Primatus illud in temporalia Ecclesiarum potestatis competere, ut pro suo arbitrio de illis valeat disponere. Pudet dicere, quod etiamnum hodie* Romani, *ne ipsis quidem Auditoribus Rotæ, Cardinalibus, immo Pontificibus exclusis, tales* chi-

(14) T. II. pag. 490.
(15) ibid. pag. 491.

chymæras nutriant, *juribus Principum sæcula-rium adversas*, *quippe quorum supremæ pote-stati*, *uni & soli*, *omnia bona jura temporalia*, *etiam Ecclesiarum*, *in eorum dominiis sita*, *subie-cta sunt*. Ego tamen *tempora* hæc ignorantiæ Ecclesiæ Catholicæ longe utiliora præopta-rem, quam *tempus superborum* (16), quod et-iam *iniquum Salamon* vocat (17). Quid enim hoc tempore Ecclesiæ infensius quo (18) *per philosophiam*, & *inanem* (intemperantis cu-jusdam critices) *fallaciam secundum traditio-nem hominum* (ut quæ de Christo ajebat *Paullus*, ad ejus Vicarium referam) *tam multi sunt*, *qui non tenent*(19) *caput*, *ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones submi-nistratum*, & *constructum crescit in augmentum Dei?* Pudere se ait *Febronius*, quod etiam-num hodie *Romani* uni & soli omnia bona & jura temporalia Ecclesiarum *Romano* Pon-tifici subjecta esse doceant, *ut pro arbitrio de illis valeat disponere*. Me autem tædet, quod *Romanorum* de Pontificis in Ecclesiarum bo-na auctoritate sententiam toties a nostris Doctoribus ad omne æquitatis & Canonum jus explicatam etiamnum sint, qui cum *Fe-bronio* iniquissimis artibus, ac fallaciis defor-ment, quo Episcopis, & Christianis Prin-cipi-

(16) *Eccli. LI.* 14.
(17) *ibid.* 17.
[18] *Colos. II.* 8.
(19) *ibid.* 19.

cipibus invisam reddant. Animo Lectores recolant, quæ supra adtulimus ad vindicandam *Romanis* Pontificibus ex Primatus jure generalem omnium Ecclesiasticorum bonorum administrationem. Ea heic sumo. Ex illis autem velit nolit *Febronius*, invicte efficitur, Annatas posse summos Pontifices sibi solvendas sancire. Notum quippe est, Episcopos Annatas multo ante, quam eas *Romani* Pontifices sibi adscriberent, exegisse (20). Num propterea Episcopi *valebant pro arbitrio* de suarum Ecclesiarum bonis disponere? Illane *dominii* jure possidebant, nec potius uno *œconomiæ* nomine administrabant? Quod si tamen hujus administrationis jure annatas, aliaque onera ex Beneficiis sibi vindicabant, quidni *Romani* Pontifices supremæ administrationis auctoritate idem possint? Fuere etiam tempora, quibus quum ut Episcoporum immo & Abbatum ambitioni, & cupiditati in ejusmodi sibi adscribendis Ecclesiarum reditibus modus adhiberetur. Concilia (21) ipsique Romani Pontifices (22) Episcopalibus annatis interdixissent, ad summos Pontifices confugiebant Episcopi, ut per Apostolicam auctoritatem illas adserere

(20) Vide Thomassinum *lib. II. cap. LVIII.* & Berthier *discours sur les annates* pag. V. seqq.
(21) Ut *Londinense* a. 1268. & *Palentinum* a. 1312.
[22] *Clement.* Frequens *lib. V. tit. 6. cap. unic.*

ſibi liceret (23). Heic ergo locus eſt argumento, quo uſum fuiſſe *Clementem* V. narrat *Matthæus Weſtmonaſterienſis* (24) his verbis: " ipſe vero Papa videns inſatiabilem
„ quorumdam Epiſcoporum *Angliæ* avari-
„ tiam, importune poſtulantium primas va-
„ cantes Eccleſias per annum in ſuis diœ-
„ ceſibus ſibi concedi, advertenſque quia
„ quod poſtulat inferior, poteſt & ſuperior;
„ appropriavit ſibi ipſi per biennium om-
„ nes proventus de primo vacantibus in *An-*
„ *glia* videlicet de primo anno primos fru-
„ ctus, tam de Epiſcopatibus, Abbatiis,
„ Prioratibus, Præbendis, Rectoriis & Vi-
„ cariis, quam de ceteris minutis Beneficiis."
Adcedit quod ſuperiore capite de Regaliæ jure obſervabam. Si enim *advocatiæ* munere Chriſtianiſſimos Reges jure ad percipiendos vacantium Eccleſiarum fructus donari *Natalis Alexander* ceterique *Regaliæ* adſertores exiſtimarunt; nihilne juris ſummo Pontifici Primatis dignitas adſcribat, qua Canonum vindices, Eccleſiæ univerſæ ſuorumque jurium tutatores, omniſque diſciplinæ judices ac moderatores ſunt conſtituti?

V. De Concordatis vero quid *Febronius* cavillatur? Ait (25) *in pacto inter* Nicolaum *V. &* Fridericum *III. inito, annatas Pontifici* non

(23) Exempla vide apud eoſdem *Thomaſſinum*, & *Berthier*.

(24) *pag.* 457.

(25) T. *II. pag.* 492.

non pure & simpliciter ac perpetuo addici, *sed cum addito* : " Nisi in futuro Concilio de „ consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordi- „ natum ". Recte. At in quo *Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuit ordinatum?* *In* Tridentino, inquit, *fuisset locus & tempus hanc materiam retractandi*. Fuisset, sed non fuit, neque quidquam de his *Germanica* Natio in ea Synodo tractandum proposuit. Cur ergo a Concordatis abscederet? *Tot ob querelas, totque gravamina Violatorum* (a Roma) *Concordatorum*. Itane vero? *Oberhauserum* hujus rei testem *Febronius* appellat (26): quod maxime doleo, videns Religiosum virum *Leibnitii*, *Strauchii*, *Linckii*, aliorumque Protestantium, quibus ea Concordata maxime invisa sunt, exprobrationes, calumniasque cooptasse. Id tamen gratulandum mihi est, quod illustrem *Germanicam* Nationem seditiosis hisce vocibus nihil commotum iri sentiam. " Id immortali laudi, & „ gloriæ, inquit *Oberhauseri* socius *Benedictinus Zallwein* (27), cedere debet *Germanis*, „ quod generosiorem suam caritatem, & reverentiam erga Sedem *Romanam* commonstraturi valuerint notabiliorem jurium suorum partem in manibus Pontificum relinquere, quam suis libertatibus pertinacius inhærere, ut hoc modo nexum inter „ *Ro-*

(26) *ibid.*
[27] T. *III. Princip. Jur. Eccles. pag.* 27.

„ *Romanam*, & Ecclesias *Germanicas* tum re„ stituerent, tum in tempora futura conso„ lidarent " . Tantamne vero quam jure adepti sunt, gloriam ob *Lutheranas* istiusmodi nænias repente abdicent? Injurius *Germanis* sim, si tam inconstanti', abiectoque eos animo fingam. Quid porro si de eorum re sit, a Concordatis quæ semel cum *Romana* Sede inierunt, nequaquam desciscere? Non ego heic aut *Weissium*, aut *Schwarzium* appellabo. Audiant Protestantem de *Senckenberg* (28). " Ecclesia *Romana* Mater Christiano„ rum, & orbis in primis *Germanici* benignis„ ma, data sua in sacra auctoritate semper be„ nigne tulit, si quis jura sua, ea qua par „ est modestia, conservare niteretur. Non „ opus ergo, nec conducit etiam, ut con„ vellantur omnia, ut nexus & Ecclesiæ & „ Imperio utilis ac necessarius dissolvatur. „ Oportet ordinem aliquem esse inter Chri„ stianos, oportet esse Caput, quod eum „ regat. Non alius huic regimini magis „ aptus, quam Christi Vicarius, B. *Petrum* „ continua successione referens. Is ab om„ ni ævo ea fuit æquitate, ut oves suas „ balantes exaudiret, ut gravaminibus me„ deretur. Non renixum certe novimus *Ha*„ *drianum* P. M., cum *Carolus* M. non om„ nia ejus postulata admitteret. Transactio„ nem

(28) *Method. Jurispr. Addit. IV. de libert. Eccles. Germ.* §. 3.

„ nem de Investituris consiavit *Calixtus* II. „ in quam pluribus *Friderico* I. cessit *Alexander* III. Nec in cunctis obstreperos „ Pontifices experti *Philippus* & *Fridericus* „ II. donec ultimus plane ab ipsa fide declinasse crederetur. Summa quæque consequuti sunt *Rudolphus* I. & *Henricus* VII. „ Usurus erat æquo Pontifice *Ludovicus* IV. „ si sua tantum vindicatum ivisset, & ni „ mala illorum temporum intervenissent. „ Certe quod ille tantopere cupiebat, obtinuit *Carolus* IV. ut *Italiæ* dominaretur, „ & regia potestas penderet a sola Principum „ Electorum auctoritate. Nec *Wenceslaus*, „ *Sigismundus*, *Albertus* II. aut reliqui *Germanicæ* libertatis adsertores ne ipse quidem *Maximilianus* I. aut *Carolus* V. Majestatis suæ & libertatis Nationis Statores „ summi, iniquum hactenus experti sunt „ Pontificem. Semper gravaminum, in primis per *Hadrianum* VI. oblata medela. „ Et si promissa in plurimis irrita mansere, „ res in modo hæsit, aut turbæ intervenere, ut de cardine quæstionis cogitari haud „ posset. Hæc omnia eo, ut evincamus, „ nihil hactenus Sanctæ Sedi, aut etiam „ Nationi, quæ jura sua nunquam deseruit, „ imputari posse, si per injuriam sæculorum „ usque nunc fieri non potuit id, quod alias lubens admisisset summus orbis Pontifex. Cives nostri, gens bello adsueta,

„ rerum novandarum cupida, in se ipsa di-
„ scors habet, quod sibi in cessando impu-
„ tet, nunquam refragantem Ecclesiam ex-
„ perta, cui potius media præstandi ipsa
„ subtraxit. Et jure adfirmari poterit, ne
„ exemplum quidem esse in omni rerum
„ memoria, ubi Pontifex processerit adver-
„ sus eos, qui juribus suis intenti, ultra li-
„ mites vagari in animum non induxerunt
„ suum ". Pudore suffundantur *Oberhauserus* & *Febronius* dum Protestantem tam diversa ab ipsis qui Catholico nomine gloriantur de *Romano* scripsisse Pontifice intelligunt. Non negaverim tamen Concordatis interdum fuisse a summis Pontificibus derogatum, sed vel ipsa adsentiente Natione *Germanica*, vel gravissima de caussa, uti fit in *primariis* Imperatoris *precibus*, vel ex nonnullorum, qui *Romano* Pontifici hujus doli improvido obrepsere, artibus atque fallaciis: quamquam non dissimulandum factum nonnumquam esse, ut concordatorum violatio quæ nihil minus esset, a malevolis, vel suæ utilitati servientibus sola interpretandi licentia haberetur (29). Quid? quod etiam *Romani* Ponti-

(29) Exemplum tamen non præteribo, quod propius ad Annatas spectat. " Anno 1522., inquit Thomassinus (*P.*
„ *III. lib. II. cap.* 59.) *Hadrianum* VI. commonebat *Ca-*
„ *rolus* V. Imperator annatas, olim Sedi Apostolicæ con-
„ cessas fuisse ad amoliendos Turcos, & adsumptum Belli
„ Infidelibus inferendi; eaque ipsa de caussa nunc æqu-
„ um esse eas in *Germania* retineri, quum in ejus maxi-
„ me

tifices non semel de fractis a Natione *Germanica* concordatis queri debuerunt (30); neque propterea a Concordatis descifcendum sibi esse censuerunt, quamquam ea majoris *Germanis*, quam Apostolicæ Sedi & utilitatis & splendoris esse intelligebant (31).

„ me finibus Turcica bella conflagrarent. Legatum Pontificium Ordines Principesque Imperii eadem de caussa „ interpellarunt. *Quum ordines sacri Imperii nihil dubitent* „ *beatitudinem Pontificis pro comperto habere*, *Principes* „ Germaniæ *in solutionem Annatarum*, *ad aliquot annos* „ *Sedi Apostolicæ solvendarum ea lege consensisse*, *ut illæ* „ *in oppugnationem perfidissimi* Turcæ, *&* *defensionem fi-* „ *dei Catholicæ converterentur*. *Ex quo autem numerus* „ *annorum*, *intra quos Annatæ illæ solvi debeant*, *nunc* „ *longo intervallo transactus sit*, *neque Annatæ illæ in* „ *hunc usum*, *in quem decretæ sunt*, *sint conversæ &c.* „ Goldast. Constit. Imp. T. I. p. 447. 453. 463. Quibus sa- „ ne verbis & *Germani* proceres & *Carolus* Imperator mi- „ litari magis fiducia, quam adcurata rerum peritia pero- „ rabant; & armis quam chartis instructiores, ne memi- „ nerant quidem Concordatorum non ita pridem, anno „ scilicet 1447. initorum inter *Fridericum* III. Imperato- „ rem hinc gentemque *Germanicam*, inde *Nicolaum* V. „ Pontificem. *Rainald. an.* 1512. *n.* 56. In iis enim pro- „ lixe de Annatis differitur, at de bello Turcico verbum „ fit nullum; & adeo non arctatur ad aliquid Annatæ, „ ut eæ contra colligendæ pronuncientur, donec ea Con- „ stitutio in Concilio generali consensione Gentis *Germa-* „ *nicæ* commutetur. *Duretque hæc observantia deinceps*, „ *nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis* „ *consensu contingat immutari*. Confer cl. P. Schwarzium *Colleg. historic.* T. *VI. q.* 6. §. 6. *pag.* 361.

(30) Vide eumdem Schwazium *ibid. pag.* 358.

(31) Non hæc *Romanæ* Curiæ adsentaturus dico: absit. Non hoc certe inconsideratæ in *Romanos* Pontifices adulationis vitio laborat *Zallweinius*, ejus tamen hæc sunt [T. „ *III. pag.* 311.] " Esto favorabilior fuisset conditio *Germanorum* ex Decretis Synodi *Basileensis*, nihilominus pro

„ sta-

Cur igitur *Germanica* Natio concordatorum infractionem vel legitimam vel sæpiuscule obreptam, aliquando etiam imaginariam præ-
texe-

„ stabilienda & firmanda pace remittendum aliquid fuit a
„ Natione *Germanica* in contestationem suæ reverentiæ,
„ pietatis, & gratitudinis erga summum Pontificem haud
„ secus quam a belligerantibus, ut pacem firmam & sta-
„ bilem obtineant. Optime nempe perspectum habebant
„ *Germani*, quod moderata durare soleant, & idcirco viam
„ amicabilem, sive amicam transactionem uno dato & al-
„ tero retento ineundam provide duxerunt. Et quidni
„ *Germani* de suis prætensis juribus notabilem eorum par-
„ tem remittant? quippe quod ipsis *Romanis* Pontificibus
„ sua jura Ecclesiastica ut plurimum in adceptis referre
„ debeant. Quis enim Episcopatus & Ecclesias *Germano-*
„ *rum* ab infensissimo jure investiturarum, ac Regaliæ li-
„ beravit? Quis Capitulis jus liberum eligendi restituit?
„ Quis Episcopos aliosque Prælatos ecclesiasticos a jugo
„ Imperatorum, aliorumque procerum sæcularium libera-
„ vit, nisi Pontifices? Interest vel maxime, ut Episcopi
„ *Germaniæ* stent in arctiori communione & unione cum
„ Pontifice *Romano* tanquam centro unitatis, quippe qui
„ ferme solus est, qui ipsos contra potestatem sæcularem,
„ eorum jura contra injustas usurpationes ausus & inva-
„ siones hactenus defendit, & defendere potest. Avertat
„ Deus clementissimus a finibus *Germaniæ* schismata inter
„ Episcopos & Principes sæculares. Tempora aliunde vi-
„ vimus periculosa, quibus jura ecclesiastica pessundantur,
„ libertates Ecclesiarum supprimuntur, Clericorum privi-
„ legia vilipenduntur, immunitates deridentur, ut adeo
„ jure optimo metuendum sit, ne status Ecclesiasticus ma-
„ xima ex parte supprimatur, & ad infimæ conditionis
„ subsellia detrudatur. Et unde jam medela quærenda
„ aut speranda, nisi a *Romano* Pontifice? quem ferme so-
„ lum Principes, illi saltem, quibus Religio cordi est,
„ reverentur & metuunt, quem solum hactenus compri-
„ mendo fastui Imperantium, extinguendis schismatibus
„ vindicandis juribus ecclesiasticis parem fuisse rerum ge-
„ starum historiæ docent, ad quem Episcopi toties recur-
„ rere necesse habuere, quoties a Principibus sæculi in
„ suis juribus fuere læsi. Habent potius, quod sibi gra-
„ tulen-

texeret, ut de illis rescindendis cogitaret? Apage *Febroniana* isthæc ausa, quæ a Nationis præclarissima sapientia, atque æquitate nimium abhorrent.

VI.

„ tulentur Episcopi, & Capitula *Germaniæ*, illi quidem,
„ quod ampliorem conferendi beneficia facultatem; hæc
„ vero, quod jus liberum eligendi Episcopos ex Concor-
„ datis obtinuerint, & hoc suo generosiori modo agendi
„ Pontifices sibi propitios, & quodammodo obstrictos red-
„ diderint. Est hæc prærogativa prorsus summa solis Ca-
„ pitulis *Germaniæ* propria, qua nulla alia gaudet natio
„ quibuscumque prærogativis insignis. In ceteris omnibus
„ regnis & provinciis Episcopatus contra normam & tra-
„ ditionem antiquissimam per 10. & ultra sæcula conti-
„ nuatam vel conferuntur a Pontificibus, vel Episcopi no-
„ minantur a Principibus sæculi. Pessime sane sibi consu-
„ luit Clerus *Gallicanus*, quod tenacius Sanctioni suæ
„ pragmaticæ inhæserit: nam exinde factum esse haud
„ inanis est suspicio, quod Pontificem sibi minus propi-
„ tium & faventem habuerit, hicque Regi *Galliarum* in
„ ineundo Concordato *Gallico* in tantum faverit, ut jus
„ eligendi Episcopos Capitulis, Ecclesiis & Monasteriis
„ subtraxerit, & jus nominandi Episcopos & Prælatos
„ amplissimum ad omnes ferme ecclesias in manus Regum
„ transtulerit, id quod sane Clero *Gallicano* nunquam non
„ tristissimum adcidere debuit. Si qui sunt, qui se ex
„ Concordatis *Germaniæ* gravissime læsos esse justam que-
„ rendi caussam habent, sane sunt Metropolitæ, utpote
„ qui prærogativam summam, id est jus confirmandi E-
„ piscopos suos Suffraganeos per 10. & ultra sæcula juste
„ possessum amiserunt. Sed quid si hoc ipsum jus confir-
„ mandi fuisset translatum in Imperatores & Principes?
„ Utique Metropolitis longe exoptabilius esse & gloriosius
„ videri debet illud in manibus Pontificum, quam Impe-
„ ratorum suspicere. Anne omne abfuisse periculum, ne
„ id adcideret, existimamus? Atque inde est, quod Pro-
„ testanticorum querelæ, dicteria & criminationes contra
„ Concordata *Germaniæ* neutiquam in favorem Episcopo-
„ rum, Metropolitarum & Capitulorum, sed magis Im-
„ peratorum colliment, atque hos potissimum in suis ju-
„ ribus prætensis gravissime læsos conquerantur". Sed de
his iterum Diss. X.

VI. *Germanorum* Concordatis jungit *Febronius Galliarum* concordata; annatasque ait Pragmatica sanctione solemniter abrogatas, nec *Leonis* X. Concordatis restitutas. Qua in re primum fallitur, quum Pragmatica sanctione Annatas exhibet solemniter abolitas. Abrogavit quidem *Bituricensis* conventus annatas; voluit tamen *pro instanti necessitate moderni Papæ* (Eugenii IV.) *& Sacri Collegii Dominorum Cardinalium hodie notorie ingruente, & etiam juxta pollicitationem Sacri* Basileensis *Concilii .... quod præfatus summus Pontifex habeat ejus vita durante dumtaxat, pro se & Dominis Cardinalibus, ac officiariis Curiæ* Romanæ *ex fructibus quarumcumque Ecclesiarum, Monasteriorum, quorumcumque beneficiorum ad decem libras vel amplius taxatorum vacaturorum deinceps &c.* (32) " Ex hoc autem decreto, inquit *Thomassinus* (33),
„ dilucidum est I. non hanc fuisse Annatarum abolitionem, sed revocationem ad quinctam partem. 2. Prorogatio quidem ejus subsidii non extendebatur, nisi ad vitam Pontificis: sed quum non taceretur, ita consuli necessitatibus, non Papæ solum, sed Cardinalium & officialium omnium Curiæ *Romanæ*, hinc non dubia adlucebat spes tam diuturni subsidii, quam diutina esset necessitas. 3. Conformabant
„ se

[32] *Pragm. Sanct. Tit.* IX. *Cap. unic.* §. 2.
[33] P. *III. lib.* 2. *cap.* 59. *n.* 7.

„ se tum *Galli* Præsules ad voluntatem Con„ cilii *Basileensis*, cui placuerat aliud extra „ Annatas adsignari levamentum onerum & „ expensarum Curiæ *Romanæ*, quod stabile „ esset & perpetuum " . Exaggeratius ergo illud *Febronii* dictum est (34) : *in* Gallia *Annatæ per Pragmaticam Sanctionem a.* 1438. *solemniter abrogatæ sunt* . Deinde ne id quidem extra omnem dubitationem positum est, quod addit : *in subsequuto Concordato a.* 1516. *nihil omnino de iisdem*; *proinde quoad hoc substitit tenor & vigor Pragmaticæ Sanctionis*. In quo quidem habet *Febronius* sibi consentientem P. *Bertier* (35) . *Galli* tamen plures longe aliter existimant , atque ut aliquos appellem , doctissimus *Bail* (36) , eruditus *Thomassinus* (37) & Anonymus in *epitome Chronologica historiæ Ecclesiasticæ* (38) ; immo *Berthierus* ipse non dissimulat sibi communem opinionem adversari (39) . Multa autem sunt,

(34) *T. II. pag.* 493.

[35] *Discours sur les Annat. pag.* XXVII. *seq.*

[36] *in Summa Conc. T.I. ad Concil. Later. V. de Concord.*

(37) l. c. n. 11. *Restitutæ denique prorsus Annatæ fuere in* Gallia *Concordatis a.* 1515.

(38) T. II. Paris. edit. 1752. pag. 251. ad ann. 1515. *Tels furent les fondemens du fameux Concordat entre* Leon X. *&* François I. *par le quel il fut convenu que le* Roi *nommeroit aux grands* Benefices de France , *& du Dauphinè , & que le* Pape *recevroit les annates de ces benefices sur le pied du revenu courant.*

(39) pag. XXVII. ON CROIT COMMUNEMENT , *que le* Concordat *est une loi aussi favorable aux Annates , que la Pragmatique leur avoit ètè contraire.*

ſunt, quæ me in hanc ſententiam adducunt. 1. *Thomaſſinus* animadvertit, ac *Berthierus* quoque confirmat, Annatarum vices Pragmaticæ Sanctionis vicibus plane reſpondiſſe; ut quum ſub *Carolo* VII. hæc viguit, illæ quoque non ſolverentur, contra ſub *Lodovico* XI. & *Carolo* VIII. nunc libere & largius, nunc ſubtimide & parcius exigerentur, prout eadem Sanctio in ea rerum perturbatione vel nutabat vel confirmabatur. Sublata igitur tandem de medio Pragmatica Sanctione expeditiſſimus Annatis patere aditus debuit. 2. Fidem omnem ſuperat, poſtquam *Baſileenſe* Concilium ea ſolum lege Annatas abrogarat, ut perpetuum quoddam ac ſtabile *Romano* Pontifici ſubſidium decerneretur, & qui ad *Leonem* X. fuere Pontifices, Annatas urſerant, *Leonem* nihil omnino de Annatis, aut de alio ſaltem illis ſufficiendo ſubſidio paciſci cum *Franciſco* I. voluiſſe. 3. Exſtat in Concordatis (40) articulus, quo indicitur neceſſitas *verum impetrandorum beneficiorum valorem in mandatis* aliiſque Sedis *Romanæ* proviſionibus *exprimendi*; quod, inquit *Gallicani* juris peritiſſimus *Johannes Doujat* [41] *Annatarum ſecundum eam æſtimationem exigendarum cauſſa conſtitutum fuerat*. Non difficilis equidem P. *Berthie-*

(40) *Tit. VI. de Mandatis Apoſtolic.* §. 4.

(41) *Præfat. in ſpecimen Jur. Eccleſ.* Gallorum *P. I. pag.* 40.

thiero hac in re *Febronii* duci concesserim, alias ab Annatis caussas fingi posse, cur ea lex fuerit a *Leone* sancita; sed hæc planissima est, cum iisque quæ hactenus animadvertimus ita conjuncta, ut fere sit necessaria. Adcedit diserta *Leonis* X. testificatio; in Bulla enim *Romanus Pontifex*, quæ Concordatis adtexitur *Leo* hunc ipsum Concordatorum articulum retractans decernit, " quod
„ de cetero perpetuis futuris temporibus im-
„ petrantes beneficia in Regno *Delphinatu*
„ & Comitatu prædictis per obitum dum-
„ taxat vacantia, si verum annuum valo-
„ rem beneficiorum in litteris Apostolicis
„ quæ super dictis beneficiis expeditæ fue-
„ rint, non expresserint, infra annum a die
„ datæ litterarum computandum, valorem
„ ipsum male expressum corrigi per Officia-
„ les (ad quos expeditio litterarum hujus-
„ modi pertinet, & correctiones litterarum
„ earumdem fieri consueverunt) petere:
„ ipsique Officiales ipsarum litterarum ex-
„ peditioni præsidentes, ad eorumdem im-
„ petrantium simplicem petitionem, valo-
„ rem ipsorum ad verum annuum valorem
„ juxta petentium voluntatem in eisdem lit-
„ teris reducere & corrigere, ipsique impe-
„ trantes pro augmento valoris expressi dum-
„ taxat ANNATAM Cameræ Apostolicæ sol-
„ vere debeant, & teneantur". At *Berthierus*, *Rebuffi*, *Petri de Marca*, aliorumque

Gallorum Jurisconsultorum nixus auctoritate, ait hanc *Leonis* Constitutionem, neque in *Lateranensi* Concilio probatam fuisse, neque in *Galliis* usu receptam. Nolim ego in hanc rem morosius inquirere. Hoc tamen, ex ea Constitutione palam fit, Concordatorum articulum, quo verus beneficiorum valor exprimendus præcipitur, ad Annatas referri. Quis autem *Leone* melius suorum Concordatorum sententiam nosse potuit ac debuit? 4. Statim a Concordatis exigi Annatæ cœpere, ac licet inter Christianissimos Reges ac summos Pontifices interdum de modo illis adhibendo quæstio fuerit, numquam tamen ad nostra tempora in *Galliis* sunt intermissæ. Quænam hujus disciplinæ verosimilius caussa excogitari potest, quæ tandem ad Concordata referri non debeat? *Febronio* solum (42) ejusque similibus maledicentissimi obtrectatoris *Pasquierii* animadversio probari possit, a *Romanis* Pontificibus certum beneficiorum numerum *Parisiensi* Senatui fuisse concessum, ne in Annatas iniquior esset. Æquiores *Berthierus* caussas proposuit; nempe quorumdam Beneficiorum collationem in Concordatis Pontifici servatam, Annatarumque persolvendarum onus iis solum Beneficiis quæ *Consistorialia* appellantur, & XXIV. Ducatorum valorem superant, definitum. Atque hæc quidem faciliorem ad Annata-
rum

(42) *l. c.*

rum vel restitutionem vel confirmationem parare in *Galliis* viam poterant; inquirendæ tamen supersunt caussæ, cur earum receptio a Concordatis disiuncta non fuerit; nec ulla satis probabilis adferri poterit, quæ ad ipsam Concordatorum vim non revocetur.

VII. Quod si *Febronius*, *Gallos* concordatorum pactione ad annatas non teneri præfracte contendat, præter Primatis jus quod supra explicuimus, addemus subsidii nomen. Ne ipse quidem *Gersonius* hunc exigendarum Annatarum titulum improbavit. Obiecerat sibi *Gersonius* in opusculo de Simonia: *sicut ex antiqua lege decimæ decimarum debeantur summo Sacerdoti a Levitis*. Num. XVIII. Deuteronom. XVI. *sic non minus in lege nova debetur hæc decimatio facienda ipsi Papæ per inferiores*. *Hæc autem recompensatio videtur rationabilis, quod fructus primi anni a quolibet beneficiato persolvantur, quoniam in hoc Papa servit Ecclesiæ, & ita pro substentatione status sui potest onerare personas & beneficia*. Quid vero ad hæc *Gersonius*? Audiamus. *Respondendo talibus obiectis dicimus primo, quod inferunt & concludunt aliquas veritates. Ut quod officio Papæ debeatur beneficium sufficiens & condecens. Et quod ab inferioribus sibi debetur subsidium. Et quod illud subsidium potest, vel potuit debitis circumstantiis observatis accipi super fructibus inferiorum benificiorum, ubi non est aliter facta Papæ sufficiens provisio; sicut*

prima

prima ratio satis hoc concludit ex jure divino; quam naturali præsupposito divino. Sed quod fiat exactio, vel extorsio, sicut conclusio loquitur, ratio non concludit. Hoc scilicet unum *Gersoni* summopere displicebat *ante Annatas exigi* quam fructus a *Beneficiato* percipi possent (43). Istiusmodi tamen subsidium *Romano* deberi Pontifici adsentiebatur. Neque id cujusdam solum æquitatis est, atque honestatis, cui refragari nefas non sit, quum *Gersonius tam ex jure divino quam naturali præsupposito divino* illud adcerlat. Indigent enimvero perpetuo hocce subsidio *Romani* Pontifices. Nam ut recte a *Zallweinio* animadver-

(43) Eo tamen necessitate compulsi sunt *Romani* Pontifices. Rem explicat *Æneas Sylvius* in litteris ad *Martinum Meyerum*. " Illud, *inquit*, non sinemus intactum, „ quod ad exigendos Beneficiorum, quæ *Romæ* conferuntur medios fructus, sive ut ajunt Annatas, nullam permitti creditoribus moram accusas. Quod tamen conventa ipsa deposcunt. Verum est enim quod ais. Verum „ hoc ab eorum ingratitudine ortum invenies, qui quum „ Ecclesias consequuti essent, dilationemque solutionis faciendæ obtinuissent, postquam litteras Apostolicas habuere, & domum reversi possessionem consequuti sunt - „ neque in præstituta die, neque multis post annis Apostolicæ Cameræ satisfacere curaverunt: Excommunicationis pœnam, cunctasque censuras levi animo pensitantes. Quorum non fuit parvus numerus. Compulsa igitur Apostolica Sedes, (nam inde Cardinalium victus „ est) adversus injustam rebellionem justum invenit remedium, & ingratitudini obviam pergens, solvere ante „ tempus eos instituit, qui post tempus aliorum exemplo „ satisfacturi non videbantur. "

versum est (44), " imprimis Annatæ dan-
" tur in vim alimentorum Pontificis, Car-
" dinalium, aliorumque Ministrorum . . . .
" 2. applicantur in Legatos & Nuntios A-
" postolicos, quos Pontifices ad certas natio-
" nes, & aulas Principum ablegare neces-
" sum habent. 3. Ex his Annatis subve-
" nitur Episcopis sua Sede dejectis, & Prin-
" cipibus a suo Regno inique deturbatis:
" quare, licet 4. caussa Passagii, pro recu-
" peranda terra sancta cessaverit, subintra-
" runt aliæ caussæ æque graves, aut fors
" graviores . . . . Quod si ulterius dicatur,
" Pontificem aliunde habere amplissimum
" Patrimonium, & ex hoc percipere im-
" mensos redditus pro sublevandis necessita-
" tibus sufficientissimos, replicamus, fors
" ne hos quidem sufficere, ut inde necessi-
" tatibus extraordinariis subveniri valeat.
" Et numquid prudentis Patrisfamilias non
" est providere etiam casibus futuris? si ur-
" geant dicendo: ad quid opus est tanto,
" tamque immenso Officialium numero, fastu,
" luxuque Prælatorum *Romanorum*? duplica-
" mus, hoc ipsum imprimis posse obiici
" Principibus tam Ecclesiasticis, quam sæ-
" cularibus. Et dein numquid majores Prin-
" cipes ex motivo caritatis & misericordiæ
" non raro majorem Officialium, famulo-

(44) *T. III. quæst. 2. cap. I. §. 10. pag. 259.* Hæc dissert. X. illustrabimus.

„ rumque numerum ſuſtentant, ne innume„ ri homines egeſtate preſſi mendicato vi„ vere, & tam Reipublicæ, quam civibus „ privatis graves adcidere cogantur " . En *Febroniana* adverſus Annatas diſiecta molimina.

CAPUT VII.

Relationum quoque, immo & generalium convocandarum Synodorum, hisque præsidendi jus Pontificium Febronius *ab Episcoporum, Ecclesiæque consensione repetit: utrumque absurdissimum demonstratur.*

I. EXtrema adtigimus jura, quæ *Febronius Romano* quidem Pontifici adserit, sed ita tamen ut non Primatus vi, sed Episcoporum adsensui tribuat. Sunt illa duo alterum jus relationum, alterum jus generalium Synodorum convocandarum, illisque præsidendi. Ac de primo quidem jure sic statuit (1): " quamvis particularium Eccle-
" siarum ad *Romanam* Sedem Relationes de
" se minime sint argumentum *Status Monar-*
" *chici*, nihilominus in hunc sensum paul-
" latim tractæ sunt, postquam Romani Pon-
" tifices his Relationibus adsueti, eas dein-
" ceps *pro jure* postularent. Consuetudo
" multorum in difficilioribus negociis ad
" Sedem *Romanam*, tamquam Matrem &
" Magistram recurrendi, & inde lumen seu
" consilium adcipiendi, talis erat, ut nul-
" lum *jus perfectum* Primæ Sedi ad has re-
" lationes competierit, quasi ejus consilia
" necessario expetenda, & iis acquiescen-

(1) T. I. *cap. III.* §. 7. *pag.* 186.

„ dum fuiſſet; quamquam poſtmodum *Ro*. „ *mani* id ipſum in *neceſſitatem* traxerint. “ In hac autem re lubens *Febronio* adſentior, primum hujuſmodi relationes *Romam* ab Epiſcopis ultro miſſas fuiſſe; *immo Innocentius* I. quem ipſe primum ait ſibi *ſtrictius* hoc jus vindicaſſe, de cauſſarum majorum relationibus agens (2), *Synodum*, quæ illos ſtatuerit, & *veterem*, quæ eas *exigat*, *conſuetudinem* appellavit. *Avitus* quoque [3] ait *Synodalium legum eſſe, ut in rebus, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſiquid dubitationis fuerit exortum, ad* Romanæ *Eccleſiæ maximum Sacerdotem quaſi ad caput noſtrum, membra ſequentia recurramus*. Tandem *Africani* Patres in epiſtola ad *Theodorum* Pontificem, quæ in *Lateranenſi* Concilio ſub ejus ſucceſſore *Martino* I. a. 649. lecta eſt, *antiquis* inquiunt, *regulis ſancitum eſt ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum vel adcipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum*. Verum *Febronius* duo maxime peccat, ac præterea ſibimet adverſatur. Peccat I. dum Epiſcopos ipſos Synodoſque hoc officii erga *Romanos* Pontifices ſibi debitum ob eorum primatum agnoviſſe aut imprudens non animadvertit, aut vafer diſſimulavit. *Aviti* quæ recitavimus verba id perſpicue indi-

[2] *Ep. ad* Victric.
(3) *Ep. XXXVI.*

indicant; nec minus diserte *Sardicenses* Patres in epistola ad *Julium* I. fassi sunt: *hoc enim*, inquiunt (4), *optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad* Petri *Apostoli sedem, singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes*. Hinc idem *Innocentius* I. ad Episcopum *Nucerinum* perscripsit (5): *Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre*. *Justinianus* quoque ad *Johannem* II. (6) scribere non dubitavit. *Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum & indubitatum sit, ut non vestræ innotescat Sanctitati: quia* CAPUT *est omnium Sanctarum Ecclesiarum*. Indubitato hæc argumento sunt, Episcopos, Synodos, Imperatores Primatus veluti vi coactos ad *Romanos* Pontifices quidquid ad Ecclesiæ statum pertineret, sibi referendum duxisse. Peccat 2., atque in hoc secum pugnat, quod Pontifices arguat, quasi quod sponte nullaque necessitate ab Episcopis factitatum fuerat, id ipsi *in necessitatem traxerint*; immo viam sibi aperuerint *ad mutandum* CONSILIA *in* MANDATA, DIRECTORIUM in IMPERIUM. An non ea in *Romanos*

[4] *T. I. epist. R. P. Coust. col.* 395.
(5) *ibid. ep. XXXVII. col.* 910.
[6] *Ep.* III. *n.* 3.

manos Pontifices ubique *Febronius* prædicat *Canonum exequutores*? Quid ergo miratur, si quod *Synodalibus legibus*, & *antiquis Regulis* constitutum fuerat, strenue exegerint, aut *in necessitatem traxerint*? Hoc dictum esto, ut *Febronium* cum *Febronio* committamus. Ceterum id Summi Pontifices *in necessitatem traxerunt*, quod quum ad *Romanam* Ecclesiam *propter potentiorem principalitatem* NECESSE *sit omnem convenire Ecclesiam*, ut ex *Irenæo* sæpius monuimus, oporteret, ut quæ in Ecclesiis geruntur negocia, cum *Romano* Pontifice potissimum communicarentur. Ac *consulta* quidem quæ Pontifices responsa mittebant, modesto vocabulo appellabant, nec tamen illa aut *consilia*, aut *directorium* censebant, *mandata* semper & *imperium* habuerunt. Si enim Episcopi hisce consultis adquiescere non debuissent, quei *Innocentius* I. *omnia*, quæ possunt aliquam *recipere dubitationem ad se quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus* referenda *Nucerino* Antistiti scripsisset, *ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis* CERTUM *aliquid*, FACIENDUMQUE *pronunciaret*? Sed clariora sunt, quam ut *Febronianis* ullis tenebris obfuscari queant, ejusdem *Innocentii* verba in epistola ad Episcopos *Carthaginiensis* Concilii: " *Antiquæ*, " inquit (7) traditionis exempla servantes " & ecclesiasticæ memores disciplinæ vestræ " reli-

(7) *Ep.* XXIX. *T. I. Epist. R. P. Const. col.* 888.

„ religionis vigorem non minus nunc in
„ consulendo, quam antea quum pronuncia-
„ retis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum
„ referendum adprobastis esse judicium, sci-
„ entes quid Apostolicæ Sedi, quum omnes
„ hoc loco positi ipsum sequi desideremus
„ Apostolum, debeatur, a quo ipse episco-
„ patus & tota auctoritas nominis hujus e-
„ mersit . . . Vel id vero, quod patrum in-
„ stituta sacerdotali officio custodientes non
„ censetis esse calcanda, quod illi non hu-
„ mana, sed divina decrevere sententia, ut
„ quidquid quamvis de disiunctis remotisque
„ provinciis ageretur, non prius ducerent
„ finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam
„ perveniret: ut tota hujus auctoritate ju-
„ sta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur,
„ indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ (velut
„ de natali suo fonte aquæ cunctæ procede-
„ rent, & per diversas totius mundi regio-
„ nes puri latices capitis incorrupti mana-
„ rent) quid præcipere, quos abluere, quos
„ veluti cœno inemundabili sordidatos,
„ mundis digna corporibus unda vitaret ".
Quæ *Africani* Patres in ea quam indicabam, ad *Theodorum* epistola ita reddidere: *ut hujus* [Sedis Apostolicæ] *auctoritate justa quæ fuisset pronunciatio* FIRMARETUR, *indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ mane-*

ant fidei Sacramenta salutis. Profecto si *Romanis* consultis *adquiescendum* non fuisset, *Romana* Sedes nihil quod *certum faciendumque* esset, pronunciasset, neque tota ejus auctoritate, *justa quæ fuisset pronunciatio firmatum* habuissemus, multo minus ex consulta Apostolica Sede *sumpsissent ceteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium*.

II. Atque ut leviorum caussarum relationibus concederemus ea, quæ darent *Romani* Pontifices responsa, fortassis non fuisse mandata, sed consilia; id certe ubi graviorum caussarum relationes ad Apostolicam Sedem mitterentur, largiri adversario non possumus, quin universam negligamus antiquitatem. *Romani* enim Pontifices sua hujusmodi caussas, de quibus ad eos referretur, sententia finiendas edicunt. Id S. *Leo* de Vicario a se constituto ad *Illyrici* Episcopos scribens[8] diserte monuit: *Si quæ vero caussæ graviores vel appellationes emerserint, eas sub ipsius relatione ad nos mitti debere decrevimus ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur*. Quamquam quæ ex innumeris quas summi Pontifices ad universi orbis Episcopos scripsere, consultationibus (9), veluti ex naufragio tabulæ supersunt, ubique legislatoris auctoritatem præseferunt, quod

(8) Ep. V. col. 619.

(9) *Innumeras* appello cum S. *Leone* M. ep. X. V. Antifebron. T. II. *lib.* I. *cap.* I. *n.* 2. *seqq.*

quod supra suo loco ostendimus. Nec puduit *Febronium* relationes, quæ ad Apostolicam Sedem mitterentur, cum iis conferre, quibus alii quoque confirmati nominis Episcopi interdum consulebantur? *Non ad solum* Romanum, inquit [10], *sed ad alios etiam magnæ auctoritatis Episcopos, recursus pro adcipiendis luminibus & directione sumebantur. Sic ad S.* Cyprianum *subinde, ab ipsa etiam* Romana *Ecclesia, similes relationes factæ leguntur; neque ex eo aliqua juris prærogativa pro certa Ecclesia desumi potest*. Adferat pro his Episcopis easdem Synodales leges, adferat easdem antiquas regulas, quæ *Romano* Pontifici hocce jus adseruerunt; ostendat eos quoque ex suarum sedium *potentiori principalitate* fuisse in iis, quæ dubitationem adferrent, adhibitos a *scientibus, quid* eorum *sedibus deberetur*; ostendat quæ ad eos deferrentur negocia, ita ex illorum consultationibus definita fuisse, ut *tota eorum auctoritate justa quæ fuisset pronunciatio firmaretur* (11). Tum enimvero aliquid efficiet. Verumtamen moneo eum si hoc demonstrandum susceperit, frustra laboraturum, nisi fortassis vetera, quæ plane adversantur omnia, monumenta punica fide corrumpat, atque pervertat: quod quidem ab ejus moribus alienum non esse cum sæpe animadvertimus, tum

(10) *l. c. pag.* 187.
(11) Adi Antifebr. T. I. *diss.* III. *cap.* I. *n.* 5.

tum novo heic quoque exemplo confirmabimus.

III. " *Theodosius* Imperator, inquit ille
" [12] *in leg.* 45. *Cod.* Theod. *de Episc.* & *leg* 6.
" *Cod. Justin. de SS. Eccles.* tale privilegium,
" quale *Romanus* Episcopus sibi vendicabat,
" indulsit *Constantinopolitano*. Verba legis
" sunt: *Si quid dubietatis concesserit, id oporteat, non absque scientia viri reverendissimi*
" *Sacrosanctæ legis urbis* Constantinopolitanæ
" (*quæ* Romæ *veteris prærogativa lætatur*)
" *conventui Sacerdotali, Sanctoque judicio reservari*. Hinc duo quasi sponte defluunt:
" *primum*: prætensum *Romani* Pontificis jus
" hac lege *per indirectum* confirmari, *alterum*: hoc jus relationum sua origine, tan-
" quam *verum* & *perfectum jus* nulli sedi
" proprium esse ". Adverte Lector, quot heic fraudes lateant. Ecquis hæc legens non statim existimet, relationes, quas *Theodosius* *Constantinopolitano* Episcopo adstruit, ab universis vel *Orientis*, vel saltem Provinciarum, quæ illum Archipræsulem agnoscebant, Episcopis mittendas fuisse? Atqui sermo est de solis *Illyrici* Provinciis, ex quibus quum eas *Theodosius* ab *Occidentis* Patriarchatu divulsas *Constantinopolitano* Præsuli subjecisset, non amplius *Romanum* Pontificem, uti factum hactenus fuerat, sed eumdem *Constantinopolitanum* Antistitem, siquid in illis dubietatis emer-

(12) T. I. *l. c. pag.* 187.

emergeret, consulendum deinceps edixit. En legis verba: *omni innovatione cessante, vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt*, PER OMNES ILLYRICI PROVINCIAS *servari præcipimus, ut siquid dubietatis &c.* Scilicet *diversorum Episcoporum subreptionibus per Illyricum*, ut ait *Honorius* in epistola, quam *Bonifacii* I. hortatu ad eumdem *Theodosium* hac de re scripsit, *Imperatori persuasum fuerat, id veteres Canones ferre quum potius antiquus ordo* Illyricum *Romano Pontifici servari postularet*. Deinde cur *Febronius*, qui a nobis Patriarchæ, & Primatis jura in summo Pontifice confundi tam sæpe queritur, *prætensum* Romani *Pontificis jus hac lege* (quæ de uno Patriarchico per *Illyricum* jure agit) *per indirectum confirmari* observat? nisi ut *Romæ veteris prærogativas*, quæ Imperiali lege cum *Constantinopolitano* Præsule communicari possint, ad Jus humanum detorqueat? Quid vero quod *Theodosius* perspecta ex *Honorii* litteris veritate suam illam legem penitus abrogavit? Exstat etiamnum ejus rescriptum ad *Honorium* (13), ubi ait: " Omni supplicantium Episcoporum per *Illyricum* subreptione remota, „ statuimus observari quod prisca apostolica „ disciplina & canones veteres eloquuntur. „ Super qua re secundum formam oraculi „ pe-

(13) inter epistolas Bonifac. I. *op. XI. T. I. epist. R. P. col.* 1031.

„ perennitatis tuæ, ad viros illustres præfe-
„ ctos prætorii *Illyrici* nostri scripta porre-
„ ximus, ut cessantibus Episcoporum sub-
„ reptionibus, antiquum ordinem speciali-
„ ter faciant custodiri: ne venerabilis eccle-
„ sia sanctissima Urbis privilegia a veteri-
„ bus constituta amittat, quæ perenne no-
„ bis sui nominis consecravit imperium". *Febronius* tamen primam legem obijcit, de altera silet turpissima fraude, consueto tamen illis more, qui Apostolicam Sedem cum hæreticis oblatrant.

IV. Ad alterum convocandarum Synodorum generalium jus propero. Illud ad unum *Romanum* Pontificem ex summa in Ecclesiam potestate & jure clavium spectare neque ulla umquam Concilia nisi ipso vel indicente vel curante vel saltem adsentiente celebrata fuisse certissimis argumentis in *Antifebronio* demonstravi [14]. *Febronius* tamen illis omnino neglectis in sua sententia perstat, octo priora generalia Concilia a solis Imperatoribus convocata fuisse, deinde *usu & tacito tam Ecclesiarum quam Principum consensu hoc jus generales Synodos convocandi dimis-*

[14] T. II. lib. IV. cap. I. " Quod jus, uti *Balleri-*
„ *nius* monet (*de Potest. Eccles. pag.* 88.) si tribuendum
„ est etiam Conciliis generalibus, quæ pariter jus habent
„ in universam Ecclesiam, id rarissimis in casibus adcidet,
„ nec in indictione ab istis Conciliis facienda deerit um-
„ quam auctoritas Summi Pontificis, quæ generalium Sy-
„ nodorum gestis ut rata sint, semper necessaria est."

dimissum fere fuisse soli Romano *Pontifici* (15) Quocirca monet [16] *Recessum Imperii de annis* 1524. *&* 1529. *indictionem omnium Conciliorum universalium* Romano *Pontifici &* Cæsari conjunctim *tribuisse*. Id qua veritate dici potuerit paullo post edocebo. Ceterum haud equidem existimarim Imperii Recessibus injurium esse, qui neget, aut aptos de Pontificiis juribus haberi eos judices debere, aut tanti esse, ut plus apud sapientes & orthodoxos viros valere possint quam quod Christi sententia postulat atque universæ antiquitatis documenta confirmant. Quod si non sacræ vetustatis, sed recentium ejusmodi monumentorum habenda ratio esset, recessibus Imperii aliud paullo antiquius obijceremus, & eo præstantioris auctoritatis, quod in generali Ecclesiæ Concilio procusum fuerit. Nempe in *Constantiensi* Synodo tres nationes *Italica Gallica*, & *Hispanica* generalium Conciliorum convocationem ut legitimæ haberentur a Papa esse faciendam adeo necessarium crediderunt, ut solemniter edixerint: *Vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite*, AD QUOD PERTINET CONVOCARE. Verum non his monumentis agamus. Ecclesiæ traditio consulatur, omnium retro sæculorum consuetudo consulatur. Hanc in *Antifebronio* luculentissimis testi-

[15] *T. I. cap. VI.* §. 3. *pag.* 377.
(16) *T.* II. *pag.* 471.

moniis comprobavi; hanc erat *Febronii* convellere, adhibita singulis perſpicua, & ſolida reſponſione.

V. Quamquam adhibuit. Ecce illam (17): *Non heic repetam, quæ* Febronius Cap. VI. §. 2. *protulit & ſolidis monumentis munivit de octo prioribus œcumenicis Conciliis, non alia, quam Imperatorum auctoritate indictis*. Quod quiſquilias illas ex hæreticis collectas non repetierit, gratias ago; ſed quod eas *ſolidis monumentis munitas* vocare audeat poſt ea, quibus *ſua illa monumenta* labefactata in *Antifebronio* ſunt, hoc enimvero non feram, *Febronii* opus in omnium manibus eſt; *Antifebronium* ſecunda apud *Cæſenates* editio parabiliorem fecit. Æquos ergo Lectores appello, ut opus cum opere conferant, videantque, an non cujuſdam inuſitatæ impudentiæ ſit, *ſolida*, quæ penitus convulſa ſunt, monumenta jactare, quin quidquam in promptu ſit, quo prolixe accurateque illorum confutationi occurratur. Reſponſi tamen ſpecimen [haud inficias ivero] *Febronius* dedit; ſed vel ex hoc intelligere eſt, quam *ſolidis monumentis munita ſit* ſua illa *de octo prioribus œcumenicis Conciliis* NON ALIA *quam Imperatorum auctoritate indictis* ſententia. " Heic ſolum, inquit [18] pauca addam de harum „ Synodorum poſtrema, ideſt, octava. Ipſa hæc

[17] T. II. *pag.* 471.
[18] *l. c.*

hæc Synodus Actione I. de suo convocato-
„ re *Basilio* Imp. sic loquitur & testatur:
„ *Qui universalem Synodum congregans, quæ*
„ *visa sunt Spiritui Sancto pie peregit*. Idem
„ adserunt S. *Ignattius* in sua ad Synodum ad-
„ clamatione Act. VIII. & *Metrophanes* Act.
„ VI. ipsa iterum Synodus in definitione,
„ quæ Act. VI. quæ Actione X. edita est, in
„ verbis: *Sancta, magna, & universalis Sy-*
„ *nodus, quæ per divinam voluntatem & gra-*
„ *tiam & sanctionem amicorum Christi ac Deo*
„ *confirmatorum Imperatorum nostrorum* Basilii
„ *&* Constantini *congregata est in hac a Deo*
„ *conservanda regia urbe, in famosissimo templo*
„ *Sanctæ & magni nominis* Sophiæ, *definivit*
„ *subter adnexa*. Et infra iterum de *Basilio*
„ Augusto: *Vicarios etiam ex omnibus Patri-*
„ *archalibus thronis, nec non & omnem Episco-*
„ *porum catalogum, qui sub potestate sua de-*
„ *git, in idipsum collegit: qui videlicet con-*
„ *venientes, magnam hanc & universalem cele-*
„ *bravimus Synodum*. Quamvis autem (quod
„ heic urget Zaccaria *cit. Cap. I. n.* 12.)
„ *Hadrianus* Papa per epistolam suam ad
„ *Basilium* Aug. datam, apud Harduinum
„ T. V. col. 768. declaret, se in *celebratio-*
„ *nem* hujus Concilii consentire; verum ni-
„ hilominus certumque manet, quod id so-
„ lus *convocaverit* Imperator. Igitur quoties
„ *illius* consensus necessarius non est ad ce-

„ lebra-

„ celebrationem, *hujus* propterea jus & of-
„ ficium convocandi non cessabit". De mira hac consequutione postea viderimus. Nunc de octava Synodo.

VI. Sed quæstionis antea status accurate ponendus est; ab eo enim *Febronius* sæpe sæpius aberrat. In *Antifebronio* enimvero monui, quod etiam cl. *Zallwein* (19) animadvertit, hac in quæstione jus secernendum a facto. Nam licet Imperatores priora octo Concilia convocasse daremus, inquirendum superesset, num jure id factum? Convocationem porro Conciliorum generalium jure non ad Imperatores, sed ad Ecclesiam, immo & ad unum ejus supremum Pontificem spectasse iis argumentis evicimus, quibus nihil reponi possit. Quod ad *factum* adtinet, utinam potuissent generalia Concilia cogi, quin Imperatores suam ad illa auctoritatem conferrent! " Antequam Imperatores, in-
„ quit idem *Zallwein* [20], Synodis sive
„ convocandis, sive celebrandis se se immi-
„ scuere, pacata, sancta, ac decora erant
„ omnia, nunquam jurgati Episcopi, nun-
„ quam auctoritate manifestæ hæreses, aut
„ innocentes damnati: *an unquam antea* [lo-
„ quimur cum eruditissimo *Thomassino*] *ce-*
„ *lebratæ sunt Synodi* Mediolanensi, Ariminen-
„ si, *aut* Ephesinæ II. *similes? an tunc car-*
ceres

[19] T. I. *princip. jur. Eccles. pag.* 244.
[20] *l. c. pag.* 246.

„ *ceres aut vincula crepuere?* *num* Cyrillus
„ *quisquam incarceratus*, *interemptus* Flavia-
„ nus? *at postquam* Constantinus *occupavit*,
„ *& in posteros transfudit potestatem cogendi*
„ *Synodos*, *turbata sunt omnia*, *sequutæ Episco-*
„ *porum proscriptiones*, *exilia depositiones &c.*
„ *Quis enim*, pergit Thomassinus, *ortas inde*
„ *Ecclesiæ clades mente aut calamo valeat ex-*
„ *primere?* *quis* Hierosolymitanæ, *quis* Tyriæ
„ *sub ipso Synodi labes?* *quis sub* Constantio
„ Mediolanense, Syrmiense, Ariminense
„ *flagitium?* *quis fidei formulas toties & tam*
„ *perfidiose fixas & refixas?* *ubi ita Synodis*
„ *illusum*, *& de Synodis illusum fidei*, *&*
„ *Majestati Ecclesiæ ante* Constantinum "?
Sed quoniam factum infectum fieri nequit, prudentis viri est duas veluti convocationes Synodorum distinguere, politicam alteram, alteram Ecclesiasticam. Illam Imperatores ex quadam œconomia quam temporum difficultates postulabant, indulgente, nonnunquam etiam plaudente Ecclesia sibi vindicarunt; atque per eam licebat Episcopis congregari quum omnes Imperialibus legibus conventus absque Principis facultate vetarentur, tractoriæ insuper ad publicam evectionem a Principe mittebantur, Antistites accusati, hæreticique ipsi se Conciliis Imperatoris præsidio munitis sistere cogebantur &c. (21). Ecclesiastica vero, quæ ut legiti-

[21] Vide Antifebr. T. II. *lib. IV. cap. I. pag.* 303. *seq.*

mus esset Episcoporum cœtus, ac de publicis Ecclesiæ negociis decernerent, pernecessaria erat, ad solos *Romanæ* Ecclesiæ Præsules semper pertinuit. Ea autem interdum Principis convocationem quum sequeretur, summi Pontificis consensu vel saltem confirmatione perficiebatur, sicque *Damasus* Concilio *Constantinopolitano* I. quod *Theodosius* indixerat, adsensus est; *Vigilius* autem quinctam Synodum se invito a *Justiniano* coactam postea probavit: interdum *Romano* Pontifice hortatore, aut suasore paracta est, quemadmodum de *Chalcedonensi* Synodo in *Antifebronio* ostendimus (22) ac de *Romana*, ad quam *Damasus Orientales* Episcopos invitarat, docet horum ad eumdem *Damasum* epistola (23). Quare *Rhemensis Hincmarus* generalia Concilia celebrari ajebat *Apostolica jussione & Imperiali convocatione* (24), hac ut congregari, illa ut legitime congregari Episcopi possent, neque aliud fortassis Recessus Imperii, quos *Febronius* appellat, indicare voluerunt (25). Jam vero ut ad octavam Sy-

(22) *l. c. pag.* 313.

[23] T. I. epist. Rom. Pont. edit. Coust. col. 562. *Sed quoniam fraternam erga nos caritatem ostendentes, ad Synodum, quam Dei voluntate, Romæ congregatis, nos quoque velut propria membra piissimi Imperatoris litteris evocastis.*

(24) *ep. XXXIII. ad* Hincmar. Laudun.

(25) Quæ hactenus dixi, præclarissimi Præsulis *Gallicani* verbis illustremus, ut quam a *Gallicanæ* Ecclesiæ senten-

Synodum ſermonem convertam, fallitur *Febronius*, quum *Hadrianum* II. ejus convocationi adſenſiſſe ſcribit. *Volumus ergo*, inquit Pontifex in epiſtola ad *Baſilium* Imperato-

tentia heic quoque *Febronius* abhorreat , palam fiat . Is eſt Illuſtriſſimus *Podienſis* Antiſtes in libro inſcripto : *Defenſe des Actes du Clergè de France* 1769. [*P. I. pag.* 69.)
„ Quelque part , *inquit ille* , qu' on ait voulu donner a
„ l' autoritè ſeculiere dans la convocation des Conciles ,
„ il faut *renoncer a tous les principes de la Catholicitè* ,
„ ou convenir , que c' eſt a l' autoritè eccleſiaſtique de
„ dècider , ſi cette convocation eſt neceſſaire & utile a la
„ Religion ; que c' eſt a elle d' ordonner par le motif de
„ l' obeiſſance canonique aux Prèlats , qui doivent com-
„ poſer ces Conciles , de ſe rendre au temps & au lieu
„ indiquès , s' ils n' ont pas des juſtes raiſons , qui les
„ empechent . D' ailleurs il eſt tres-certain , que l' auto-
„ ritè eccleſiaſtique doit indiſpenſablement ſe concerter
„ avec la ſeculiere ; qu' elle ne peut ſe paſſer de ſon con-
„ ſentement pour aſſembler & pour cèlèbrer un Concile ;
„ qu' elle manifeſteroit vainement ſes intentions a cet
„ ègard, ſi celle-ci ne fourniſſoit un territoire propre a la
„ tenue du Concile , ſi elle ne permettoit aux Prelats ,
„ qui dependent d' elle , d' y aller , & d' y paſſer tout le
„ temps neceſſaire ; ſi elle ne protegeoit la libertè du Con-
„ cile , lorſqu' on peut craindre , qu' elle ne ſoit troublèe
„ par des violences & des hoſtilitès . On ſait auſſi , que
„ les Empereurs Chretiens , dont les Etats renfermoient
„ une tres-grande partie de l' Egliſe Chatolique , concou-
„ roient a la celebration des Conciles par les ordres , qu'
„ ils donnoient aux Gouverneurs des provinces & aux
„ Magiſtrats des villes , pour faciliter le voyage des Eve-
„ ques , & pour qu' ils fuſſent de frayes , ſoit dans leur
„ route , ſoit dans leur ſejour . Mais il n' en eſt pas mo-
„ ins vrai , que tout ce qu' il y a de ſpirituel dans la
„ convocation des Conciles , je veux dire le jugement des
„ motifs , qui exigent cette convocation , & l' obligation
„ Canonique d' y obeir , impoſe a tous ceux qu' elle re-
„ garde , eſt du reſſort de l' autoritè eccleſiaſtique . “

rem, quam in *Antifebronio* appellavi (26); *per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrare Concilium*. Hæccine sunt adsentientis, an non potius Concilium sua auctoritate convocantis, solasque exequutionis partes *Basilio* relinquentis? Hoc certe *Anastasius Bibliothecarius*, non illud sibi persuaserat, quum in præfatione ad ejus Synodi acta ita *Hadrianum* adloqueretur: *Missis cum auctoritate Apostolica Vicariis & Epistolis Decretalibus* JUSSISTI *fieri* Constantinopoli *Synodum*.

V. *Miram* porro dixi, (paradoxam vocare potius debueram) illam *Febronii* consequutionem: *igitur quoties* illius [Pontificis] *consensus necessarius non est ad celebrationem bujus* (Imperatoris) *propterea jus & officium convocandi non cessabit*. Quis enim hancce umquam collectionem expectasset eo loco, ubi ipse fatetur, *Hadrianum* II. saltem in *celebrationem Constatinopolitani* Concilii consensisse? Sed nempe *Febronio* sat est venenatum illud de Synodis etiam invito Pontifice celebrandis dogma inspirare; idne jure atque apte fiat, non admodum curat. Desperet tamen (edico), se fidem impetraturum, dum aliqua in sacram antiquitatem reverentia supererit. " Ecclesia, inquit cl.
„ *Paullus Josephus de Riegger* (27), Concilio-
„ rum generalium classi numquam adscripsit
„ illa

[26] *l. c. pag.* 315.
[27] *Diss. de Concil. pag.* 138.

„ illa, quæ invito & penitus reluctante Pon„ tifice *Romano* celebrata fuere. Hinc *Julius* „ I. P. inter *caussas*, ob quas Synodum *Antiochenam* ab *Arrianis* celebratam damnavit, hanc refert: *Quod contra canones ipsum ad Synodum non vocassent, quum Ecclesiastica regula interdictum sit, ne præter sententiam* Romani *Episcopi quidquam ab Ecclesia decernatur*. Vid. *Ejus epist. ad Episc. Orient.* quæ tota extat apud *Athanas. Apolog. II.* pars vero *in C. 9. III. q. 3.* quod etiam declarat *Socrates l. II. C.* 8. producens canonem Ecclesiæ antiquissimum, quo sancitur: *ne absque consensu* Romani *Episcopi quidquam in Ecclesia decernatur*. Aut ut rem exponit *Sozomen. lib. III.C.*10. *legem esse*, inquit, *Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter sententiam* Romani *Episcopi fuerint gesta* (28). „ Hinc Concilii *Chalcedonensis* Patres *Dioscoro* Patriarchæ *Alexandrino* nullum locum concessere, *quia sine Episcopi* Romani *auctoritate Synodum ausus est facere, quod nunquam factum est*". (29) In VII. quoque Synodo quum *Iconoclastæ* nescio quod *Constantinopolitanum* Concilium jactarent, quod etiam *œcumenici* nomine decorabant, Patres responderunt [30]: *quomodo magna & generalis*

 Ico-

[28] *Confer* Ballerinium *de potest. Eccles. pag.* 240. & Antifebr. *T. II. lib. IV. cap. I. n.* 13. *pag.* 315.

[29] NEC FIERI LICUIT. *Conc. Chalc. Act. I.*

[30] *Act.* VI.

Iconomachorum *Synodus ? Quæ non habuit cooperantem illius temporis Papam , vel Sacerdotes ejus, neque per legatos, neque per Encyclicam epiſtolam, ut poſtulat lex Conciliorum*.

VI. Ab eadem ſacra antiquitate plurimum abeſt , quod paullo poſt *Febronius* ingerit , ut Concilium invito Summo Pontifice cogi poſſe acrius inculcet . " Præſidium , inquit „ [31], Concilii *Romano* Pontifici *regulariter* „ competere , ſive per ſe in eo compareat, „ ſive per legatos , dixit *Febronius cap. VI.* „ §. 4. *n.* 1. (32) Illud ei , ejuſque Lega„ tis *ſemper* deberi , & ne ab ipſa quidem „ Synodo alteri deferri poſſe , neque um„ quam delatum fuiſſe , contendit *Zaccaria* „ *T. II. lib. IV. Cap.* 2. Nos hanc quæſtio„ nem, partim hiſtoricam , partim canoni„ cam , aliis ſolvendam relinquimus " eadem aliis ratione relinquere poterat confutandi *Antifebronii* provinciam , quid enim aliis ſolvendam relinquit quæſtionem , quæ ideo a me pertractata fuit, ut quæ *Febronius* ſuper ea dixerat, pro argumenti gravitate refellerem] Illam vero quæſtionem prætermitti „ connexitas materiæ vetat, *Quid agendum* „ *ſit ſi Papa præſidium eo fine & intuitu* „ *de-*

[31] T. II. *pag.* 472.

[32] Aliquid heic *Febronii* vindex diſſimulat, quod magni tamen momenti eſt . *Febronius* citato prioris voluminis loco dixerat , *præſidium* Conciliorum *hierarchicum Romano* Pontifici congruere *in regula , & niſi Concilio aliter videatur ; in hujus etenim facultate eſt etiam præſentibus Pontificiis Legatis alteri deferre præſidium* .

„ *declinet, ut cursum Synodi sistat, aut rum-*
„ *pat*. Nos huic quæstioni respondebimus
„ verbis Benedicti Oberhauser *Prælect. Juris*
„ *Canon. lib. II. pag.* 148. *Est vero & quod*
„ *in casu, quo adesse non velit, aut non possit*
„ *Pontifex, negem, Concilium eapropter ace-*
„ *phalum reddi. Enimvero Pontifex rationem*
„ *quidem primi Episcopi habet, sed non solus*
„ *est Episcopus in Ecclesia; nec defuncto Epi-*
„ *scopo* Romano *universa Ecclesia vacare cen-*
„ *setur. Ut ergo sublato Pontifice Ecclesia non*
„ *vacat, ita nec renuente Pontifice acephala est.*
„ *Est Pontifex in Concilio Præses, quo genere*
„ *officii si primus defungi nolit, ordine secun-*
„ *dus aut tertius, & sic de reliquis, potietur.*
„ *Ita sane Concilium V. cui adesse renuit* Vi-
„ gilius, *minime sine præside unquam acepha-*
„ *lum est proclamatum. Ego quippe eodem mo-*
„ *do de Pontifice respectu Concilii Œcumenici*
„ *censeo, sicut de Metropolita respectu Concilii*
„ *provincialis statuimus*. Quid dici audacius
potuit? Adcommodatissimum tamen est ad schismaticum illud de generali Synodo invito Pontifice celebranda decretum, quod unum *Febronio* cordi est.

VII. Fallitur tamen. " *Romanum* Ponti-
„ ficem, inquit Ballerinius (33) vel per se,
„ vel per Legatos œcumenico Concilio a-

 „ desse

(33) *de potest. Eccles. pag.* 52.

„ deſſe ita neceſſarium eſt, ut ſi deſit Sy-
„ nodus etiamſi Epiſcoporum numero fre-
„ quentiſſima, generalis non ſit, nec eſſe
„ poſſit. Synodus nimirum generalis idcir-
„ co per ſe maximi eſt præ quibuſcumque
„ particularibus conciliis, quia ob Epiſco-
„ pos ex tota Eccleſia congregatos repræ-
„ ſentat univerſalem Eccleſiam. Hæc autem
„ quum ſit Corpus Chriſti viſibile, viſibili ca-
„ pite prædita eſt, quod ipſi a Chriſto in S.
„ *Petro* ejuſque ſucceſſoribus conſtitutum fuit.
„ Hocce caput per ſe Eccleſiæ perſonam ge-
„ rens (ut de S. *Petro Auguſtinus* loquitur)
„ quomodo Eccleſiam repræſentare queat,
„ commode explicare & intelligere licet:
„ ſolum vero corpus non ita; quum corpus
„ ſine capite truncus ſit, qui totum homi-
„ nem nec repræſentat, nec repræſentare
„ poteſt. Epiſcopi, qui ſuarum cujuſque Ec-
„ cleſiarum, metropoleon, vel ampliorum
„ diœceſeon ſunt capita, earum perſonam
„ repræſentare queunt; totius vero Eccleſiæ,
„ cujus nemo illorum eſt caput, nequeunt
„ perſonam gerere, nec eamdem univerſa-
„ lem Eccleſiam repræſentare, niſi cum ip-
„ ſis ſit ſummus Pontifex, qui ſolus jure
„ divino eſt totius Catholicæ Eccleſiæ ca-
„ put". Audenter itaque cum cl. *Rieggero*
(34) dicimus SOLI Pontifici, *aut miſſis ab*
eo

(34) Diſſ. cit. pag. 144. Sed nefas ſit ea prætermitte-
„ re,

eo *Legatis jus Conciliis præsidendi tribuendum esse*. " Normam sane, ut idem *Rieggerus* ,, animadvertit, Conciliis dedit illa Aposto- ,, lorum *Hierosolymis* celebrata Synodus. In ,, hac autem, quum Apostoli ad danda suf- ,, fragia se se moverent, primus surrexit ,, *Petrus*, & loquutus est *Actor. XV.* 7. Quod ,, jus ex divina ordinatione ipsi compete- ,, bat, ob quod etiam *primus* nominatur a- ,, pud *Matth.* X. 2. Quum autem sicut reli- ,, quorum Apostolorum successores Episco- ,, pi, ita *Petri* in Ecclesia *Romana* successor ,, sit Episcopus *Romanus*, sequitur hanc *Pe-*

,, *tri*

re, quæ nuper appellatus Podiensis Antistes eodem loco in rem præsentem differit. " Les assemblèes Hierarchiques, ,, inquit, ont, s' il est permis de parler ainsi, un Chef, ,, & un President nè. Le souverain Pontife preside DE ,, PLEIN DROIT aux Conciles generaux. Les Prote- ,, stans, & des Theologiens de notre communion, qui ai- ,, ment a se rapprocher d' eux [en Febronium a Podiensi ,, Episcopo designatum; & hic se Gallicanæ Ecclesiæ præ- ,, sidio tueri posthac audebit?] ont fait d' inutiles efforts ,, pour obscurcir cette Presidence dans les anciens Conciles ,, Oecumeniques. Si l' on n' excepte le second, & le cin- ,, quieme, qui n' obtinrent ce titre, que par l' accession ,, posterieure des Papes, & de l' occident, tous les Con- ,, ciles Generaux a commencer par celui de *Nicèe*, ont ètè ,, certainemeut prèsidès par les souverains Pontifes, ou par ,, leurs Legats . . . seroit-il possible en effet, qu' une As- ,, semblèe, qui selon l' expression de *Tertullien* est la *re-* ,, *presentation de tout le nom chretien*, ou n' eut point de ,, chef, ou s' en donnat un autre, que celui, qui par ,, l' institution de *Jesus-Christ* est le Chef visible de son ,, Eglise?

„ *tri* poteſtatem in ejus ſucceſſores quaſi ju„ re hereditario derivatam fuiſſe.“

VIII. Quod autem ex *Oberhauſero* *Febronius* de *Vigilio* obſervat, hominem eruditum non admodum decet. *Benedictinum* *Benedictino* opponimus, *Oberhauſero* *Zallweinium*; quocum dicimus (35): *Synodo* Conſtantinop. Vigilium *nec per ſe nec per Legatos præfuiſſe ſponte fatemur. Sed quæ hujus cauſſa? profecto non alia, quam quod præeſſe noluerit. Fuit* Vigilius Conſtantinopoli *præſens, fuit invitatus, potuiſſet intereſſe & præeſſe* (36); *ſed noluit* (37). *Voluit ergo potius Synodum ſuo Conſtituto, quam ſua confirmare præſentia.* Minus autem Theologo dignum eſt argumentum, quod ejuſdem *Oberhauſeri* verbis proponitur. Utique Pontifex *non ſolus eſt Epiſcopus in Eccleſia;* caput tamen eſt Epiſcoporum Eccleſiæque. Quamobrem quæ a capite diſiungeretur Eccleſia, *acephala* merito ac jure appel-

(35) T. I. *pag.* 249.

(36) Teſtem do *Eutychii Conſtantinopolitani* ad ipſum *Vigilium* epiſtolam: *Neceſſarium eſt conferri de Tribus Capitulis, unde quibuſdam quæſtio nata eſt. Et ideo petimus, Præſidente nobis veſtra Beatitudine, ſub tranquillitate & Sacerdotali manſuetudine propoſitis ſanctis Evangeliis communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri, & conferri & finem quæſtioni imponi Deo placitum &c.*

(37) *Noluit autem Pontifex*, *inquit idem Zallwein* [ib. p. 210.] *intereſſe Concilio, quod Synodus contra pactas conditiones fuerit coacta, quas inter etiam hæc erat, ut in dijudicanda cauſſa trium capitulorum tot eſſent Epiſcopi* Latini, *quot* Græci. Vid. Graveſon ad ſæc. VI. pag. 63.

pellaretur. At *universa Ecclesia non vacat*: quibus? Episcopis? ita sane; *vacat* tamen (ut *Oberhauseri* phrasi utar) capite, igitur & defuncto, & renuente Pontifice *acephala* est truncusque sine capite. Urget tamen *Febronius* (38), *caput* essentiale, *quod est Christus* JESUS *Ecclesiæ numquam defuturum*, *utcumque* ministeriale *caput deficiat*; *alioquin sequeretur*, *quod* Romana *Sede per obitum vacante* (*quales vacationes nonnumquam per annos durarunt*) *Ecclesia relinquatur neque integra neque perfecta*, *atque adeo toto illo tempore perstet in deplorabili confusione usque ad electionem novi Pontificis*; *quod nemo æquus & prudens admittet*. Pontifice scilicet demortuo Christus Ecclesiam suam regit; dum autem Pontifex, super quem in *Petro ædificavit Ecclesiam suam*, in vivis est, ab eo vult Ecclesiam consilio & adsensu, qui capiti præ ceteris membris competit, gubernari. Ut quid enim supremum Ecclesiæ Pastorem *Petrum* constituisset, si ipse solo suo auxilio voluisset vivente *Petro* Ecclesiam sustentare? Sed quoniam defuncti Pontificis mentionem *Febronius* iniecit, opportunum erit *Ballerinii* argumentum adtexere (39). " Clerus *Roma-*
" *nus* in litteris ad *Cyprianum* datis post S.
" *Fa-*

[38] *l. c. pag.* 473.
(39) *l. c. pag.* 53.

„ *Fabiani* mortem, innuit ſe non poſſe quid-
„ quam decernere in cauſſa de lapſis, de
„ qua *Africani* ſcripſerant, hac ratione ad-
„ lata, quia nondum *Fabiani* ſucceſſor fue-
„ rat conſtitutus, *qui omnia iſta moderetur,*
„ *& eorum qui lapſi ſunt poſſit cum* AUCTORI-
„ TATE *&* CONSILIO *habere rationem* (40).
„ *Conſilium* ad directionem, *auctoritas* ad ju-
„ riſdictionem & vim coactivam refertur.
„ Si in Concilio particulari *Romanæ* Eccle-
„ ſiæ tanta capitis neceſſitas eſt, nonne in
„ univerſalis quoque Eccleſiæ Synodo, ſi
„ non major, eadem ſaltem capitis neceſſi-
„ tas, eademque neceſſitatis ratio eſt agno-
„ ſcenda, ita ut S. *Petri* ſucceſſores tam-
„ quam univerſalis Eccleſiæ & generalium
„ Conciliorum capita poteſtate ſibi a Chri-
„ ſto tradita utentes, omnia geſta non mi-
„ nus conſilio dirigant, quam muniant au-
„ ctoritate, atque conſenſu"? Nec tamen *Febronius* conticeſcit. *In Provinciali Concilio;* inquit (41) *abſente Metropolita non præſidet ejus Legatus, ſed Decanus, ideſt primus inter Epiſcopos Provinciæ.* Sed quorſum hæc? Si legitimo Concilio, quod Pontifex indixerit, præeſſe alium ab ejus legatis debere *Febronius* contendit, norit Eccleſiam, quæ de Provincialibus Conciliis ita ſtatuit *Romano-*

rum

(40) *Ep.* XXXII. *inter* Cyprian.
[41] *l. c.*

rum Pontificum Legatis id honoris a se tribuendum agnovisse, ut quemadmodum si Conciliis Pontifex ipse interesset, nemo cum illo de præsidendi auctoritate certare auderet, ita omnes Episcopis ejus Legatis primas concederent. Immo id in mandatis sæpe *Romani* Pontifices suis Legatis dabant, ut Concilio, ad quod mittebantur, præessent. *Nostram parvitatem* (his S. *Leonis* Legatus *Paschasinus Chalcedonenses* Patres adloquebatur) *huic Sancto Concilio* pro se præsidere PRÆCEPIT (42). Sin autem eo Provincialis Concilii exemplo *Febronius* suo illi Concilio, quod invito Pontifice convocaretur, præsidem dare se posse confidit, vehementer errat. Invito enim Metropolita celebrari potest Provinciale Concilium, quum superior adsit Pontifex, qui Provinciæ Episcopos in Concilium cogat; at cuinam facultas est congregandæ invito Pontifice generalis Synodi? Antequam ergo de Concilii Præside cogitet, illud *Febronio* adlaborandum est, ut omni traditionis & Ecclesiasticæ antiquitatis auctoritate proculcata atque adeo Primatus a Christo constituti omni ratione posthabita, cogi invito Pontifice generale Concilium posse Christianis hominibus persuadeat. Cavendum autem sibi maxime existimet, ne inanibus, ridiculisque fallaciis ad id

(42) *Act.* III.

id utatur, cujuſmodi illa eſt (43) ex Theologorum & Canoniſtarum *Italorum* ſententia Pontifices *eſſe Oecumenicarum Synodorum dominos, ac deſpotas*. Placere hæc hæreticis poſſunt; poſſunt apud rudiores Catholicos fidem aliquam invenire; piis ac peritioribus unam Scriptoris malevolentiam, ac temeritatem produnt.

DIS-

[43] T. II. *pag.* 472.

DISSERTATIO VIII.

De juribus , quæ a Romano *Pontifice usurpata per summam Episcoporum iniuriam fuisse* Febronius *queritur .*

CAPUT I.

De Episcoporum electionibus quæritur , num a Romanis *Pontificibus subdole , atque injuste fuerint Metropolitanis , Synodisque Provinciarum ereptæ ?*

I. AD ea *Romani* Primatus jura devenimus , quæ nulla , atque adeo injusta esse *Febronius* confidentissime edicit . Spectant autem illa ad Episcoporum electiones, confirmationes , translationes , cum primis vero ad judiciariam in eos potestatem . Ac de Episcoporum caussis copiosior erit postea pro materiæ gravitate ineunda disputatio , in qua etiam de appellationibus multa sunt a nobis iteranda , ut inconsulta adversarii temeritas retundatur . Nunc illa breviter quoad fieri poterit , percurramus , quibus Episcoporum electiones , ceteraque ejusmodi continentur . Quum enim ex historicis sacræ antiquitatis monumentis quidquid ad hoc argumenti genus refertur , uberrime , solide-

que

que in *Antifebronio* perpenſum ſit (1), id unum reſtat, ut univerſæ hujus quæſtionis ſtatu accurate poſito, illiſque, quæ ibi adtulimus, breviter retractatis omnis evadendi locus adverſario præcludatur.

II. Ut igitur ab Epiſcoporum Electionibus hoc capite exordiamur, vel a vicinioribus Epiſcopis cum Metropolitano in Synodum apud Eccleſiam Paſtore viduatam, aut apud Metropolim coactis, vel a Metropolitano ad Cleri populique ſuffragia coram Epiſcopo *viſitatore*, quem in *Africæ interventorem*, ſeu *interceſſorem* appellabant, collecta, atque examinata Epiſcopos fuiſſe olim delectos libens adſentior. Sed *Febronio*, ut hac vetere diſciplina ad infirmandas *Romanorum* Pontificum, quas dicimus, *reſervationes* aliqua veri ſpecie abuteretur, duo fuerant antea demonſtranda: iſtud ſcilicet Metropolitanorum, Synodorumque jus ejuſmodi fuiſſe, ut nullæ in hiſce antiſtitum electionibus eſſent *Romani* Pontificis partes; nullum præterea exſtare nomen, quo ſummus Pontifex ejuſmodi jus uni ſibi vindicarit. Neutrum porro ab eo præſtitum, immo ne tentatum quidem, niſi verbis, ac calumnioſis declamationibus. Nos contra utrumque falſo adfirmari palam fecimus, atque heic iterum oſtendimus.

III. Hoc itaque primo ſtatuimus, *Occidentalium*

(1) T. II. *lib.* I. *cap.* IV. & *V.*

talium Epiſcoporum electiones ita Metropolitanorum, ac Synodorum juri obnoxias fuiſſe, ut a *Romani* tamen Pontificis imperio liberæ omnino non eſſent. Etenim I. nihil eorum, quæ ad ejuſmodi electiones pertinent, ſive eligendos, ſive electores, ſive ipſius electionis formam ſpectes, deſignare erit, de quo Apoſtolica Sedes pro ſua auctoritate multa ſæpius non præſcripſerit obſervanda; immo quæ ſaltem in *occidente* ſervata eſt univerſa electionum norma, eam ad Romanorum Pontificum leges prorſus exactam invenias (2). 2. Electiones a *Romano* Pontifice confirmari debuerunt; de quo mox. 3. Si quæ ſuper electionibus controverſia oriebatur, ad *Romanos* Pontifices dirimenda mittebatur, quemadmodum in *Hiſpaniis* contigit, unde *Minicii*, & *Rufini* ad *Innocentium* I. *Silvani* & *Irenæi* ad *Hilarum* cauſſam delatam novimus [3]. 4. Interdum electione a ſummis Pontificibus improbatas legimus, alioſque electis ex ſuæ ſedis jure ſuffectos. Illuſtre hujus rei exemplum

(2) Confer decretales epiſtolas *Siricii* ad *Himerium*, & ad *Orthodoxos*; *Innocentii* I. ad *Victricium*, & ad Synodum *Toletanam*; *Zoſimi* ad *Patroclum*, itemque *ad Clerum*, *Ordinem*, *Plebemque Maſſilienſem*; *Cœleſtini* ad Epiſcopos per *Viennenſem* & *Narbonenſem* Provincias; S. *Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*, *Symmachi* ad *Cæſarium Arelatenſem*; S. *Gregorii* Magni *lib.* II. *ep.* 19. *vet. edit.*

(3) Hæc aliaque exempla congerit cl. P. Bianchi T. IV. *cap.* III. §. 2.

in *Antifebronio* dederam (4). Nempe *Cæciliani* cauſſa dum ageretur, *duos Epiſcopos ad* Africam *miſſos Optatus Milevitanus* refert (5), *ut remotis duobus unum ordinarent*. Porro quemadmodum doctiſſimus Præſul *Albaſpinæus* animadvertit (6), *neceſſe eſt fateri, hos duos Epiſcopos* (*Eunomium* & *Olympium*) *a ſummo Pontifice fuiſſe miſſos; alioquin poteſtatem non habuiſſent alium in* Africa *ordinandi*. Quoniam vero *Febronius* S. *Gregorii* M. manſuetudine abutitur (7), audiat, quid modeſtiſſimus ille Pontifex egerit cum duobus electis *Ravennatis* Eccleſiæ Metropolitanis, *Donato*, & *Johanne*. Utrumque *Gregorius* rejecit, ac *Marinianum* licet adverſantem elegit ipſe, atque ordinavit (8). Quum etiam ab *Ariminenſibus* electum adcepiſſet *Ocleatinum*, abnuit *Gregorius*, atque ad *Severum* Epiſcopum *viſitatorem* litteras dedit quibus electores aut alium ſi adeſſet, ex illius Eccleſiæ gremio in

(4) T. II. *lib.* I. *cap.* IV. n. 16.

(5) *l.* I. *contr.* Parmenian.

[6] *not. in cit.* Optati *locum*.

(7) T. II. pag. 420., ubi ait: ante omnia autem pro „ gloria ſanctiſſimi viri obſervaſſe juvat, eum per epiſtolas frequenter monuiſſe ut per canonicas Cleri populique electiones vacantibus Eccleſiis ſine longa mora provideretur; ipſe vero numquam illis nominando Epiſcopos providit. Vid. *lib. V. Ep.* 23. *lib. VII. Ep.* 19. *lib. IX. Ep.* 77. Quinimmo *lib.* III. *Epiſt.* 29. adſeverat, nulli ſe ſe umquam Epiſcopali electioni favore cujuſcumque demum perſonæ immiſcuiſſe &c. "

(8) Vide S. *Gregorium* M. *epiſt. lib.* I. *ep.* 57. juxta novum ordinem.

in Episcopali Sede collocare, aut quem ipse indicabat, præficere jubebatur (9). Qua in re Metropolitico certo jure usum fuisse *Gregorium* ne fingere quidem possumus, quum illud in *Ravennatem* Ecclesiam, quæ Metropolitana erat, atque in *Ariminensem Ravennati* Metropolitæ subjectam exercuerit. 5. Metropolitas ordinationum jure privari a se posse *Romani* Pontifices multo ante Decretalium *Isidorianarum* commenta censuerunt, atque professi sunt. Recolantur heic, quæ de *Johanne Ravennate* in *Antifebronio* narrasse me memini [10]. Ordinaverat hic *Mutinensem* Episcopum *Gregorium* maxime invitum. Qua de caussa *Simplcius* a. 482. *Johannem* graviter objurgavit, tum palam edixit, *quod si posthac quidquam tale præsumpsisset, & aliquem seu Episcopum, seu Presbyterum, seu diaconum invitum facere forte credidisset ordinationes sibi* Ravennatis *Ecclesiæ, vel* Æmiliensis *nosset auferendas* (11). Ecquis autem isthæc perpendens non statim intelligat, nihil tam a vero abesse, quam in Episcoporum electionibus Synodis ac Metropolitanis jus tribuere, quod *Romanos* Pontifices penitus excluderet?

IV. Id enimvero exploratius fiet, si quod altero loco demonstrandum suscipio, *Roma-*

(9) Confer *citat. epist.* 57. *lib. I.*
[10] *l. c. n.* 8. *pag.* 70. *edit.* Pisaur.
(11) Simplic. *ep.* II.

næ Ecclesiæ Præsules multis nominibus potuisse Episcopalium electionum jus sibi servare effecero. Atque illud cum primis animadverti velim, duplex Episcoporum genus exstare, alterum eorum, qui ad gentes ab idolorum cultu revocandas mittebantur, cujusmodi *Cajus* ille Presbyter *Episcopus gentium* a *Zephyrino* constitutus; alterum eorum, qui Christianorum cœtibus præsunt. Quod ad gentium Antistites spectat, negarit nemo plerosque ab Apostolica Sede profectos fuisse, quum *sit manifestum*, uti ad *Decentium Eugubinum Innocentius* I. perscripsit, *in omnem* Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, *atque* Siciliam, *Insulasque interiacentes* (verbo universas Occidentales plagas) *nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus* Petrus, *aut ejus successores constituerunt Sacerdotes*. Patriarchalis porro juris esse omnium omnino Episcoporum, qui Christianis præficiantur Ecclesiis, ordinationes (12) superioris dissertationis capite tertio cum de *Marca* (13) aliisque doctissimis viris indicavimus. Quamvis enim ne Episcopi itinerum longinquitate ac difficultate fatigarentur, consultius visum fuerit, ut Episcopi saltem magis dissiti a Metropolitanis, hi tan-

[12] Ordinationis nomen eo heic sensu usurpo, quo Græci χειροτονιας vocabulo cum ad consecrationem tum ad electionem Episcoporum designandam utuntur.

[13] *de Conc. lib. I. cap. VII. n.* I.

tantum a Patriarchis ordinarentur; nativo tamen jure omnes penitus sive Metropolitanorum sive Episcoporum ordinationes ad Patriarchas pertinebant, atque ad eum præcipue, a *quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit* (14). Atque hac ordinandorum quorumcumque Episcoporum potestate usos fuisse *Romanos* Antistites, ut cetera deessent argumenta, Pontificalis liber ostendit. Narrat in eo *Anastasius Sylvestrum fecisse per diversa loca Episcopos septuaginta quinque*, *Damasum* septuaginta duos, *Innocentium* I. quinquaginta quatuor. Ridiculus esset, qui in *Italia*, multoque magis, qui cum *Giannonio* in solis suburbicariis regionibus hosce Episcopos quæreret. Quid enim? Anne vir prudens sibi persuadeat XXII. *Silvestri* annis LXXV., octodecim *Damasi* LXXII. sexdecim *Innocentii* I. quinquaginta quatuor aut in suburbicariis regionibus, aut in sola *Italia* vacasse Episcopatus? Audi majora. *Sixtus* III. novem annis Pontificatum gessit, Episcopos autem ordinavit sex & quadraginta; octo *Cœlestinus*, duosque supra quinquaginta ordinavit Episcopos; viginti S. *Leo* M. ordinavitque octoginta quinque supra centum Episcopos. Octo igitur, ac triginta annorum spatio ducenti atque octoginta tres vacarunt Episcopatus. Credamne vacasse in

 sola

(14) Innoc. I. *ep.* 29. *ad Episcopos Carthag. Conc. col.* 888. *Coust.*

ſola *Italia*? in ſolis ſuburbicariis regionibus? Stolidiſſimus ſim, ſi credulitatem hucuſque proveham. Profectò extra *Italiam* ſtatuendi ſunt horum non pauci, quos indicati Pontifices *per diverſa loca fecerunt*, *Epiſcopi*. Quamobrem dubitari non poteſt, quin ſummi illi *Romanæ* Eccleſiæ Antiſtites jus ſuum in his ordinandis explicuerint. Itaque ſi rem penitius ſpectemus, *Romanos* Pontifices, dum Epiſcoporum electiones ſibi adſcripſerunt, nil demum feciſſe comperiemus, quam ut eas ad primæva ſuæ Sedis jura revocarent. Rem exemplo illuſtro. Nullum exſtat certius Patriarcharum jus, quam Metropolitanorum ordinatio. Nihilo tamen minus, ut in fragmento epiſtolæ *Pelagii* I. legimus *is mos antiquus fuit*, *ut quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apoſtolico oneroſum illis* (*Mediolanenſi*, & *Aquilejenſi* Metropolitis) *fuerat ordinari*, *ipſi ſe invicem* Mediolanenſis *&* Aquilejenſis *ordinare Epiſcopi debuiſſent*. S. quoque *Gregorius Magnus*, ac poſt eum *Honorius* I. *Londinenſi* & *Eboracenſi* Archiepiſcopis indulſit, ut non *Romæ*, ſed in Eccleſiarum ſuarum Synodis conſecrarentur, *ne*, inquit *Beda* (15) *ſit neceſſe ad* Romanam *uſque civitatem per tam prolixa terrarum*, *&* *maris ſpatia pro ordinando Archiepiſcopo ſemper fatigari*. Finge jam, recentiores Pontifices horum Metropolitanorum ordinationes gra-

(15) *l.* II. *hiſt. Anglor. cap.* 18.

gravi adcedente cauſſa ſibi ſervaſſe. Querine potuiſſent Archiepiſcopi illi, ac læſa ſua ipſorum jura Apoſtolicæ Sedi exprobrare? Minime vero. Hoc enim nihil aliud fuiſſet, quam antiquiſſimam revocare diſciplinam, atque illorum ordinationes ad ſuum veluti principium referre. Idem dic de ceterorum Epiſcoporum ordinationibus. *Febronius* fortaſſis id poſſe Romanos Pontifices inficietur; at meminerit, ſe auctore (16) *quæ ab Epiſcopis Pontifici libere dimiſſa ſunt, ſi ille eis abutatur, recipi poſſe & debere*. Quidni ergo Pontifici in ſua jura, de quibus aliquid Metropolitanis, & Synodis ceſſerit, ubi id Eccleſiæ utilitas poſcat, redire liceat? (17)

[16] T. II. *pag.* 324.

(17) Recte ergo *Thomaſſinus* ajebat (T. II. *lib.* II. *cap.* VIII. *n.* 7.) " Si *Romanus* Pontifex ante aliquot jam „ ſæcula cœpit ſolus pene diſpenſare omnes Epiſcopatus „ orbis Chriſtiani, qui & ipſe fere jam *Romanus* Patriar„ chatus finibus coarctatur: ſi unum in eum propemo„ dum coaluiſſe videntur omnia Metropolitarum priſca ju„ ra; ſi poſtremæ hujus ætatis interpretes Canonum & „ Decretorum, Collatorem, & ſummum omnium benefi„ ciorum fere diſpenſatorem illum dixere: ea quidem Ec„ cleſiaſticæ diſciplinæ immutatio viciſſitudini rerum hu„ manarum, & temporum lapſibus merito adſcribenda eſt; „ ſed ejus tamen recentioris diſciplinæ præluſiones quaſ„ dam & veſtigia juvabit obſervaſſe prioribus adeoque & „ vetuſtiſſimis ſæculis impreſſa. Ne dubitari quidem po„ teſt, quin Apoſtoli, & maxime Apoſtolorum Principes „ ſumma quadam poteſtate uterentur in creandis Epiſco„ patibus novis, & in Epiſcopis deligendis. Ubi ab illis „ creati ſunt Metropolitani, non ſuo ſe illi funditus pri-

„ ſco

V. At, inquiet *Febronius*, hoc quod hactenus proposuimus, Jus esse non Primatis, sed *Patriarchæ*. Ita sane est. Verum ego satis ridere non possum quorumdam hominum inscitiam, qui quum nostris temporibus Ecclesia *Occidentalis* Patriarchatus finibus fere contineatur, non animadvertunt, non posse se nisi per summam injuriam *Romanis* Præsulibus ea denegare, quæ si Patriarchale tantum jus spectetur, essent ex vetere, constantique disciplina illis penitus concedenda. Quid enim ineptius, quam læsam Episcoporum Synodorumque dignitatem ab istiusmodi censoribus oggeri, quum ea, quibus tantam Episcopis, Synodisque perniciem inferri clamant, in *occidentali* demum Patriarchatu summi Pontifices faciant, in illa scilicet Christiani orbis parte, in qua licet universæ Ecclesiæ Primates non essent Patriarchali tamen auctoritate eadem possent? Nihil equidem, si sapimus, ad depellendas *Febronii*

„ sco exuerunt jure in Episcopos, & in ipsos Merropolitanos. Iterum iterumque conculcandum illlud est, Episcoporum imperium super alios Episcopos Apostolorum æque successores proficisci ab ejus prærogativæ imitatione & expressione, qua Christus *Petrum* decoravit, extulitque supra alios Apostolos. Itaque tres illi majorum gentium Episcopi, qui *Petri* peculiares fuere successores in tribus Ecclesiis Patriarchalibus, ingentem semper retinuere auctoritatem, & jurisdictionem in Metropolitanos & Episcopos omnes complurium Provinciarum sibi subjectarum. Episcopi *Alexandrini* in sede *Marci* discipuli *Petri* confirmabant, ordinabantque Metropolitanos omnes, & quum libebat, Episcopos omnes Provinciarum suæ ditionis."

nii criminationes refert, quo hæc jure Pontifex agat, modo aliquo eoque legitimo jure agat. Num vero Patriarchale jus æquitatem infringit? Neque vero id eo dico, quod ista *Romanis* Pontificibus tanquam Ecclesiæ Primatibus tribuere verear. Universalis enim Primatis jura ejusmodi sunt, ut non uno nomine Episcopalium electionum, quas dicimus, *reservationes* summo Pontifici adserant. Primatem enim generalem *beneficiorum* omnium bonorumque Ecclesiasticorum administrum a Christo constitutum fuisse supra comprobavimus; quis autem non videat ad eum inferiorum ministrorum electionem, ubi necesse sit, maxime pertinere? Præterea is Canonum custos est ac vindex longe præcipuus. Inspice jam, quo Magistratuum ac Principum violentia, Metropolitanorum quoque atque Episcoporum aut ignavia aut perversitate essent hujusmodi electiones prolapsæ. Laicorum factiones tumultuosæ, ex quibus extrema vis, cædes etiam quandoque erupere (18), Metropolitanorum injuriosa in admittendis Cleri populique electionibus detrectatio, aut tergiversatio (19), Capitulorum schismata ac dissensiones, Provincialium Conciliorum cessatio, aut saltem infrequentia eo electiones redegerant, ut vel ma-

(18) Thomassinus T. II. *lib.* II. *cap.* 33. *n.* 4. *Bituricensis Burdigalensis* & *Carnotensis* Ecclesiarum exemplis id confirmat.

[19] Confer eumdem Thomassinum *l. c. cap.* 43. *n.* 3.

magno Ecclesiarum damno diutissime intermitterentur, aut libertate carerent. Tantis utique malis mederi *Romani* Primatis erat, neque aliud aut expeditius, aut tutius remedium occurrit, quam ut sibi electiones vindicaret. Adcessere creberrimæ ad Apostolicam Sedem in ejusmodi caussis appellationes; item expetitæ sæpius a Principibus, Magnatibus, Capitulis dispensationes: quibus tandem effectum est, ut *Romani* Pontifices principalem & pene totam electionum episcopalium auctoritatem ad suam Sedem revocare maluerint, quam tot discordiarum semina, ac Canonum vulnera tolerare.

VI. Quid ergo *Febronio* fiet, qui hanc disciplinæ immutationem *per artes & negociationes demum prævaluisse* conqueritur? (20) Equidem *Græculum Latinorum* obtrectatorem heic audire mihi videor, non Jureconsultum *Germana* fide loquentem. Sed pejora alibi tradit, quo scilicet loco hasce artes singillatim evolvit atque persequitur. Longiusculam sententiam recito, sed opportunis adnotationibus ad veritatis leges interpolatam. „ Prima, inquit (21) cura debebat esse, „ libertatem electionum ab impressionibus, „ intrusionibus, nominationibus Imperato„ rum & Regum expeditam adserere. Præ„ stiterunt hoc Papæ ardore tanto, quan„ tum

(20) T. II. pag. 99.
[21] T. II. pag. 486.

„ tum ne quidem ſacri Canones poſtulaſſent
„ ita ut ſerias ipſis eſſe libertatis hujus Ca-
„ nonicæ vindicias univerſis perſuaderent.
„ Tonitrua & fulmina in Reges & Princi-
„ pes, qui dare Eccleſiis Paſtores, aut ho-
„ rum electionibus directe vel indirecte ſe
„ miſcere præſumerent, vibranda finem hunc
„ fortiter adtigerunt". Viden? ut quod in *Gregorio* VII. aliiſque *Romanis* Pontificibus adverſus Imperatorum Regumque *inveſtituras* ſummo ſtudio pugnantibus laudabile maxime videbatur, neſcio quid nimii atque immoderati *Febronio* ſapiat. Nihil vero de carceribus ait, aliiſque, quibus ab Imperatoribus male habiti ſunt inviſtiſſimi Canonum vindices indignis ſane modis, atque diriſſimis. Sed nimirum tantus horum ardor fuit, *quantum ne quidem Sacri Canones poſtulaſſent*, ut excuſari *Febronio* judice Imperatores poſſint, qui in nimium hunc *ardorem* animadverterint. Atqui quum *Paſchalis* II. *Henrici* Imperatoris fraudibus ac vi coactus inveſtiturarum privilegium eidem conceſſiſſet, *Lateranenſe* IV. Concilium a. MCXII. *canonica cenſura, & Eccleſiaſtica auctoritate judicio Sancti Spiritus* illud *damnavit, & irritum eſſe* judicavit, atque omnino caſſavit, & *ne quid auctoritatis haberet, penitus excommunicavit*: Concilia præterea *Hieroſolymis*, in *Græcia*, *Hungaria*, *Saxonia* ac *Lotharingia* a *Canone Præ-*

neſti-

nestino Episcopo celebrata (22) (quod nec *Paschalis* nec *Lateranenses* Patres fecerant) *Henricum* anathemate perculerunt *Gallicani* quoque Præsules Synodo *Viennæ* coacta *Ludovici* (Regis) *suffragio & consilio ... Imperatorem tyrannorum anathemate innodantes, mucrone B.* Petri *perfoderunt*, ut narrat *Sugerius* Abbas in vita *Ludovici* VI. Reg. Franc. 23); immo (quod acta ejus Concilii testificantur) *investituram Episcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Ecclesiasticarum rerum de manu laica ...., hæresim esse judicarunt*. Quid de hoc Conciliorum *ardore* sentiendum? Videri saltem posset cum Paparum ardore conferendus, ac *tantus* judicandus, *quantum ne quidem Sacri Canones postulassent, ita ut serias ipsis esse libertatis hujus canonicæ vindicias universis persuaderent*. Cur ergo de his siluit *Febronius*, ac Papas tantummodo appellavit? Vereor equidem ne qui politicas *Romanæ* curiæ artes insequitur, ipse in animum induxerit lectores suos fraudibus neque illis *Italicis*, sed ex hæreticorum promptuario collectis irretire. Verum quæ sequuntur, audiamus.

VII. " *Secunda*, inquit adversarius (24), „ mox erat sollicitudo, sive per litteras, „ sive per legatos, inflectere electiones ad „ in-

(22) Vide Conradum Urspergens. *in Chron. ad ann. MCXVI.*

(23) *Cap. XVI.*

[24] T. *II. pag.* 484.

„ intentionem Papæ, commendatis subjectis.
„ Jam anno 1082. *Hugo* Episcopus *Diensis*
„ qua Sedis Apostolicæ Legatus fecit eligi
„ Episcopum *Meldensem Robertum* Abbatem
„ *Rasbacis*, electumque consecravit; qui li-
„ cet a Metropolitano & comprovincialibus
„ excommunicatus, detinuit tamen obortis
„ multis violentiis cathedram tribus fere
„ annis, post quos deponebatur. Anno 1092.
„ *Ivonem*, S. *Quintini* Abbatem, *Urbano* II.
„ cathedram *Carnotensem* in adceptis retulis-
„ se, satis indicant hujus Pontificis epist.
„ 8. & 9. vacante ad finem anni 1099.
„ *Bellovacensi* Ecclesia Legati *Paschalis* II.
„ vetuerunt, ne procederetur ad electionem,
„ nisi receptis desuper Sedis Apostolicæ
„ mandatis; quum vero Clerus hac inhibi-
„ tione neglecta elegisset *Stephanum Garlan-*
„ *dum*, electionem cassavit Papa, remque
„ disposuit, ut eligeretur a majori parte,
„ contradicentibus aliis, *Galo* seu *Walo*, S.
„ *Quintini* Abbas, homo cui Rex non fi-
„ dit, ideoque ad Episcopatum pervenire
„ non sivit. Qua de re exstant *Ivonis* Epist.
„ 87. 97. 98. 105. Ejusmodi exempla per-
„ turbatarum prætaxationibus electionum
„ plures suppeditant Ecclesiæ". Pulcra som-
nia, quæ ut omnino inania non essent, ac
solidi quidpiam verique præseferrent, non
tamen debuisset *Febronius* prima harum *præ-
taxationum* exempla ab undecimo sæculo,
mul-

multoque minus a S. *Gregorii* VII. & *Urbani* II. Pontificatu accersere; utrumque enim sacrorum canonum studio incensam *nusquam ultro se ullis electionibus interposuisse* pronunciat invictisque argumentis confirmat cl. *Thomassinus* (25). Quod igitur in *Roberti* electione contigit, non *Gregorio* VII. qui *Romano* tunc Pontificatu potiebatur, sed ejus Legato tribuendum; electus enim *Robertus* fuit absque *Richerii Senonensis* Archiepiscopi, & Coepiscoporum consensu; quod uti a Canonibus, ita a *Gregorii* VII. instituto plane abhorrebat. "Quum crebris, inquit *Thomassinus* (26), *Gregorium* precibus fatigaret „ *Philippus Franciæ* Rex, quo *Carnotensem* „ Episcopatum cuidam *Calabriæ* Abbati da„ ret (*ut eum ad regimen* Carnotensis *Ecclesiæ probaremus & ordinaremus*): non spe„ ravit tamen Pontifex regiis votis indul„ geri id a se posse sine canonica electio„ ne: *Verum quia Sanctorum Patrum statuta* „ *sequi & observare cupimus, nihil de eo, aut* „ *de promotione ejus sine electione Ecclesiæ no*„ *bis probandum esse judicavimus*. Rescripsit „ ergo ad suum per *Gallias* Legatum, E„ piscopum *Diensem*, ut certiorem se face„ ret, an posset canonice eligi, quem Rex „ proponebat? *Ut illorum in hunc Abbatem* „ *voluntas libera, consideratio prudens, electio* „ *ca-*

[25] T. *II. lib. II. cap.* XXXI. *a num.* 4.
(26) *l. c. pag.* 388. *Luc. edit.*

„ *canonica*, *&* *Sanctorum Patrum regulis con-* „ *sonans dignoscatur*". (27) Quisquamne serio sibi persuadeat, eum Pontificem, qui antequam Regis in *Italum* hominem voluntati satisfaceret, *electionem canonicam*, *&* *Sanctorum Patrum regulis consonam*, Electionem nempe *Ecclesiæ* ipsius *Carnotensis* præmitti oportere tantopere inculcavit, & jussit, *Meldensis* Episcopi a sacris Canonibus plane dissentaneam, ut quæ Archiepiscopi, & Provinciæ Episcoporum adsensu destituebatur, electionem ursisse? *Urbanus* porro *Carnotenses* quidem hortatus fuerat, ut *Ivonem* eligerent; verum canonice ac liberrime ab ipsis *Carnotensibus* electus fuit. Quare ipse *Ivo* hac de sua electione ad *Urbanum* scribens (28) ait: *Elegeram abiectus esse in domo Dei....* *quum sic mihi latenti, nec tale quid suspicanti Ecclesia* Carnotensis *Pontificatus possessionis pondus obtrusit*: immo & in litteris ad *Richerium* (29) *se clericorum primo ingenio*, *postea violentia Regi se fuisse præsentatum* adfirmat, additque, se reluctantem ad *Urbanum* contendisse, ad *quem quum pervenisset*, AD PETITIONEM ECCLESIÆ CARNOTENSIS *apostolica auctoritate fuisse constrictum*, *&* *ita in Episcopum consecratum*. Quod denique ad *Stephanum Bellovacensem* electum spectat, audi ex

[27] *l. IV. Ep.* 16. *l. V. ep.* 5. 11. 14.
[28] *ep.* 289.
[29] *ep. VIII.*

ex *Ivone* quis fuerit. " Notum facio excel-
" lentiæ vestræ, inquit is in epistola ad *Pa-*
" *schalem* (30), *Beluacenses* clericos contra
" interdictum vestrum, & Legatorum ve-
" strorum, quemdam clericum nomine *Ste-*
" *phanum* in Episcopum adsumpsisse, procul
" a sacris ordinibus inventum, utpote non-
" dum Subdiaconum, hominem illitteratum,
" aleatorem, mulierum sectatorem, publice
" olim de adulterio infamatum, & ob hoc
" a Domno *Lugdunensi* Archiepiscopo tunc
" temporis Sedis Apostolicæ Legato, Ec-
" clesiæ communione privatum. De quo
" dici possent multa alia inhonesta, sed hæc
" quæ vera & manifesta sunt, ad repulsio-
" nem ejus sufficiunt. Volo itaque sanctita-
" tem vestram a parvitate mea super hoc
" esse præmonitam, ne per surreptionem in-
" nocentiam vestram aliquis decipiat, ut li-
" centia vestra ad Episcopatum perveniat.
" Sciat autem Sanctitas vestra hunc *Stepha-*
" *num* prius a *Beluacensibus* propter præta-
" xatas caussas fuisse repulsum: sed quum
" sanior pars adsensu Regis quemdam reli-
" giosum vellet eligere, a quibusdam ma-
" levolis clericis & laicis excommunicatis
" eumdem fuisse receptum ". Contra de *Ga-*
lone hæc idem *Ivo* ad eumdem *Paschalem* scri-
psit (31): " *Beluacenses* Clerici melioris fa-
" mæ

(31) *ep.* 104.

„ mæ & consilii sanioris, præcedente con-
„ silio vestro, consilio Optimatum diœcesis
„ suæ, & laude populi domnum *Galonem*
„ virum vita honestum, litteralibusque stu-
„ diis & Ecclesiasticis disciplinis ornatum
„ in Episcopum sibi elegerunt. Pauci tamen
„ ex Clericis *Stephani* illius repudiati com-
„ plices, quos sibi pelliculis peregrinorum
„ murium, atque aliis hujusmodi vanitatum
„ aucupiis inescaverat, huic electioni non
„ adsenserunt, nec tamen ei aliquid quod
„ sacris canonibus obviet, obijcere potue-
„ runt. Quum vero rem per se impedire
„ non valerent, Regem adierunt, quædam
„ verba auribus ejus instillaverunt, quæ fa-
„ cile in cor ejus eliquaverunt: videlicet
„ quod prædictus electus discipulus meus
„ fuerit, apud me enutritus, addentes quod
„ a Sanctitate Vestra fuerit electus, & quod
„ magnus ei futurus esset adversarius, si in
„ regno ejus aliquando fieret Episcopus. Rex
„ itaque virulentis his verbis succensus, &
„ ab omni bona voluntate turbatus, non
„ vult electioni adsensum præbere, nec ele-
„ cto bona Episcopalia dimittere (32)".

(32) Similia de *Galone* ad *Paschalem* scripsit S. *Anselmus Cantuariensis*: " Ecclesia *Beluacensis* vestro consilio
„ directa, & auctoritate roborata, Domnum *Galonem* Ab-
„ batem Ecclesiæ S. *Quintini* elegit, & electum deside-
„ rat sibi construi Episcopum. Est enim in quantum hu-
„ mana potest judicare cognitio, hic aptus & utilis ad
„ hoc

Ubi heic *Urbani* violentia? ubi politicæ artes? Non equidem *Galo propter Sacramentum domini Ludovici*, ut *Ivo* alibi ſcripſit (33), *Bellovacenſem* Sedem obtinere potuit, ad *Pariſienſem* tamen translatus fuit Eccleſiam, neque id Pontificis aſtu, aut vi, ſed mira Cleri *Pariſienſis* conſenſione. Id ab ipſo *Ivone* docemur in litteris ad *Senonenſem* Archipræſulem *Daimbertum*, quæ ejuſmodi ſunt: „ Notum facimus veſtræ Paternitati, quod „ Clerus & populus *Pariſienſis* Eccleſiæ vo„ to & voce domnum *Galonem Beluacenſi* „ Eccleſiæ conſecratum in Epiſcopum ele„ gerunt, & ipſam electionem cum littera„ rum adſtipulatione, miſſis ex Clero ido„ neis perſonis prædicto Epiſcopo præſen„ tantes, ut paſtoralem prædictæ Eccleſiæ „ curam ſuſciperet, humiliter & devote pe„ tierunt."

VIII. Pergit *Febronius* (34): "*Tertio* ad„ ceſſit ars politica adjuvandi Capitula Ca„ thedralia, ut hæc excluſo reliquo Clero „ diœceſeos, ſola poſthac eligerent Epiſco„ pum

„ hoc in omnibus, quæ in eligendo Epiſcopo conſideran„ da ſunt, ut melior, vel aptior in eadem Eccleſia inve„ niri nequeat: de perſona, quam eligunt ſecundum con„ ſcientiam meam loquor, quia in prædicta Eccleſia ad E„ piſcopatum nec meliorem, nec æqualem inveniri poſſe „ intelligo, nec aliquid de illo aut fama, aut experimen„ to, quod ejus obſtet electioni, aliquando ſenſi, ſed mul„ ta quæ ejus electionem adprobant, experimento & fa„ ma cognovi."

[33] *ep.* 144.

(34) *l. c.*

„ pum, quum facilius ſit paucis auferre ali„ quod jus, quam multitudini. Sane quiſ„ quis in ſtatutis canonicis verſatus eſt, „ non poterit dictum *Innocentii* III. in Cap. „ 3. de cauſs. poſſeſs. & propriet. pro ve„ ro agnoſcere: *ſecundum ſtatuta canonica ele„ ctiones Epiſcoporum ad Cathedralium Eccle„ ſiarum Clericos regulariter pertinere noſcun„ tur niſi alibi ſecus obtineat de conſuetudine „ ſpeciali*. Dum ex ſtatutis canonicis potius „ toti Clero competierit jus eligendi Epi„ ſcopum *Can.* 26. 27. 34. 35. *diſt.* LXIII. „ ſolaque conſuetudo fecerit reſervatum Ca„ pitulorum Cathedralium. His autem ſæ„ culo XIII. ſolis electionum arbitris effe„ ctis, *Gregorius* IX. poſuit generale jus, „ Corpori juris inſertum *Cap.* 52. X. *de* „ *elect.* per quod Papa his ad quos pertinet „ electio, mandare poſſit, ut Papæ Legatos „ tamquam conſiliarios ſub pœna nullitatis „ adhibeant, electuros perſonam idoneam, „ ſi Capitulares talem eligere prætermitte„ rent". Quid heic ad conflandam *Romanis* Præſulibus invidiam non maligne excogitatum? Itane vero, ut ab hoc exordiar, *arte* illi *politica adjuverunt Capitula Cathedralia, ut hæc excluſo reliquo clero diœceſeos ſola poſthac eligerent Epiſcopum, quum facilius ſit paucis auferre aliquod jus, quam multitudini?* Cur ergo *Innocentius* III. cui potiſſimum id tribuitur, primo apud *Ottonem*

quartum a. 1209. deinde apud *Fridericum secundum* a. 1213. institit, ut suis illi diplomatibus hocce Capitulorum jus confirmarent? (35) An non ineptissimum fuisset, Imperatoriam Majestatem ad id interponere, quod evertere in animo haberet? Num *Innocentio* difficilius videri potuit Cleri multitudini adversari, quam quod tanta auctoritate munitum fuisset, proculcare? Quamquam si hac in re culpandi *Romani* Pontifices sunt, cur *Febronius* in hujusce accusationis partem *Lateranensis* IV. Concilii Patres non vocat, qui a. MCCXV. *Innocentio* adstipulati sunt, novamque hanc electionum formam suis decretis firmarunt? Id equidem ab æquo Scriptore exspectandum fuerat, non autem ab homine in *Romanam* Curiam iniquissimo. De *Innocentio* porro quid dicam Juris Canonici scientissimo? Fierine potuit, ut Canones ignoraret, qui toti clero Episcopi eligendi jus adscribunt? Nemo credat præter *Febronium*. Quei ergo scribere *Innocentius* potuit? " *secundum statuta canonica electiones* „ *Episcoporum ad cathedralium ecclesiarum cle-*

„ *ricos*

[35] En verba *Ottonis* apud *Raynaldum* ad a. 1209. n. 10. " Illum volentes abolere abusum, quem quidam præ„ decessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus „ Prælatorum, concedimus, ut electiones Prælatorum li„ bere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Eccle„ siæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sa„ nior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei „ obstet de Canonicis institutis. " Eadem sunt *Friderici* verba.

„ *ricos regulariter pertinere noſcuntur*, *niſi ali-*
„ *bi ſecus obtineat de conſuetudine ſpeciali*;
„ dum ex ſtatutis Canonicis potius toti cle-
„ ro competierit jus eligendi Epiſcopum
„ *Can.* 26. 27. 34. 35. *diſt.* LXIII., ſola-
„ que conſuetudo fecerit reſervatum Capitu-
„ lorum Cathedralium"? Dicam. Ex æta-
tis ſuæ ſtylo loquutus eſt. " Quæ quoniam,
„ inquit cl. *Carolus Gagliardius* (36), quam-
„ plurimos ſine titulo eccleſiæ, & ſine præ-
„ benda ſacris ordinibus nimis indulgenter
„ initiatos tulit aliter quam antiquior fere-
„ bat ætas; factum eſt, ut diſtinctionis gra-
„ tia Capitulum & Canonici dicerentur pre-
„ sbyteri & clerici præbendarii, titulares,
„ cardinales; *clerus* autem vagi & ſine ti-
„ tulo extra numerum, ordinemque promo-
„ ti". Igitur Canonici iidem ſunt, qui
vetuſtioribus ſæculis *clerus* aut *presbyterium*
ac veluti *reliquiæ*, ut cum doctiſſimo P. *Ze-
chio* loquar (37), *illorum clericorum*, *quos olim
Epiſcopus ſemper proximos ſuo lateri habuit*,
tum ut eos in omnibus negociis conſuleret, *tum
ut eorum miniſterio in ſacris functionibus uteretur*.
Hinc Capitulare *Aquiſgranenſe* a. 789. *ſimilietr
qui ad* CLERICATUM *adcedunt quod nos no-
minamus* CANONICAM VITAM. Quamobrem
quæ ſtatuta Canonica præſertim antiquiora
ad Clerum electiones Epiſcoporum pertinere

Aa 3 ajunt,

(36) *Inſtit. de Jur. Canon. lib.* I. *Tit.* XIX. *n.* 11.
[37] *de Hierarch. Eccleſ. Tit.* XXVIII. §. 329.

ajunt, ea ab *Innocentio* de *Cathedralium Ecclesiarum Clericis* scitissime ac vere intelligi potuerunt, quum reapse ejusmodi clerici iidem sint, quos *cleri* vocabulo vetustior ætas designabat. *Gregorii* denique sanctio non ad electionum libertatem aut elevandam aut infringendam spectat, sed ad prævertendas Capitulorum discordias, aut etiam laicorum, qui electiones sæpe sæpius turbarant, comprimendam audaciam. Enimvero si intacta electionum libertate potuit antiquior disciplina Episcopos *visitatores*, ut supra indicavimus, constituere, a quibus cleri populique suffragia dirigerentur; cur *Gregorio* vitio vertamus, quod easdem ob caussas Legatorum Apostolicorum, ubi adessent, consilia ab electoribus audiri jusserit? Nam quod *Visitatores* Episcopi a Metropolitanis mitterentur, nihil ad rem facit, electionibus enim a Metropolitanorum jure ereptis unius sive Primatis, sive etiam Occidentalis Patriarchæ erat, ut in illis Canones diligentissime servarentur, cavere atque omni ope contendere.

IX. Ad præcipuum tot Pontificiarum artium propositum nos tandem *Febronius* vocat. " *Quarta*, inquit (38), & concomitans
„ fuerat solertia, acquirere, ubi fieri pote-
„ rat, liberam Episcopatuum provisionem
„ Sedi *Romanæ*, nulli electioni, nulli do-
„ mi-

[38] *T. II. pag.* 487.

„ minationi ſubſervientem. In *Italia* Papa,
„ non ſolum per terras ſibi temporaliter
„ ſubjectas, de vacantibus Eccleſiis libere
„ diſponit, ſed etiam per aliena territoria." Neque animadvertit multa fuiſſe quæ *Romanos* Pontifices plane coegerunt, ut univerſæ *Italiæ* ad quartum uſque ſæculum non ſolum Patriarchali, ſed etiam metropolitico ſuæ Sedis juri ſubiectæ Epiſcopatus ſibi ſervarent. Ea *Thomaſſinus* his verbis collegit (39).
„ Conſtat indubitatiſſime Principes *Italiæ*
„ arrogaturos ſibi fuiſſe nominationes om-
„ nium beneficiorum, niſi eorum conatus
„ retudiſſet Pontifex, novamque invexiſſet
„ rationem ea conferendi, ex qua, quoniam
„ electionibus per depravatiſſimos hominum
„ mores jam locus eſſe non poterat, eluceſ-
„ ceret non terrenas poteſtates, ſed Eccle-
„ ſiaſticas, dandorum Eccleſiis Paſtorum jus
„ vimque obtinere ... Ita ne contra Apo-
„ ſtolicos Canones terreni Principis nutu
„ ſacræ dignitates diſtribuerentur, neceſſe
„ fuit, ut eam ad ſe Pontifex poteſtatem
„ pertraheret". Addit *Febronius* (40):
„ Quas proviſiones in aliis & Provinciis ſi-
„ bi non poterat adquirere Papa, his no-
„ minationes regias & aliorum Principum
„ ſubſtituit, mediantibus privilegiis & con-
„ cordatis. Quorſum autem devenit ardor

(39) T. II. *lib.* II. *cap.* 56. *n.* 11.
[40] *l. c.*

„ ille pro libertate electionum uniuscujus„ que Ecclesiæ? “ Quo devenire potuit urgentibus Principibus, ut *Romani* Pontifices hasce ipsis nominationes concederent. Id tamen optimus Jureconsultus noster silet, ne videlicet dum *Romanos* Præsules insectari cupit, in Principes quoque, qui precibus, pactis, interdum etiam vi ejusmodi nominationes ab iis extorserunt iniquus esse videretur (41). Illud tamen dissimulandum non est, hodiernam electionum disciplinam a veteris instituto, si res ad æquitatis leges pendatur, non admodum abhorrere (42). Si hoc

(41) Huc spectant quæ contra *Giannonium* cl. P. *Bianchi* differit *T. V. P. I. pag.* 536. “ I tumulti continui, „ che succedevano nell' elezioni per le fazioni de' prepo„ tenti, onde appena in molti luoghi rimanea vestigio d' „ elezione canonica, le suppliche, e l' istanze de' Principi „ alla Sede *Romana*, perchè da essa fossero promosse al „ Vescovato le persone, ch' essi riputavano idonee, co„ strinsero i *Romani* Pontefici a concedere ad essi il dirit„ to di proporre alle Chiese le persone ch' essi giudicava„ no idonee, e privar loro stessi di quella libertà, che pri„ ma avevano di conferire i Vescovati alle persone loro „ grate in tutti i Regni Cattolici, e d' obbligarsi di non „ conferirli se non a quelle persone, che fossero da' Prin„ cipi, o per nomina, o per presentazione, o per suppli„ cazione proposte, purchè fossero degne, ed avessero i „ requisiti ricercati da' Canoni: onde piuttosto che am„ pliar la Monarchia Papale, come dice *Giannone* in mol„ ti luoghi, con queste concessioni la vennero a ristringe„ re. “

[42] Rem ita illustrat idem P. Bianchi (l. c.) “ Se be„ ne si mira dal suo diritto lo stato di questa disciplina, „ se ben sembra diversa in quanto al modo della forma „ prescritta dagli antichi Canoni nell' elezioni Vescovili; „ essa nulladimeno è del tutto conforme allo spirito della „ pri-

hoc animadvertat *Febronius*; nec refrixiffe in fummis Pontificibus *ardorem illum pro libertate electionum unifcujufque Ecclefiæ* conqueretur.

„ priftina difciplina. Secondo quefta l' elezioni, maffimamente in *Oriente*, fi celebravano ne' Sinodi Provinciali alla prefenza del Metropolitano. Concorrevano a queft' elezioni il Popolo col Clero della Chiefa vacante, ed i Vefcovi adunati, o nella Città, in cui vacava la Sede, o nella Metropoli avanti il Metropolitano: concorreva il popolo coll' efporre il fuo defiderio, col nominare o proporre la perfona, che defiderava per fuo Paftore: concorreva il Sinodo col fuo giudizio, efaminando la propofizione, o la nominazione del popolo, ed il giudizio de' Vefcovi era vera, e propria elezione. Difmeffi poi i Sinodi per l' elezioni de' Vefcovi Provinciali, occorrendo la vacanza della Chiefa fi mandava a quella dal Metropolitano un Vefcovo *Vifitatore*, il quale ammoniffe il Clero, ed il popolo, acciocche di concorde volere, rimoffo lo ftudio delle parti, conveniffero nel domandar per loro Paftore chi foffe degno del miniftero Vefcovile; e convenuti nella domanda ne formaffero decreto fottofcritto da tutti alla prefenza del *Vifitatore*; il qual decreto colla teftimonianza dello fteffo Vefcovo fi trafmetteffe al Metropolitano... Suppofte adunque quefte regole generali della priftina difciplina, ficcome le parti, che avea prima il popolo nell' elezione del Vefcovo, domandandolo, nominandolo, o proponendolo al Metropolitano, ed al fuo Sinodo, fi fon trasferite nel Principe; così le parti, che avea prima il Metropolitano, ed i Sinodi in quefte elezioni, per confenfo univerfale della Chiefa fi fono trasferite nel Papa. I Principi prefentando, nominando, o fupplicando non eleggono, nè conferifcono al nominato, o prefentato, fe non un diritto rimoto al Vefcovato: pofciache il Pontefice può rigettar la nomina, o la prefentazione, quando la perfona nominata, o prefentata, o domandata non abbia le condizioni ricercate dai Canoni, e fia indegna del Vefcovato; ed i Principi poffono nominar fra certo tempo, prefentare, o domandare altra perfona: ne fi fdegnano che fieno rifiutate le perfone da loro in alcuno de' tre modi propofte, quando veramente non fien degne del

„ mini-

retur. Ferenda autem non ſunt, quæ continenter ſubtexit: " Rara hæc gemma ſolis „ *Germaniæ* Capitulis remanſit. Aſt quantus „ labor, ut remaneret! Syſtemati & con- „ ſtan-

„ miniſtero. Ma queſti caſi radiſſime volte ſuccedono, avendo i Principi Cattolici tutto il riguardo di proporre „ alle Chieſe perſone illuſtri, e degniſſime di ottenerle. „ Il Papa adunque approvando la nomina, o la preſentazione, non conferma l' elezione; ma egli col ſuo giudizio elegge, ed elegge conciliarmente, cioè nel Conciſtoro de' Cardinali di Santa *Romana* Chieſa, che fanno le veci del Sinodo, eſſendo quell' ampliſſimo Collegio compoſto di molti Veſcovi, non ſolo pel titolo del loro Cardinalato, ma anche per la ricevuta conſagrazion veſcovile, benche abbiano il titolo di Preti, e talvolta anche di Diaconi. Dico *conciliarmente*, aſcoltando i ſuffragj degli ſteſſi Cardinali, dopo aver fatti eſaminare i Proceſſi riguardanti i meriti delle perſone propoſte da' Principi. Nè queſt' elezione Papale, Conciſtoriale, e Conciliare ha biſogno di conferma, eſſendo il ſupremo capo della Chieſa quello, che elegge, il quale non ha ſuperior ſopra di ſe. Nè queſta forma ſi oſſerva ſolamente nella proviſione di quelle Chieſe, che cadono ſotto la nomina, o la preſentazione de' Principi, ma nella provviſta di quelle Chieſe d' *Italia*, che ſono ſotto la libera diſpoſizione del Papa; imperocche anche in queſte i Veſcovi ſi eleggono conciliarmente dal Pontefice in Conciſtoro, non ſolamente dopo la reviſione de' Proceſſi formati ſopra le loro qualità, ma anche dopo l' eſame, con cui ſi ſperimenta la lor dottrina alla preſenza dello ſteſſo Pontefice. Dalle quali coſe tutte ſi può comprendere, che lo ſtato della preſente diſciplina intorno all' elezioni Veſcovili non ſolo è conforme all' antico ſpirito de' Canoni, ma ancora è neceſſario al pubblico ripoſo della Chieſa; mentre per eſſo ſi è impoſto fine alle diſcordie continue, che in queſt' elezioni ſuccedevano, o per li tumulti de' Popoli, o per lo ſtudio delle fazioni, o per l' impaccio irregolare de' Principi: onde non può biaſimarſi ſe non dagli ſpiriti inquieti, che col preteſto dell' antichità venerabile cercano intorbidar la pace preſente della Chieſa, e la quiete della Repubblica."

„ ſtantiæ inclytæ hujus nationis hoc adſcri-
„ bendum eſt, non bonæ menti communis
„ omnium nationum Patris, cujus quæ ſeria
„ intentio fuerit ſupprimendi quaſvis prin-
„ cipaliores electiones, manifeſtavit Regula
„ II. Cancellariæ, cujus ovum edidit anno
„ 1305. *Clemens* V., Extravagans *Avenio-*
„ *nenſis Johannis* XXII. an. 1322. excluſit,
„ fœtum enutritum aut *Urbanus* V. anno
„ 1362. aut *Innocentius* VIII. anno 1484.
„ inter Cancellariæ regulas collocavit." Laborandum ſane *Germanis* fuit, ut *rara hæc gemma ſolis* ſuæ gentis *Capitulis* remaneret; ſed tanto peperciſſent labori, niſi ſchiſmaticis *Baſileenſis* Conciliabuli auſibus nimium ſe faciles præſtitiſſent. Laboris tamen ſui fructum quod tulerint *raras* inter *gemmas* recenſendum illis maximopere gratulor. Hoc ſolum doleo, *Febronium* in *Romanos* Pontifices adeo ingratum ſeſe præbere, qui *raram* hanc *gemmam* ſolis *Germaniæ* Capitulis *remanere* non ſine ſingulari beneficio, velit, nolit, conceſſerunt, ut de ſeria eorum voluntate dubitationes excitare non vereatur; & quaſnam Deus immortalis! dubitationes! quam leves! quam ludicras! *Urbanus* V. anno 1362. aut *Innocentius* VIII. a. 1484. Regulas Cancellariæ ſecunda auxit, qua Epiſcopatus, aliaque beneficia *Romanæ* ſedi ſervantur; *Eugenio* igitur IV. a. 1447. ejuſque ſucceſſori *Nicolao* V. a. 1448. dum *Germaniæ*

ut

ut vocant *Concordata* adprobarunt; ceterisque Pontificibus, qui quæ ab illis decreta firmataque fuerant, summo in Nationem *Germanicam* studio servarunt, *seria intentio fuit supprimendi quasvis principaliores electiones*. Quænam dialectica hancce argumentandi rationem probabit? Immo vero si *seria* illis *intentio* fuit *supprimendi quasvis principaliores electiones*, nec tamen ut Concordatis starent, *Germanicas* suppresserunt, eximium quoddam in illustrissimam *Germanicam* nationem sibi esse studium ostenderunt. Sed de his satis.

CAPUT II.

Omnium Episcoporum confirmationem Juris esse Pontificii, nihilque aut Synodis aut Metropolitanis a Romanis *Pontificibus, qui ejusmodi confirmationes sibi servarunt, fuisse detractum frustra obnitente* Febronio *demonstratur.*

I. DE Episcoporum confirmationibus mihi, uti antea receperam, acturo statim occurrunt ea *Febronii* verba (1) *usum confirmandæ a Papa Episcoporum electionis novum esse sæculis demum XIII. & XIV. introductum eruditis notum est*. Idem supra dixerat (2): *de confirmatione Episcoporum* mediatorum *vid.* Cap. IV. §. 3. *& ad hoc Appendicem I. Reservatum hoc Apostolicum satis lubrici alias pedis, & juvenis ævi &c.* Sed illud Lectores animadvertant. Quartum hoc *Caput* & ad illud Appendicem primam videram ego, & uberrime ex sacræ antiquitatis monumentis confutaram (3). Quid igitur eo nos revocat, nulla ad illa, quæ in contrarium adtuleram, adhibita responsione? Hoccine est veritatem consectari? hoccine *Antifebronium* refellere? Sed quoniam cum eo homine mihi res est, qui

[1] T. II. pag. 602.
(2) ibid. pag. 99.
(3) Antif. T. II. lib. I. cap. 4.

qui victus quum sit, victoriam tamen canit, quæ ibi a me dicta sunt, paucis repetam; tum ad novos illius depellendos errores orationem convertam.

II. *Orientalium* Episcoporum confirmationem Metropolitanis, Metropolitanorum vero Patriarchis dimissam a *Romanis* Pontificibus fuisse explorata res est: Patriarchas tamen ab iisdem *Romanis* Præsulibus confirmationem exspectasse palam feci (4). En brevem, quam ibi fusius enarravi, *Orientalis* quod ad rem præsentem adtinet, historico synopsim.

A. CCCLXXXII. *Theodosius* Legatos ad *Damasum* mittit, ut *Nectarii Constantinopolitani* Episcopi ab eo confirmationem obtineant. Testem habemus *Bonifacium* I. in epistola ad *Rufum* aliosque *Illyrici* Episcopos (5).

A. CCCCXLIX. *Anatolius Constantinopolitanus* Episcopus a S. *Leone* M. confirmatur. Poteratne hoc disertius idem S. *Leo* significare, quam litteris in hanc sententiam ad *Marcinianum* perscriptis (6): *Nos enim vestræ fidei interventionis habentes intuitum, quum secundum suæ consecrationis auctores ejus initia titu-*

(4) *Ibid. pag. 60. seqq. Pisaur. edit.*

(5) T. I. Epist. R. P. Coust. col. 1043. ep. XV. *Clementissimæ recordationis Princeps* Theodosius Nectarii *ordinationem propterea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum Episcopis firmitatem huic a Sede* Romana *divigi regulariter depoposcit*, quæ *ejus Sacerdotium roboraret.*

(6) *ep. c.* IV. Ball. *edit. col.* 1147.

titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse voluimus quo perturbationes omnes quæ operante diabolo fuerant excitatæ adhibitis remediis leniremus....Satis sit (7) *prædicto quod vestræ pietatis auxilio, & mei favoris adsensu, Episcopatum tantæ urbis obtinuit.*

A. CCCCLII. Idem S. *Leo Episcopatum sancti ac venerabilis* Maximi *Episcopi* Antiochenæ *Ecclesiæ* CONFIRMAVIT, verba sunt *Chalcedonensis* Concilii (8).

A. CCCCLXXXII. Quid super *Johannis Talajæ Alexandrini* Episcopi electione *Simplicius* Papa egerit, discimus ex ejus ad *Acacium* epistola (9): " Nuper ab *Ægyptia* „ Synodo, quæ & numero plurima & fidei „ catholicæ esset communione suffulta, at- „ que ab ipso omni propemodum clero *A-* „ *lexandrinæ* Sedis ad nos ex more relatio „ missa patefecit, Sanctæ memoriæ fratrem „ quemdam, & coepiscopum nostrum obiisse „ *Timotheum*, inque ejus vicem consona fi- „ delium voluntate *Johannem* cui ad Sacer- „ dotium constare crederentur omnia, sub- „ rogatum, & nihil omnino restare videba- „ tur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus „ nobis, atque gaudentibus, ut sine strepitu „ quod catholicus in defuncti ministerium „ successisset Antistes, apostolicæ quoque „ mo-

(7) *ibid. col.* 1149.
(8) *Act. X.*
(9) *ep. XVII.*

„ moderationis adſenſu votivam ſumeret fir-
„ mitatem: quum ecce ſecundum conſuetu-
„ dinem mihi talia diſponenti tranquilliſſi-
„ mi Principis ſcripta ſunt reddita, quibus
„ memoratum tanquam perjurii reum, quod
„ fraternitati quoque tuæ non eſſe diceretur
„ incognitum, ſacerdotio perhiberet indi-
„ gnum. Illico retraxi pedem, & meam re-
„ vocavi ſuper ejus confirmatione ſenten-
„ tiam, ne quid contra tantum ac tale te-
„ ſtimonium præpropere feciſſe judicarer. "

A. CCCCLXXXIV. Quum *Flavita* datus fuiſſet in *Conſtantinopolitana* Eccleſia *Acacio* ſucceſſor, Synodicam de more epiſtolam ad Apoſtolicam Sedem miſit, *per quam*, inquit *Felix* Pontifex (10), *largiente Chriſto* SOLIDATUR *dignitas Sacerdotum*.

A. DXXXVI. S. *Agapetus Conſtantinopoli* degens dejecto ab ea Sede *Anthimo Mennam* ibi Epiſcopum conſtituit. Audiatur *Liberatus* in *Breviario* (11): " denique (*Agapetus*)
„ petentibus principibus, ut *Anthimum* Pa-
„ pa in ſalutatione & communione ſuſcipe-
„ ret, ille fieri inquit poſſe, ſi ſe libello
„ probaret orthodoxum, & ad cathedram
„ ſuam reverteretur. Impoſſibile eſſe ajebat,
„ translatitium hominem in illa Sede per-
„ manere: Auguſta vero, clam promittente
„ munera multa, & rurſus Papæ minas in-
„ ten-

(10) *ep.* XIII.
(11) *cap.* XXI.

„ tentante, in hoc Papa persistit, ne ejus „ audiret petitionem. *Anthimus* vero videns „ se sede pulsum, pallium quod habuit, „ imperatoribus reddidit, & discessit, ubi „ eum Augusta suo patrocinio tueretur. „ Tunc Papa Principis favore, *Mennam* pro „ eo ordinavit antistitem, consecrans eum „ manu sua in Basilica sanctæ *Mariæ*."

Hæc aliaque in hanc rem ex Ecclesiastica historia in *Antifebronio* protuli. Anne satis a *Febronio* refelli poterant, appellato tantum sui libri *capite* IV.? Hoc scio, *Michaelem Roussel* licet Pontificiæ jurisdictioni non admodum faveret, aliquot ejusmodi exemplis convictum fateri debuisse (12): *hæc mihi comperta ex veteribus exemplis ad adstruendam Pontificis* Romani *prærogativam in confirmandis Patriarchis Orientalibus*, *quæ sane satis indicant Principatum ejus in omnes Ecclesias. Quod si non sæpius, aut absolutius eam prærogativam exercuit, tribuendum est illius modestiæ qui non putavit summa sua potestate utendum, nisi ubi necessitas exigeret.*

III. Ab *Orientalibus* ad *Occidentales* sermo jam devolvatur. Statim autem repetamus animo, quæ *Alexandro Antiocheno Innocentius* I. præscripsit (13). *Itaque*, inquit Sanctissimus Pontifex, *frater carissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic &* cete-

(12) *hist. Pontific. Jurisdict. lib.* II. *n.* 14.
[13] *ep.* XXIV. *T. I. epist. R. P. Coust. col.* 851.

ceteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum recte ſervabis, ut longe poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire. Hoc unico monumento *Febronii* ſyſtema evertitur. Anne enim quis ſibi perſuadeat, minorem fuiſſe *Romani* Pontificis in *Occidentales* Eccleſias auctoritatem, quam *Orientalium* Patriarcharum in *Orientales*? Immo vero *Innocentius* hoc quidquid erat Patriarcharum *Orientalium* juriſdictionis, in *Nicænum* Canonem VI. refert (14); *Nicænus* autem Canon *Antiocheni* & *Alexandrini* Epiſcoporum auctoritatem ad unius *Romani* Patriarchæ normam perſpicue exegit. Si igitur Epiſcopos *Antiocheno* Patriarchatui ſubjectos a ſuo Patriarcha confirmandos *Innocentius* edicit, multo magis Occidentales Epiſcopi *Romani* Præſulis confirmationi obnoxii erant. Porro *Innocentium* de Epiſcoporum confirmatione agere quis inficietur? Mitto *vicinos* Epiſcopos, quos *Antiochenus* Patriarcha *ad ſuæ manus impoſitionem* vocare poterat; quum enim *Febronio* auctore (15) *canonibus antiquis Electi confirmatio ab ipſa ejuſdem ordinatione, ſeu conſecratione non diſtin-*

[14] ibid. *Revolventes itaque auctoritatem* Nicænæ *Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum*.

(15) T. II. *pag*. 602.

ſtingueretur (quod tamen , ut infra docebimus , aliqua indiget diſpunctione) quos Epiſcopos *Antiochenus* ſuæ adſcribere ordinationi poterat , eos utique confirmabat . Sed eos ut dixi mittamus. De ceteris loquamur. Non poterant hi *ſine permiſſu conſcientiaque Antiocheni* Patriarchæ *procreari*. At quid hoc erat , niſi eos *Antiocheni* confirmationi ſubijcere? Cur enim Metropolitanis eos *ſine permiſſu conſcientiaque* Patriarchæ ordinare non liceret, niſi quia ad id Patriarchæ adſenſus poſtulabatur ? Verum quis adſenſus ? certe prudens , & ad canonum leges præſtitus . Hic autem abſque probabili electionis, electique examine quei præberi potuiſſet ? Quæſo jam, quid hujuſmodi adſenſui deſit, quominus confirmatio appellari & poſſit, & debeat .

IV. Sed quod ex *Nicæno* Concilio, & *Innocentii* epiſtola ratiocinando effecimus , hiſtorica documenta comprobant. Nimium *Illyricorum* Antiſtitum confirmationem fuiſſe Apoſtolicis Vicariis *Theſſalonicenſibus* Epiſcopis ſervatam tam certum eſt , quam quod certiſſimum. Recitavi (16) in hanc rem Sanctorum *Siricii*, & *Leonis* M. epiſtolas , quibus nihil luculentius. " Etiam dudum , fra-
„ ter cariſſime , *Siricii* verba ſunt in epi-
„ ſtola ad *Aniſium* (17) , per *Candidianum*

(16) Ant. T. II. *lib.* I. *cap. IV. n.* 9.
(17) *ep. IV. T. I. Epiſt. R. P. col.* 642.

„ Episcopum, qui nos præcessit ad Domi-
„ num, hujusmodi litteras dederamus; ut
„ nulla licentia esset sine consensu tuo in
„ *Illyrico* Episcopos ordinare præsumere:
„ quæ utrum ad te pervenerint, scire non
„ potui ... Ad omnem enim hujusmodi au-
„ daciam comprimendam vigilare debet in-
„ stantia tua, spiritu in te sancto fervente:
„ ut vel ipse, si potes, vel quos judicave-
„ ris Episcopos idoneos cum litteris dirigas
„ dato consensu, qui possit in ejus locum,
„ qui defunctus vel depositus fuerit, catho-
„ licum Episcopum & vita & moribus pro-
„ batum, secundum *Nicænæ* Synodi statuta,
„ vel Ecclesiæ *Romanæ* clericum de clero
„ meritum ordinare. Similia *Leo* (18): "
„ ut vero vestræ dilectioni provinciæ suæ
„ ordinatio permittitur Sacerdotum, ita fra-
„ trem & coepiscopum nostrum *Anastasium*
„ de ordinando Antistite volumus consula-
„ tis. Cui Metropolitani Episcopi conse-
„ crationem statuimus reservari". Quo ve-
ro ista spectabant, nisi ut *Thessalonicenses* E-
piscopi propositos electosque Antistites con-
firmarent? Docet id S. *Leo*, qui ad eum-
dem *Anastasium* scribens ait [19]: " Nullus
„ *te inconsulto*, per illas Ecclesias ordine-
„ tur Antistes: ita enim fiet, ut sint de
„ eligendis matura judicia, dum tuæ dile-
„ ctio-

(18) *ep. V. T. I. Bal. edit. col.* 618.
(19) *ep. VI. col.* 621.

„ ctionis *examinatio formidetur*. Quisquis ve„ ro a Metropolitanis Episcopus contra no„ stram præceptionem præter tuam notitiam „ fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos „ status sui noverit esse firmitatem, eosque „ usurpationis suæ rationem, qui hoc præ„ sumpserint, reddituros". Quid isthæc Vicarii Apostolici *examinatio formidanda?* nisi adsensus re accurate discussa a Vicario præstandus, ac vera electi confirmatio?

V. Hinc vero duo potissimum colligenda sunt, quæ *Febronianas* omnes molitiones disijciunt. Primum est *Illyricorum* Episcoporum confirmationes ad *Romanum* spectasse Pontificem. Quei enim *Siricius*, quei ceteri ejus successores Apostolicis per *Illyricum* Vicariis hasce confirmationes servassent, nisi id ipsorum juris fuisset? Num summi Pontifices qua ipsi destituerentur auctoritate, eam cum suis Vicariis communicare potuissent? Alterum est, non *Italorum* modo, sed & *Gallicanorum*, *Hispanorum*, *Africanorumque* Præsulum confirmationem Juris Pontificii habendam esse. Multis id in *Antifebronio* confirmavi, & quod ad *Gallias* adtinet, etsi *Thomassinus* repugnat, disertissimo *Valentiniani* III. testimonio. Inter cetera enim crimina hoc Imperator *Hilario Arelatensi* exprobrat, quod *Ecclesiæ* Romanæ *Urbis* INCONSULTO PONTIFICE *judicia, sive ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasisset*. No-

titia electorum Antistitum quo pertineret, jam diximus, ad eorum scilicet examinandam, probandamque electionem. Verumne omnia heic repetam, usine fuerint, nec ne sua in omnes *Occidentales* Ecclesias potestate *Romani* Pontifices, inquirere supersedeamus. Satis sit, id illis fuisse auctoritatis. Hoc autem negarit nemo, qui pacatum nonnihil animum nec præconceptis opinionibus imbutum ad ista adjecerit. Quo enim jure, Patriarchali scilicet, ad *Nicæni* Canonis ab *Innocentio* explanati disciplinam *Illyricorum* Antistitum confirmationem summi Ecclesiæ Primates Vicariis suis, atque adeo sibi vindicarunt, eodem ceteros quoque per *Occidentem* confirmare potuissent. Id vero sufficit, ut quam deinceps omnium Episcoporum confirmationem sibi adscripserunt, eam non ex *Isidorianis* Decretalibus aut Curiæ cupiditate, sed ex veteri jure, ac disciplina profectam intelligamus.

VI. *Febronius* tamen urget (20): " Primitus Episcopi in unaquaque provincia a
„ Comprovincialibus, & Metropolitano præsertim confirmati sunt; nimirum ab eis,
„ penes quos jus erat ac potestas electum
„ consecrandi; etenim Canonibus antiquis
„ Electi confirmatio ab ipsa ejusdem ordinatione seu consecratione non distinguebatur, sed nec ullo umquam postea Ecclesia-
„ stico

(20) T. II. pag. 602.

„ stico Canone introducta dici potest *confir-*
„ *matio* quasi actus, qui medius esse debeat
„ electionem inter & consecrationem, & ab
„ ea diversus. Hæc duo quippe, inquiunt
„ Canonistæ, tam novi quam veteres, *Ele-*
„ *ctio & consecratio unum faciunt Episcopum*.
Hæc si vulgaris quispiam de Curiæ *Romanæ* Jurisconsultis scripsisset, haud fortassis mirarer; miror sane tanto viro, qui in Ecclesiastica historia se maxime versatum ostentat, isthæc excidisse. Debuerat *Febronius* duplicem eligendorum Episcoporum formam, quæ olim in Ecclesia obtinuit, diligenter distinguere. Nam ubi a Provinciæ Episcopis in Synodum coactis deligebantur, eadem erat confirmatio, quæ consecratio; quum enim iidem essent Episcopi, qui Episcopum eligebant, & consecrabant, a consecratione confirmatio minime secernebatur. Aliter constitutæ sunt res, quo tempore a Provinciæ Synodo ad Clerum populumque fuit electio translata. Tunc enim ad Metropolitanum vel a visitatore Episcopo vel ab aliis deferenda erant Cleri Suffragia, populique postulationes, ut quum a Metropolitano perpensa fuissent ejus saltem auctoritate ordinatio perageretur. Exstant hanc in rem plures Conciliorum canones. In his *Arelatense* II. (21) statuit: *Episcopum sine Metropolitano, vel Epistola Metropolitani, vel tribus Comprovincialibus*

(21) Can. V.

non liceat ordinare. Hanc aliter *Aurelianense* IV. (22) *licet melius esset in sua Ecclesia fieri, tamen aut sub præsentia Metropolitani, aut certe cum ejus auctoritate intra Provinciam omnino a Comprovincialibus ordinetur*. Immo S. *Leo* M. *Rustico Narbonensi* edixerat (23): *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati*. Ubi quatuor aperte distinguuntur, *electio*, quæ clericis, *postulatio*, quæ plebi, *judicium* quod Metropolitano, *consecratio*, quæ Provincialibus Episcopis tribuitur. Hinc *Rhemensis* Archiepiscopus *Hincmarus* ad *Hincmarum Laudunensem* scribebat (24): " in *Rhemensi* Provincia si " fuerit defunctus Episcopus, ego, & non " tu visitatorem ipsi viduatæ designabo Ec- " clesiæ, & electionem cum decreto cano- " nico præcipiam fieri. Et si in partes se eli- " gentium vota diviserint, meum & non " tuum erit eligere, qui majoribus & ordi- " nandum studiis juvetur & meritis; & " meum est ordinandum examinare, non " tuum. Tuum est autem cum aliis mecum " ordinare Episcopum, & litteris Canoni- " cis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis " jubetur adcipere, post me in tuo loco " sub-

[22] *Can. III.*
[23] *ep. CLXVII. col.* 1420.
[24] *Opusc. contra* Hincm. Laudun. *cap.* 6.

,, subscribere " . Quin etiam etsi Episcopi a Papa consecrari debebant , a Metropolitano tamen examinandi antea probandique erant. Discimus id ex S. *Gregorio* M. ex quo illud etiam constat, quibus de rebus Metropolitanus electi Episcopi examen institueret. ,, Hortamur, inquit in epistola ad *Ravennatem* Metropolitam (25), ut fraternitas vestra eum, quem uno consensu omnes elegerint , ad se faciat evocari , quam cauta ex omnibus examinatione discutite . ,, Et si . . . fidelium personarum relatione, ,, ejus vobis quidem vita placuerit, ad nos ,, eum cum decreti pagina , vestræ quoque ,, addita testificationis Epistola , destinate , ,, quatenus ejusdem a nobis Ecclesiæ, dispo- ,, nente Domino , consecretur Antistes. " Quid aliud quæso requiritur , ut Metropolitano confirmationem ab Episcoporum consecratione sejunctam adjudicemus? (26).

VII. At enim Romani *Pontifices confirmationem a consecratione separantes*, *atque illam ad se trahentes* , *veram servitutem Ecclesiis imposuerunt*. Ita *Febronius* [27] qui etiam inde exortos abusus numerando percenset. Nec vir oppido bonus animadvertit , [ut istos abusus tantisper concedamus] nullam ab abusibus ad jus ipsum negandum esse argumen-

(25) *l.* VII. *c.* 50.
(26)
(27) *l. c.*

mentationem. Putatne Metropolitanorum, aliorumque Antiſtitum confirmandorum jure numquam abuſos *Orientis* Patriarchas fuiſſe, numquam *occidentis* Metropolitanos? Nullamne in Epiſcopales beneficiorum collationes vitium irrepſit? Neget ergo Patriarchis & Metropolitanis, neget id juris Epiſcopis. Quamquam quinam ſunt hi abuſus? *Scilicet*, inquit ſtatim *Febronius* [28], *hoc medio per graviſſimarum annatarum exactionem regna ac provincias auro argento emungunt populis perſuadent, quaſi Epiſcopalis poteſtas eſſet Pontificiæ auctoritatis voluntaria emanatio; prætextus & anſas inde deſumunt ad inſinuandas & ſtabiliendas Ultramontanorum prætenſiones.* At de Annatis dictum ſupra abunde eſt: quod ſi propter annatas *Romani* Pontifices *veram ſervitutem Eccleſiis impoſuerunt*, quid Epiſcopis fiet, qui in præſcribendis annatis ſummis *Romanæ* Eccleſiæ principibus exemplo ſuo præiverunt? Ridiculum porro eſt, quod hac demum ratione *populis* Papæ *perſuadeant*, *quaſi Epiſcopalis poteſtas eſſet Pontificiæ auctoritatis voluntaria emanatio*. Numquid hanc poteſtatem a Chriſto immediate proficiſci, deſignationem autem perſonæ, quæ quum conſecratur, eam a Chriſto poteſtatem adcipiat, ad Pontificem ſpectare ſi diceremus, non poſſent *Romani* Præſules confirmationem a conſecratione ſeparare? Quo tempore Patriar-

[28] *l. c.*

triarchæ Metropolitanos, Metropolitani Episcopos non eos consecrando, sed de eorum electionibus legitime ne essent dijudicando, ut sæpe factum vidimus, confirmabant populisne persuadebant, *quasi Episcopalis potestas esset* Patriarchalis aut *Metropoliticæ voluntaria emanatio?* Illud enimvero acute dictum, *prætextus & ansas inde desumi ad insinuandas & stabiliendas Ultramontanorum prætensiones*, easque ut paullo inferius adversarius loquitur, *nondum eliquatas*, *bullas* scilicet *negando*, *protrahendove*. Sed velim, ut ingenue *Febronius* respondeat. Num omnino *eliquatæ* sunt *Regalistarum prætensiones*, quibus absque Regum adsensu quemquam renunciari Episcopum vetant? Sint probabiles, per me licet, sint æquæ; at *planæ eliquatas*, ac certissimas qui dixerit, sapientibus equidem quibusque nimius Regiæ dignitatis adsentator videbitur. Finge jam a *Romano* Pontifice, immo & a Metropolitano si vis eum eligi Episcopum, qui istis *Regalistarum prætensionibus* adversetur. Hanccine electionem Regi probatum iri *Febronius* existimabit? Misello mihi credat, negabitur, protraheturve Episcopatus possessio. Audiat nunc quid inferam. Principes ergo dum neminem absque suo ipsorum consensu Ecclesiasticis suæ ditionis dignitatibus exornari patiuntur, *veram servitutem Ecclesiis imponunt*, *ac prætextus & ansas inde desumunt ad insinuan-*

nuandas & stabiliendas Regalistarum *prætensiones nondum eliquatas*. Quid ad hæc *Febronius?* Dicam ego quod Pontificibus æque atque Principibus plurimum faveat, injustum nempe esse, ut sive a Regibus, sive a Pontificibus illi, qui eorum jura etsi *nondum eliquata* præfracte oppugnent, se maximis ornari beneficiis contendant. Quo ista spectent, *Febronius* utique intelligit. Quid vero si *prætensiones* quas *nondum eliquatas* ipse confidenter pronunciat, ejusmodi sint, ut apertis Scripturarum testimoniis Patrum consensione, Theologorum sententiis, ac vetere sæculorum propemodum omnium consuetudine firmentur? Ut ut est, noluissem inter hujusmodi *prætensionum* exempla illud a *Febronio* adferri *Clementis* XI. *Prælatis*, *qui Constitutioni* Unigenitus *simpliciter subscribere renuebant*, *bullas confirmationis ad Episcopatus diu protrahentis*. Numquid *prætensio nondum eliquata* dici a Catholico homine potest, *Prælatis*, qui dogmatico universæ Ecclesiæ decreto *simpliciter subscribere renuant*, *bullas confirmationis ad Episcopatus diu protrahere?* Sed de Constitutione *Unigenitus* satis alibi disputavimus.

VIII. Heic tamen non omittamus quod alibi [29] ex *Ivone Febronius* obiicit. Scribit ille ad *Hugonem Lugdunensem* Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum, qui præceperat, ut *Senonensis* Archiepiscopus *ante con-*

consecrationem suam ipsi præsentaretur (30): *Quod si* privilegio vestræ legationis *contenditis, eum vobis præsentari, qui nec apud nos, nec apud vos ab aliquo est accusatus, non ita Papa* Leo Anastasio *instituit* Thessalonicensi *Episcopo, Vicario suo; sed ut tantum de nomine electi ad notitiam ejus provinciales referant Sacerdotes, ipse autem nullis dilationibus, nullis difficultatibus fatigaret electiones*. Hinc autem *Febronius* colligit *Papam aut ejus legatum non debere se immiscere electioni, confirmationi, seu consecrationi Episcoporum*. Verum ignoscat mihi *Febronius*, hæc ab *Ivonis* mente penitus abhorrent. Aures adrigat. Recito *Ivonis* verba ex epistola VIII. ad *Richerium*, qui ipsius consecrationem ab *Urbano* summo Pontifice factam improbabat. *Est & aliud in litteris vestris, in quo evidentissime & irreverentissime os vestrum posuistis in cœlum, & lingua vestra transivit, quum benedictionem per manus impositionem Papæ datam & Cardinalium* Romanæ *Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque hostili irrisione appellatis*: QUUM AD IPSAM PRINCIPALITER ET GENERALISSIME PERTINEAT, TAM METROPOLITANORUM, QUAM CETERORUM EPISCOPORUM CONSECRATIONEM CONFIRMARE VEL INFIRMARE; CONSTITUTIONES VESTRAS ET JUDICIA RETRACTARE, SUAS VERO INCONCUSSAS RE-

TI-

(30) *ep.* 65.

TINERE, ET NULLIUS INFERIORIS JUDICIO RETRACTANDAS VEL CORRIGENDAS CONCEDERE. Hæc qui *Richerio* ſcripſit poſſetne *Febronio* adſentiri tradenti, *Papam aut ejus legatum non debere ſe immiſcere electioni, confirmationi ſeu conſecrationi Epiſcoporum?* Dum igitur *Hugoni Lugdunenſi* quæ ſupra reddidimus, verba perſcripſit, unum id voluit, Apoſtolico Legato poteſtatem non eſſe in eos moroſius inquirendi, quibus nullum umquam crimen objectum fuiſſet, ne juſtæ electionis fructu fraudarentur. Hac de cauſſa ait: *qui nec apud nos*, nec apud vos ab *aliquo eſt accuſatus*; *Leonis* autem ſententiam reddens verbum addit, quod a *Febronio* [incaute ne, an fraudulenter, alii viderint] omiſſum video: *nullis difficultatibus* JUSTAS *fatigaret electiones*[31]. Non igitur *Ivo* Legato negat electionum ſuo examini ſubijciendarum atque adeo confirmandarum facultatem quam *Leo Theſſalonicenſi* Vicario, ut vidimus, aperte conceſſit; hoc negat, licere Legato, ubi *juſtam* eſſe electionem conſtet, nec electus de ullo umquam crimine apud ipſum, vel Provinciæ Antiſtites fuerit poſtulatus, electi conſecrationem protrahere: Atque hæc ad vindicandum *Ivoni* impactam a *Febronio* calumniam dicta ſunto.

C A-

[31] Ita legitur in editione *Pariſienſi a.* 1575.

CAPUT III.

Episcoporum translationes quo jure Romani *Pontifices sibi solis adscripserint*. Innocentii *III. hac de re decretum a* Febronii *criminationibus iterum vindicatur*.

I. AD jus Episcopalium Translationum examinandum *Febronius* secundo nos vocat. Illud igitur non uno loco adfirmat, ejusmodi translationes olim ad Synodos spectasse, eamque in rem *Carthaginiensis* IV. Concilii canonem XXVII. adfert (1), itemque *Toletanæ* XVI. Synodi Canonem XII. (2), Capitularia *Caroli* M. (3). At id nemo negat, negabitque. Hoc *Dupinii* sectatori *Febronio* fuerat ostendendum, ut injuste a *Romanis* Pontificibus *Innocentio* III. præeunte usurpatum hocce jus, Synodisque ereptum evinceret, ad Translationes episcopales solam Synodorum facultatem, Præsulum *Romanorum* omnino seclusa auctoritate, expetitam olim adhibitamque fuisse. Cum primis autem debuerat, ea sibi explicanda proponere, quibus in *Antifebronio* (4) demonstratum

tum

(1) T. II. *pag.* 315.
(2) *ib. pag.* 620.
[3] *ib. pag.* 312.
(4) T. II *lib.* I. *cap.* 5.

tum perſpicue eſt, multo ante *Innocentium* III., immo & a quincto ſaltem Chriſtiano ſæculo hoc fuiſſe omnium Eccleſiarum decretum, poſſe *Romanum* Pontificem Canonibus, qui haſce translationes vetabant, laxamentum dare; contra vero non poſſe Synodos abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate eorumdem Canonum rigorem mitigare. Verum ille ea inculcare contentus, quæ nemo ignorat, diffitetur nemo, cetera, quæ tamen una cauſſam efficiunt, ſilentio præterit. Ut igitur tandem intelligat, quid ſibi præſtandum ſit, ſi ad me refellendum rurſus adgrediatur, primum docebo, potuiſſe ex Eccleſiarum etiam *Orientalium* ſententia Epiſcopos a *Romanis* Pontificibus ab una ad alteram Sedem transferri; deinde id præter Synodorum facultatem feciſſe, niſi Apoſtolicæ Sedis auctoritas adceſſiſſet: ex quo demum conſequitur, omne harumcce indulgendarum Translationum jus ſemper ad *Romanos* Antiſtites pertinuiſſe.

II. Enimvero quum in defuncti *Maximiani Conſtantinopolitanæ* Sedis Epiſcopi locum *Theodoſius Proclum Cyzicenis* jampridem datum Epiſcopum ſuffici juſſiſſet, *Conſtantinopolitani* autem neceſſariæ ad id translationis cauſſa repugnaſſent, Imperator exhibitis *Cœleſtini Romani* Pontificis adſentientis litteris omnem difficultatem amovit, ut auctor eſt

So-

Socrates (5). Eam ergo cum Imperator, tum *Constantinopolitana* Ecclesia esse *Romani* Pontificis auctoritatem agnovit, ut Canonum super translationibus jus laxare posset. Quod autem ad id necessaria habita olim fuerit ejusdem *Romanæ* Sedis potestas, quei *Febronius* negabit. Si enim Synodi præstare id per se posse, inconsulto etiam *Romano* Præsule, existimabant, cur *Corinthii*, ut *Perigenes*, quem in Synodo *Patrensibus* antea præfecerant, sibi Episcopus concederetur a *Bonifacio* I. flagitarunt? (6) Cur Patres *Tarraconenses* ad Apostolicam Sedem confugerunt, ut quemadmodum in Synodo decreverant, sibi liceret ad *Barcinonensem* Ecclesiam *Irenæum* cujusdam Municipii ad eam diœcesim spectantis Episcopum transferre? Cur *Hilarus* Papa *Tarraconensis* Concilii, quas præcipere animo poterat, querelas nihil veritus *Irenæum* ab Ecclesia *Barcinonensi* statim removeri, suæque restitui jussit? (7) At contrariam *disciplinam*, inquit *Febronius* (8), *usque ad sæculum* X. *inconcussam mansisse demonstrat* Thomassinus (Part. II. lib. II. cap. LXII. LXIII.) *ostendens*, *circa illa tempora paullatim cœpisse Episcoporum translationes ad Sedem Apostolicam devolvi*. Ego autem primum ne-

(5) *lib. VII. hist.* Eccles. *cap.* XL. Vide quæ de hisce *Cœlestini* litteris in *Antifebronio* adnotamus (T. *II.pag.*95.)
(6) Vide *Bonifacii epist. IV.* & XV.
(7) Confer Antifebronium T. *II. pag.* 96.
(8) T. *II. pag.* 258.

go id universim a *Thomassino* doceri; hic enim ante annum Christi millesimum ait (9) *non* FERE *nisi in* Gallia *Episcopos & Reges Pontificiam auctoritatem, interposuisse ad confirmandas translationes*. Quomodo igitur oppositam *disciplinam usque ad saeculum* X. INCONCUSSAM dicere *Thomassinus* potuit? *Inconcussamne* eam existimasset vir doctus disciplinam, quae ipso judice non servaretur in *Gallia*, & ita alibi obtinuit, ut non constanter & ubique sed *fere* viguerit? Deinde statuo quas novimus, translationes duas veluti in classes tribui posse. Ad alteram translationes spectant, quas fidei necessitas omnino postulabat sive ad arcendos ab Ecclesiis haereticos, cujusmodi *Orientales* plurimae, quo tempore *Ariana* haeresis longe lateque pervagabatur; sive ad declinandas barbarorum hostium incursiones, sive ad fidem inter idololatras conservandam, uti apud *Anglos* factum memorat *Beda* (10). Ad alteram pertinent, quas non fidei discrimen extorsit, sed una Ecclesiae utilitas, aut etiam pro temporum conditione necessitas postulavit. Quod ad illas adtinet, eae nihil ad rem faciunt, quum praeter regulam fuerint, ut quae saepenumero non Synodorum judicio, sed Episcoporum, qui ab altera ad alteram Sedem commigrabant, arbitrio, immo

(9) T. *II. lib. II. cap.* 63. *n.* 14.
(10) *hist.* Anglor. *lib. II. cap. V. seq.*

mo & populorum voluntate peragerentur, *formidolosis* enim, ut ex *Thomassino* (11) alibi monuimus, *temporibus summum jus prætermitti necesse est*, ubi præsertim fidei caussa agitur, quæ omnem disciplinam antecellit. Quamobrem ubi fides periclitabatur, Episcopi quoque aliquos in alienis Ecclesiis atque Provinciis interdum ordinarunt, licet id a Canonibus graviter vetaretur.

III. De altero quod indicabam, translationum genere hæc habeat *Febronius*. 1. paucissima antiquioris ætatis ad nos monumenta pervenisse, paucissimas *Romanorum* Pontificum epistolas, vix ullas tot per *Occidentem* Episcoporum, ipsa Conciliorum acta tam brevi stylo conscripta exstare, ut ne actorum quidem nomen mereantur. Unde ergo *Thomassinus*, unde *Van-Espenius*, unde ipse illorum temporum translationes *cum exclusione* Romani *Pontificis* (12) inductas colligat? Nam in tanta veterum monumentorum inopia, in tanta Conciliarium gestorum parcitate quid quæso ductum ex adhibitæ hujusmodi auctoritatis silentio argumentum efficiat? 2. sumi non injuria posse eas quoque translationes, quarum aliqua apud veteres mentio nullo Pontificii adsensus indicio ab ipsa tamen Apostolica Sede promanasse. Ac multa quidem id suadent. Suadet I. *Cantua-*

(11) *l. c. cap.* LXI. *n.* 7.
(12) Verba *Febronii* sunt T. II. *pag.* 98.

riensium maxime ante annum millesimum Archiepiscoporum exemplum, qui fere omnes ad *Cantuariensem* Sedem fuere aliunde translati, nulla apud historicos aliosve Scriptores adsentientis *Romanæ* Sedis facta mentione. Vult *Thomassinus* (13) id ea de caussa factum, ut *principem totius* Angliæ *Sedem ii regerent Episcopi qui in aliis Ecclesiis & tyrocinium posuissent, & aliquod sui experimentum dedissent*. Verum cur in sola *Anglia* Canonibus, ac *Romanorum* Pontificum Constitutionibus maxime repugnantibus id factum? nec eamdem ob caussam principes aliarum gentium Sedes idem sibi vindicarunt? Multo igitur verisimilius id in singularia, quibus *Romani* Pontifices *Cantuariensem* Sedem ornarunt, privilegia cl. P. *Bianchi* retulit (14), præsertim quum Cathedrales *Anglorum* Ecclesiæ, ac *Cantuariensis* cum primis, per ea tempora a Monachis administraretur, in hoc consentiente Præsulum *Romanorum* Regumque voluntate, ut *Usserius* quoque fatetur (15). Ipse certe *Thomassinus tranlationes eas* Romæ *ignoratas*, & *Papæ incompertas* fuisse inficiatur. Quum ergo *Romani* Pontifices translationibus semper obstiterint, nihilne adversus *Anglicanas* tam diuturno temporis intervallo continenter facta s moliti umquam

(13) T. II. *lib.* II. *cap.* 63. *n.* 13.
(14) T. *V.* P. I. *pag.* 444.
(15) *de Antiquit.* Btitann. *Eccles. cap.* 27.

quam fuiſſent, niſi illas Apoſtolicæ Sedis præſidio munitas inveniſſent? Suadet 2. ea quæ nono jam ſæculo obtinuerat, de translationibus præcipue *Romanæ* Sedis auctoritate faciendis ſententia. Quare Hincmarus *Rhemenſis* (16): *ſi autem*, inquit, *cauſſa certa neceſſitatis, vel utilitatis exegerit, ut quilibet Epiſcopus de civitate, in qua ordinatus eſt, transferatur ad aliam civitatem Synodali diſpoſitione vel* (idem heic quod *&*) *Apoſtolicæ Sedis conſenſione apertiſſima ratione manifeſtum fieri debet*. Duo nempe præcipue ad hujuſmodi translationes exigebantur Synodi aut Metropolitani de illarum ſive neceſſitate ſive utilitate judicium, & Apoſtolicæ Sedis auctoritas, quæ quum non eas præciperet, ſed ex Synodi aut Metropolitani relatione permitteret ab ipſa Synodo, ſeu Metropolitano deinde faciendas, mirum non eſt hiſtoricos, & acta Conciliorum interpoſitam *Romani* Pontificis facultatem quæ quum pervulgata eſſet ejus apud omnes neceſſitas, ſumebatur plerumque ſiluiſſe, eaque, quæ in Provinciis geſta fuerant, tantum narraſſe. Exemplis porro *Hincmari* decretum firmatur. *Sueſſionenſe* Concilium, cui *Hincmarus* ipſe intererat, *Actardum Nannaticæ* antea Urbis Epiſcopum, ſed a *Northmannis*, *Britonibusque*, qui urbem illam exuſſerant, funditusque diruerant, in eremum ſecedere compulſum al-

(16) *T. II. oper. edit. Sirm. pag.* 744.

teri Ecclesiæ præfici optabant. Eapropter sibi hanc non esse facultatem intelligentes ad *Nicolaum* I. litteras dederunt, ut *vacantis Sedis constitueretur in cathedra* (17) *Frotarius* quoque ut a *Burdigalensi* ad *Bituricensem* transferretur Ecclesiam, a *Johanne* VIII., *testimonio* tamen *comprovincialium Præsulum*, impetravit (18). Neque hac de re ulla sæculo decimo dubitatio erat, adeo ut *Auxilius*, qui in *Formosi* defensionem plures adfert translationes, in præfatione (19) tamen ejusmodi illas exstitisse monet, ut Apostolicæ Sedis auctoritate, licet non sola (postulatur nimirum præterea, ut monui, Synodi aut Metropolitani de earum necessitate aut utilitate sententia) confirmatæ fuissent. Suadet deni-

(17) Suess. *Concil. in epist. ad Nic.* I. Hinc erraffe *Febronium* intelliges, qui cum *Thomassino* adlatam *Hincmari* sententiam ita explicat ut *disiunctive vel Sedis Apostolicæ auctoritate, vel decreto Synodi Provincialis* translationum negotium *absolveretur* [T. I. cap. IV. §. 6. n. 2. pag. 246.] Si enim alterutra ad id suffecisset aut Synodi, aut Pontificis auctoritas, cur *Suessionenses* PP. quos inter, ut dixi, *Hincmarus*, ad *Nicolaum* confugerunt? Loquutus igitur est *Hincmarus* ex suæ ætatis consuetudine, qua *vel* sæpe pro & usurpatur. Confer Antifebr. T. II. *lib.* I. *cap.* *V. n.* 7.

[18] Vide Antifebronium *l. c. n.* 8.

[19] Auxil. in Proem. in lib. de ordinat. Formosi. *Prudens lector, hæc de scripturarum copiis, & Sanctorum Patrum documentis pauca defloravimus, scilicet, quod si Episcopus a propria Sede fuerit pulsus, certa imminente necessitate vel utilitute, in alia Ecclesia, quæ Præsulem non habet, intronizzari possit*: NON TAMEN ABSQUE AUCTORITATE DUMTAXAT ROMANI PONTIFICIS.

denique tot Provincialium per *Orientem*, & *Occidentem* Synodorum, & generalium *Nicænæ* & *Sardicensis* in vetandis Translationibus mira consensio. Neque enim verisimile est, Provincialia Concilia sibi tantum juris vindicasse, ut œcumenicarum Synodorum atque universalis Ecclesiæ decreta extra fidei necessitatem tam crebro laxarent, quin Sedem illam consulerent; cui potissimum uti canonum cura, ita & dispensationum facultas concredita est.

IV. *Attamen*, inquit Febronius (20) *ante fictas* Isidori *epistolas nullus Canon Episcoporum translationes Provincialibus Synodis abrogavit, & Papæ reservavit*. At probandum *Febronio* fuerat, Canonum sanctionibus ad id opus fuisse. Ipse ait (21) *æquum esset pati universalem Ecclesiam, ut* Romanus *Pontifex tamquam Caput in legibus a Conciliis etiam Generalibus latis sapienter dispenset*. Quid vero si quis Canonem aliquem adferri petat, quo hæc *Romani* Pontificis potestas vindicetur? Respondebit utique ea, quæ ad necessaria Primatus jura pertinent, non a Canonibus adcersenda esse, sed ab ipsa Primatus indole; jus autem hoc in legibus etiam generalium Conciliorum *dispensandi* ad Primatus naturam spectare. Recte quidem; sed animadverte quæso, translationes, de quibus a-

(20) T. II. *pag.* 312.
(21) T. I. *cap.* 2. §. 4. *n.* 7. *pag.* 107.

gimus, ad ejusmodi dispensationum genus referendas esse. Quid igitur Canones exposcit, qui absque Canonum decretis ex sola Primatus ϰϛιϰ solvendorum Conciliaribus quoque legibus fidelium potestatem *Romano* Pontifici libens adjudicat? Quod si tamen Canones desiderat, dabimus, illos ipsos, qui caussas majores a primis Ecclesiæ sæculis Apostolicæ Sedi servandas statuerunt. An non enim gravioris momenti negocia sint Episcoporum translationes, de quibus Ecclesia in tot Conciliis leges sibi ferendas existimavit? a quibus populorum salus maxime pendet? quibus via tumultibus, ambitioni, avaritiæ, pestibus scilicet Christianæ Reipublicæ sternitur? Hinc vides hasce translationes ad jus divinum, ut *Innocentius* III. adfirmabat, omnino pertinere. Juris enim divini est, ut qui universæ Ecclesiæ primatum habet, ad eum spectet cum generalium canonum remissio, tum de majoribus caussis judicium. Cave ergo decretalem epistolam (22), qua idem *Innocentius* III. translationes prohibuit *sine judicio Papæ nec a Metropolitanis nec a Patriarcha quidem faciendas*, *extorsionem per graves censuras* cum *Febronio* (23) appelles. Ubi autem quærere *Febronius* pergat: *quo jure has* (censuras) *intulit utentibus*

jure

(22) *in Cap.* 1. & 2. *de Translat.*
(23) T. II. *pag.* 98.

jure genuinorum Canonum ? (24) dispensationum, & caussarum majorum jus iterum ac tertio inculcabimus.

V. Sed *Innocentii* suscipienda est uberior defensio. Queritur *Febronius* extortam ab *Innocentio* translationum a Metropolitanorum, Synodorumque judicio avocationem " ex ratiocinio super illo : *Quod Deus conjunxit homo non separet* : ex principio illo : *Majores caussæ ad Sedem Apostolicam sunt deferendæ ;* sine ullo præcedente specifico Canone, nisi illo *Anteri* Papæ pseudo Isidoriano, quem retulit Gratianus Caus. VII. Quæst. I. Can. 34. contra omnium exemplarium fidem bis insuens: *auctoritate hujus Sanctæ Sedis :* & infra: *non tamen sine Sacrosanctæ* Romanæ *Ecclesiæ auctoritate & licentia* " Tum continenter addit : " Innocentio III. (qui trivit, & sequutus est *Gratiani* decretum, etiam usque ad repetendos manifestos errores, arg. *Cap. II.* de *Renunc.*) hoc jam erat satis, ut censuris perurgeret jus Translationis a se prætensum, extorsit ". Tria, ut vides, heic *Innocentio Febronius* vitio tribuit 1. quod novitiam veteris super translationibus disciplinæ abrogationem primus edita lege confirmarit (25). 2, quod falsa *Anteri* epistola ad id

(24) *ibid.*

(25) Clarius ejusdem *Innocentium* criminis *Febronius* in primo opere insimulavit his verbis (*cap. IV. §. 6. pag.*244.) *Nul-*

id ipsi fuerit satis. 3. quod miram hanc novitatem principio illi superstruxerit: *Majores caussæ ad Sedem Apostolicam sunt deferendæ ac ratiocinio* præterea super illo: QUOD DEUS CONJUNXIT HOMO NON SEPARET. Age singula expendamus. At ad primum quod adtinet, neque novitia dici ea disciplina potest, cujus a quincto saltem sæculo sunt, ut vidimus, repetenda, neque eam primus *Innocentius* legis auctoritate munivit. Antiquior *Innocentio Paschalis* II. in litteris, quibus *Roffensis* Episcopi ad *Cantuariensem* Sedem translationi adsentiebatur, diserte scripserat: *Vos præter auctoritatem nostram Episcoporum quoque mutationes præsumitis; quod sine Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate ac licentia fieri* NOVIMUS OMNINO PROHIBITUM. Exstabat ergo jam tum lex aliqua, quæ id vetabat. Hinc *Ivo Carnotensis Paschali* æqualis *Translationes Episcoporum, necessitate urgente Metropolitani auctoritate, & summi Pontificis dispensatione fieri oportet* (26). *Anselmus* quoque illorum temporum sanctissimus Præsul, *qui* inquit (27), *sacratus est Episcopus, non potest constitui in alia Provincia Episcopus cano-*

Nullus genuinus Juris locus perstat, pontificatu Innocentii III. *antiquior, qui expresse vel æquivalenter dicat, Translationes Episcoporum Papæ reservari. Prima in hanc rem Decretalis legitur in* Cap. 2. X. de Translat. *quæ est de anno* 1198. (estque *Innocentii*.)

(26) *ep.* CLXXXI.

(27) *lib.* III. *ep.* CXXXVI.

canonice, sine consilio & adsensu Archiepiscopi & Episcoporum ejusdem Provinciæ, cum auctoritate Apostolica. *Ordericus* quoque *Vitalis*, quem in *Antifebronio* indicavi, *Innocentio* paullo vetustior ait (28): *Quia Episcopus secundum decreta Canonum de propria Sede ad aliam Ecclesiam nisi auctoritate* Romani *Pontificis promoveri nequit &c.*

VII. Nugæ porro sunt, ac mera somnia, quæ de fictitia *Anteri* epistola adversarius conijcit. Cedo locum, ubi hanc *Innocentius* epistolam commemoret. Ait quidem *Innocentius* (29) id testari ANTIQUITATEM, *cui decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam*, & *evidenter adserunt Sacrorum Canonum Sanctiones*. Ergone spuriam propterea *Anteri* epistolam spectavit? At nonne *Febronius Innocentium* dicit *principio* illi fuisse innixum: *Majores caussæ ad Sedem Apostolicam sunt deferendæ*? Quid igitur *Anteri* epistolam in medium adfert? Effatum: *Majores caussæ &c.* hoc illud est, quod *Innocentius testari* antiquitatem ajebat *Sacrorum canonum sanctionibus roboratam*. Id ipse *Innocentius* diserte indicat (30). *Quum ex illo generali privilegio, quod beato* Petro, *& per eum Ecclesiæ* Romanæ *Dominus noster indulsit*, CANONICA *postmodum manaverint* INSTITUTA CONTINENTIA,

MA-

(28) *ad ann.* MCXXXVI.
(29) *Cap.* 3. *de Transl.*
(30) *Cap.* I. *de Transl.*

MAJORES ECCLESIÆ CAUSSAS AD SEDEM APOSTOLICAM PERFERENDAS, ac PER HOC *translationes Episcoporum . . . .ad summum Apostolicæ Sedis Antistitem de jure pertineant &c.* Ut ut est, inquit *Febronius* (31), *quod dixi & probavi* (Ubi ? video theses, verba. declamationes; probationes nusquam vidi, nec porro visurum me spero): *numquam talia sua propriaque auctoritate egerunt* Romani *Pontifices ante falsas decretales*, *neque postea egerunt nisi in vim & sequelam earumdem*. Velim tamen, *Febronius* meminerit, sua item hæc esse(32): " in epistolis illis, quas primis *Ro-*
" *manis* Pontificibus supposuit *Pseudo-Isidorus*
" circa sæculum nonum, integra adhuc cir-
" ca Translationes Episcoporum elucet Sy-
" nodorum Provincialium auctoritas. Ete-
" nim in *Can.* 34. *Caus. VII. quæst. I.* ait
" supposititius *Anterus*: *sicuti Episcopi habent*
" *potestatem ordinare regulariter Episcopos*, &
" *reliquos Sacerdotes*; *sic quoties utilitas aut*
" *necessitas coegerit*, *supradicto modo &* muta-
" re & *inthronizare potestatem habent*. Addi-
" tur quidem apud *Gratianum non tamen sine*
" *Sacrosanctæ* Romanæ *Sedis auctoritate &*
" *licentia*; verum uti notarunt Correctores
" *Romani*, hæc verba non leguntur in epi-
" stola *Anteri*, neque in *Panormia*, neque
" apud *Burckardum & Ivonem*, non obscuro
" ar-

(31) T. II. *pag.* 98.
(32) *ibid. pag.* 258.

„ argumento, circa ævum *Gratiani* Episcopo„ rum Translationes summo Pontifici demum„ fuisse delatas ". Quid hoc ad rem? Paucis expedio. *Ivo* Translationes *summi Pontificis dispensatione fieri oportere* tradidit. Ejus verba nuper reddidi. Nec tamen hoc ille ex *Anteri* epistola hausit, quum verba a *Gratiano* addita *non tamen sine Sacrosanctæ* Romanæ *Sedis auctoritate & licentia* non legerit. Multo ergo magis a primis *Isidorianarum* epistolarum exemplis aberant quæ *Hincmari* ævo circumferebantur. Non heic urgeo, *Hincmarum* adversus illas epistolas cum *Nicolao* I. acriter dimicasse: quod sane argumento est, non fuisse illum earum lectione deceptum. Veras per me licet, habuerit. Si tamen ea verba in primis *Isidorianæ* collectionis codicibus desiderabantur, non potuit *Hincmarus in vim & sequelam Anterianæ* epistolæ translationes *Romani* Pontificis auctoritati tribuere. Tribuit tamen eo in loco, quem supra recitavi. Quæro jam. Si *Ivo*, si *Hincmarus* ita sensit inconsulta, quæ nondum extraneo illo adsumendo vitiata fuerat, *Anteri* epistola, quo *Febronius* argumento efficiet, *Romanos* Pontifices, quorum plures nempe a nono sæculo ad medium undecimum sæculum, atque adeo ante *Gratianum* floruerunt, quidquid super translationibus actitarunt, *in vim & sequelam Anterianæ epistolæ egisse*? Cur enim non potue-

fuerint hi iisdem ad id uti rationibus, quæ *Hincmaro* & *Ivoni* idem persuaserant? Quod si semel de Pontificibus *Innocentii* Prædecessoribus concesserimus, ut ad *Innocentium* redeamus, novo hoc erit argumento, ne eum quidem ab *Anteri* epistola deceptum fuisse, sed illis ipsis, quibus sui Prædecessores, momentis adductum.

VII. Hæc enimvero quæ fuerint, jam antea ex ipso *Febronio* indicavimus, cum illud antiquitatis decretum, *caussas majores* ad Apostolicam Sedem perferendas esse, tum Evangelica Christi verba: *Quod Deus conjunxit homo non separet*. Videtur utrumque *Febronius* ridere. Ego tamen quid heic reprehendendum sit, non intelligo. Caussas majores ad unius *Romanæ* Sedis judicium pertinere antiquitas sanxit; qua de re alibi disseruimus. Gravioribus vero caussis Episcoporum translationes adnumerandas esse quis inficietur? Quod autem spiritalis Episcopum inter & Ecclesiam matrimonii vinculum huc *Innocentius* traxerit, & hoc ex sacra antiquitate profluxit. *Alexandrina* Synodus a. 340. habita *Eusebii* a *Berytensi* Sede ad *Nicomediensem*, ab hac deinde ad *Constantinopolitanam* translationes ita coarguit (33): *Neque animadvertit* Paulli *præceptum*, *adligatus es uxori? noli quærere solutionem*. *Quod hoc de uxore dictum*

[33] *in epist.* Encycl. *apud S.* Athan. *& apud* Socratem *lib.* I. *cap.* 6.

ctum est, quanto magis de ecclesia, & de ipso Episcopatu, cui adligatus quispiam alium quærere non debet, ne adulter ex sacris litteris deprehendatur. Nempe *uxores Pontificum* esse *Ecclesias* concors Conciliorum, & Patrum vox est, quorum sententias indicat cl. *Coustantius* [34]. Unus sufficiat *Hieronymus* [35]: *hoc in* Nicæna *Synodo a patribus esse decretum, ne de alia ad aliam Ecclesia Episcopus transferatur; ne virginalis pauperculæ societate contempta ditioris adulteræ quærat amplexus*. Quid ergo *Innocentius* iisdem insistens vestigiis, peccavit? Scio *Petrum* de *Marca* argumentum, quod inde *Innocentius* pro sua Sede ducebat, non ea, qua par erat, modestia refellisse (36). Verum ludicras ejus argutationes pro meritis castigavit doctissimus P. *Bianchi* [37] quem auctor sum, ut *Febronius* adeat.

VIII. Antequam autem ad alia transeo, gratias *Febronio* agam, quod *Romanæ Curiæ* in mentem revocaverit (38) piam illam prudentemque venerabilis Cardinalis *Bellarmini* admonitionem: *Translatio Episcoporum secundum Canones & usum veteris Ecclesiæ non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem vel majorem utilitatem. Nec enim institutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ec-*

[34] *in notis ad epist. X.* Siricii *col.* 697.
[35] *ep.* LXXXIII. ad Oceanum.
[36] *lib. VI. cap.* 8. *n.* 1.
[37] T. *V.* P. *I. pag.* 390. *seqq.* & 448. *eqq.*
(38) T. II. *pag.* 408.

Ecclesias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus ea solum de caussa ut Episcopi honore vel opibus augeantur. Id enimvero veteris disciplinæ a *Romana* Ecclesia sæpius confirmatæ studium sapit. Quod autem *nullo apud Curiam sequuto effectu* id præclarissimum Cardinalem monuisse *Febronius* addit, ejus in *Romanam* Curiam odium declarat. Certe ut verum sit [quod tamen si a *Bellarmini* ætate ad nostra tempora Episcopalem libeat historiam scrutari, exaggeratius saltem dictum inveniemus] ad jus translationum, de quo nos inter disceptatio est, pertinere non equidem crediderim. Abusus nempe juris hic erit, & quod maxime notandum, a Principibus plerumque extortus; (39) non juris negandi argumentum.

C A-

[39] Neque enim *Bellarminus* improbatas a se translationes Pontificibus tribuit. Certe idem *Clemens* VIII. quem eo loco *Bellarminus* admonebat, a. 1599. 26. Februarii in litteris ad *Hispaniarum* Regem eum hortatus vehementer est, ne crebras Episcoporum translationes peteret. " Quo-
" niam, inquit *Constit. CXCI. T. V. Bullar. noviss. Rom.*
" *edit.* P. II. *pag.* 237., res *Hispaniæ* non parum Nobis
" notæ sunt, nam bis in *Hispania* fuimus, diuque in ea
" versati multa animadvertimus, præsertim, quæ ad Epi-
" scopos pertinent, non solum Majestatem Tuam requiri-
" mus, ut viros ex legitimo matrimonio natos tantum
" proponas, quos ad nominationem tuam Ecclesiis præfi-
" ciamus Episcopos, & Pastores, sed illud quoque Te
" efficaciter in Domino hortamur, & rogamus, ne crebras
" a Nobis Episcoporum ab una ad Ecclesiam aliam tran-
" sla-

" slationes petas, nisi justa & imprimis gravi de caussa, " nam etsi Sacri Canones non omnino id prohibent, veras " tamen, & non leves transferendi caussas postulant, ut " non ambitioni & avaritiæ, sed majori Dei gloriæ, & " Populorum utilitati serviatur; nunc autem quum fre" quens ea consuetudo in *Hispania* sit, ac nullo fere caus" sarum pondere & delectu, quotidie videmus, & inge" miscimus: ex hoc siquidem veluti fonte multa incom" moda, quin potius detrimenta promanant ". Hæc continenter *Clemens* percenset, atque uti par est, deplorat; tum addit: " Magna igitur Fili carissime cura, & pro" videntia adhibenda est in iis nominandis, qui in Episco" patu, non inanem fallacis mundi gloriam, sed Jesum " Christum quærant, & hunc Crucifixum, & animas a" ment ardentissime, easque Christo Domino lucrari stu" deant, pro quarum salute Agnus ipse innocens, & im" maculatus occisus est ". Num *Bellarmini admonitioni* tribuenda hæc sint, definire non licet; immo in sequente tantum anno is *admonitionem* suam *Clementi* obtulisse videtur. Utrumlibet adferatur, res in tuto est. Si enim *Bellarminus admonitionem* jam tum perscripserat, en ejus luculentissimum fructum, contra quam *Febronius* garrit: sin vero illam nondum Pontifici *Bellarminus* scripto tradiderat, *Clementis* litteræ argumento erunt, non eam *Bellarmino* mentem fuisse, ut translationes *Romanæ* Sedi vitio verteret, quas ab illa paullo antea tam gravi stylo reprehensas adceperat.

CAPUT IV.

Judiciaria Romani *Pontificis in omnes etiam citra appellationem sive deponendos sive absolvendos Episcopos adversus audaces* Febronii *conatus iterum adseritur.*

I. NUsquam *Febronius Romanis* Pontificibus infensiorem se prodit, quam ubi de judiciaria in Episcopos potestate agitur. *Depositionem Episcoporum antiqui*, inquit, [1] *& sinceri Canones Episcoporum Collegiis ita tribuunt, ut in illis* [*exceptis iis quæ* posterius *& ex* specialibus *caussis alibi expressis per* Sardicense *Concilium* Romano *Pontifici* supereroganter *adtributa fuerunt*] *ne vestigium quidem adpareat de minimo jure, quod Papæ unquam in his potuerit competere.* Immo paullo antea [2] *viri in historia & disciplina Ecclesiastica omnium principis* (maxima uti decet reverentia tanti *principis* nomen audiamus) CLAUDII FLEURY auctoritate ductus pronunciarat, *falsis quidem decretalibus statui, Episcopos definitive judicari non posse, nisi per Papam, idque iisdem decretalibus frequenter repeti; quando ex contrario innumera novem priorum sæculorum exempla, decretis generalium Conciliorum innixa, demonstrant, Episcopos in Pro-*

vin-

(1) T. II. pag. 269.
(2) pag. 268.

vincialibus Synodis, tamquam ordinario eorum tribunali, ultimato *judicatos fuisse*; *historiæ Ecclesiasticæ omnino ignorantem esse, qui sibi imaginatur nullum umquam Episcopum judicari potuisse, nisi* Romæ, *aut per Commissarios ab urbe Missos*. Equidem *Febronium* iis, quæ in *Antifebronio* (3) de Episcoporum depositionibus Ecclesiasticæ historiæ præsidio disputata sunt, satisfecisse maluissem, quam eum in *Fleury* licet *viri in historia & disciplina Ecclesiastica omnium principis* verba jurantem videre: sibi fortassis, & ipsi *Fleurio* melius consuluisset; veritati certe. Idem fieri præstitisset super iis, quæ de appellationibus integro libro (4) dissserueram. Sed de appellationibus postea viderimus. Heic quod in Episcoporum etiam citra appellationem judiciis *Romanæ* Sedi integrum semper fuit, jus tantummodo dispiciamus. Atque ut enucleatius res pertractetur, Patriarcharum, Metropolitanorum, ac ceterorum deinde Episcoporum caussas secernere libet, quæque in harum singulis fuerint *Romanorum* Præsulum partes, diligenter inquirere.

II. A Patriarchis initium duco. Nihil ad præsens institutum fingi luculentius potest, quam quod ad *Eusebianos* in S. *Athanasii* ab illis depositi caussa a S. *Julio* I. scri-

 ptum

(3) T. II. lib. I. cap. 6.
(4) III. scilicet partis secundæ *Antifebr.*

ptum novimus. *Oportuit*, inquit Pontifex (5), *omnibus nobis* (Ecclesiæ *Romanæ* ejusque Synodo) *scripsisse ut ita ab omnibus quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares Ecclesiæ, quæ vexabantur, sed quas Apostoli per se gubernarunt* (*Alexandrina* cum primis, cui *Athanasius* Episcopus præerat) . . . *An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc, quod justum est, decernatis?* Quam *Julius consuetudinem* appellat, eam *Socrates* (6) *Ecclesiasticam legem*, Sozomenus (7) *legem Sacerdotalem* seu *Pontificiam* vocat. Veteri ergo consuetudine, seu Ecclesiastica lege sancitum erat, ut ne *Orientales* quidem Synodi Apostolicarum ac Patriarchalium Ecclesiarum (cujusmodi *Alexandrina* & *Antiochena* erant) Antistites de sedibus deijcerent, quin a *Romano* Pontifice supremam ea de re sententiam præstolarentur. Neque sane *Eusebianis* æreæ frontis hominibus, *Romæque* perinfensis horum memoriam *Julius* refricuisset, nisi explorata penitus in *oriente*, indubiaque fuissent (8). Enimvero tertio jam sæculo *Alexandrini* quum S. *Dionysius* eorum Præsul in hæreseos suspicionem ipsis venisset, non antea quidquam in illum statuerant, quam

(5) T. I. Ep. R. P. col. 386.
(6) *hist.* Eccles. *lib* II. *cap.* 17.
(7) *hist.* Eccles. *lib.* III. *cap.* 10.
(8) Alia quæ ad hoc *Julii* testimonium illustrandum pertinent vide in *Antifebronio* [T. II. *lib.* I. *cap.* 6. *n.* 2.]

quam ad S. *Dionysium Romanæ* Ecclesiæ Pontificem de tota re litteras dedissent; quum vero hic ad *Alexandrinum* Episcopum suam *Romanique* Concilii sententiam statim scripsisset, *Dionysius* non *Romanæ* Sedis Tribunal aut defugerat, aut veluti non legitimum judicem ejuraverat, sed suorum dogmatum defensionem *Romam* miserat, Papæ judicium exspectans. Porro ut *Sozomenus* refert (9), Athanasius Alexandria *profugus* Romam *venit. Eodem tempore* Paullus *quoque* Constantinopoleos *Episcopus* & Marcellus Ancyræ *eo adcessit* .... EPICOPUS IGITUR ROMANUS QUUM SINGULORUM CAUSSAS, *omnesque in* Nicænæ *fidei doctrina consentientes reperisset, in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem* OMNIUM CURA AD IPSUM SPECTABAT, SUAM CUJQUE ECCLESIAM RESTITUIT. Quid ad hæc *Febronius?* Ait (10) *per hoc nondum confectum fuisse negocium*: persecisse illud demum *Sardicensem* Synodum Epistola ad universas Ecclesias scripta PERFECIT illud *demum* Sardicensis *Synodus?* Legat quæso ecclesiasticam sui *viri principis* historiam; inveniet quanto post *Sardicensem* Synodum adversariorum furore fuerit *Athanasius* agitatus, suaque sede depulsus. Hoccine est *perfectum* a Sardicensi *Synodo negocium?* Respondebit utique, hæreti-

(9) *hist. Eccles. lib. III. cap.* 8.
(10) *T. II. pag.* 53.

ticorum aſtui ac nequitiæ tribuendum, quod *Sardicenſis* Concilii decretis nequidquam *Athanaſio* patrocinantibus iſta contigerint. Non abnuo. Verum eorumdem hæreticorum procacitas, non legitimæ poteſtatis defectus *Julii* ſententiam minus efficacem reddiderat, ut eam a *Sardicenſi* Concilio, utique *Julii* Legatis non adſentientibus modo, ſed etiam urgentibus, veluti confirmari neceſſe fuerit. Quamquam quid hæc ad præcipuum noſtri inſtituti argumentum? Hoc contendimus, nullam fuiſſe quarumcumque Synodorum in Patriarchas ſententiam, niſi de *Romanæ* Sedis conſenſu atque auctoritate. Id *Julius antiquam conſuetudinem* appellans diſerte tradit, id exemplo ſuo confirmavit, qui latam ab *Euſebianis* in *Athanaſium*, alioſque ſententiam reſcidit. Quidquamne horum *Sardicenſis* Synodus improbavit?

II. Quæ in *Neſtorium Cœleſtinus* geſſerit, quæ eodem quincto ſæculo in alios Patriarchalium Sedium Epiſcopos S. *Leo* M. aliique Pontifices geſſerint, in *Antifebronio* ex certiſſimis monumentis adlata ſunt. Hiſce dum *Febronius* quod nondum dedit, reſponſum quærit, ex *Gelaſio* nonnulla adſcribam, quibus hæc mirifice confirmantur. Hæc ergo in *Acacium* ejuſque ſectatores *Gelaſius* ſcribit in commonitorio ad *Fauſtum* (11). " In hac ipſa cauſſa *Timotheus Alexandrinus*, & *Petrus*

„ *An-*

(11) T. *III.* S. Leon. Ball. *edit. col.* 335.

„ *Antiochenus*, *Petrus*, *Paullus*, *Johannes* &
„ ceteri, non ſolum unus, ſed plures uti-
„ que nomen Sacerdotii præferentes, ſola
„ Sedis Apoſtolicæ ſunt auctoritate dejecti.
„ Cujus rei teſtis etiam ipſe docetur *Acacius*
„ qui præceptionis hujus exſtitit exequutor."
In epiſtola autem ad Epiſcopos *Dardaniæ*
(12): " ſed nec illa, inquit, præterimus,
„ quod Apoſtolica Sedes frequenter, ut di-
„ ctum eſt, more majorum *etiam ſine ulla*
„ *Synodo præcedente*, exſolvendi, quos Sy-
„ nodus iniqua damnaverat, & damnandi,
„ *nulla exiſtente Synodo*, quos oportuit, ha-
„ buerit facultatem. Sanctæ quippe memo-
„ riæ *Athanaſium* Synodus *Orientalis* addixe-
„ rat, quem tamen exceptum Sedes Apo-
„ ſtolica, quia damnationi *Græcorum* non
„ conſenſit, abſolvit. Sanctæ memoriæ ni-
„ hilominus *Johannem Conſtantinopolitanum* Sy-
„ nodus etiam Catholicorum præſulum cer-
„ te damnaverat, quem ſimili modo Sedes
„ Apoſtolica *etiam ſola*, quia non conſenſit,
„ abſolvit. Itemque S. *Flavianum* Pontifi-
„ cem *Græcorum* congregatione damnatum
„ pari tenore, quoniam *ſola* Sedes Apoſto-
„ lica non conſenſit, abſolvit: potiuſque
„ qui illic receptus fuerat, *Dioſcorum* ſecun-
„ dæ Sedis præſulem ſua auctoritate dam-
„ navit, & impiam Synodum non conſen-
„ tiendo *ſola* ſubmovit". Hactenus *Gelaſius*.

(12) *ibid. col.* 352.

„ Porro ut sexto sæculo *Agapetus Constantinopolim* advenit, Episcopi & Monachi supplicem illi libellum obtulerunt, ut *Anthimum* ab ea Sede eijceret; quod & præstitit (13). Quæ demum septimo sæculo cum *Paullo Constantinopolitano* Episcopo *Monothelita* egerit *Theodorus* Papa, narrat *Anastasius Bibliothecarius* his verbis (14): " Sanctissimus „ Papa *Theodorus* scripsit *Paullo* Patriarchæ „ regiæ civitatis tam rogans, quam regulariter increpans: nec non per apocrisa„ rios, propter hoc maxime a se destinatos, „ præsentialiter eum admonentes, & conte„ stantes, quatenus proprium emendaret „ commentum, atque ad orthodoxam fidem „ catholicæ Ecclesiæ remearet. Sed neque „ rogantes, neque increpantes potuerunt „ eum a suo conamine quoque modo revo„ care. Propter quod ipse ab Apostolica Se„ de justa depositionis ultione perculsus est." Poterantne *Romani* Pontifices suam in Patriarcharum *Orientalium* caussis, judiciisque auctoritatem multo ante *Isidorianas* decretales epistolas liberius exercere?

III. Exstat etiam hac in re dignus, qui exscribatur, inter *Nicænos Arabicos* Canones Canon quartus & quadragesimus. " Patriar„ cha igitur inspiciat, quodcumque nego„ cium fecerit aliquis suorum Metropolita„ rum, sive Episcoporum in Provinciis, „ qui-

(13) Vide Antifebron. *T. II. lib. I. cap. VI. n. 9.*
[14] T. *I. libr. Pont. pag. 257. edit. Vignol.*

„ quibus præſunt. Si autem intervenerit ex „ illis quidquam, quod non decet, permutet illud, ac de illo conſtituat, prout ipſi videtur; etenim omnium ipſorum *Pater* eſt, & illi filii ſunt ipſius. Metropolitæ autem Principatum ſupra ſe agnoſcere, eumque venerari debent inſtar fratris majoris, quem ſibi fratres anteponunt, illique parere ducunt ob ejus optimum regimen, & majoritatem. Patriarcha porro inſtar Patris eſt in ſua juriſdictione ſuper filios ſuos. Et quemadmodum Patriarcha poteſtatem habet ſuper ſubditos ſuos, ita quoque poteſtatem habet *Romanus* Pontifex ſuper omnes Patriarchas; quemadmodum habebat *Petrus* ſuper univerſos Chriſtianitatis Principes, & Concilia ipſorum; quoniam Chriſti Vicarius eſt ſuper redemptionem, Eccleſias, & Curatos populos ejus. Quicumque autem ſanctioni huic contradixerit, Patres Synodi anathemate illum percellunt". Recte ad hunc Canonem *Franciſcus Antonius de Simeonibus* (15) animadvertit, "dubitari „ non poſſe quin eo cautum ſit ut *Romanus* Pontifex & Patriarchas, & alios judicare poſſit, quando eodem ſtatutum fuiſſe intelligimus, ut Patriarchæ de Metropolitanorum, Epiſcoporumque ſuorum cauſſis cognoſcere debeant: nam hac de cauſſa eam

[15] T. I. pag. 323.

„ eam poteſtatem in Patriarchas, alioſque „ omnes illum habere demonſtrant, quam „ Patriarchæ in eos, qui ſunt in ſuis diœ„ ceſibus, habent". Meam in critica arte inſcitiam heic *Febronius* ridebit, monebitque ut a citandis *Arabicis Nicæni* Concilii Canonibus, niſi ab omnibus exſibilari velim, abſtineam. Eruditiſſimo equidem monitori gratias ago; & quamquam ſcio, doctiſſimum virum edita *Romæ* non multos ante annos, diſſertatione nihil eorum omiſiſſe, quæ ab ingenioſo Scriptore exſpectanda erant, ut hoſce Canones *Nicænæ* Synodo omnino tribuendos eſſe perſuaderet, libens tamen *Febronio* adſentiar, eos *Nicænis* Patribus ſuppoſitos eſſe. " Quis tamen neſciat, ut cum appellato de *Simeonibus* loquar (16), hunc Ca„ nonem maximi eſſe momenti ad demon„ ſtrandum, quid de ſummi Pontificis au„ ctoritate ſenſerint Gentes illæ; quæ eum, „ tamquam *Nicænum*, ſunt veneratæ? Quod „ quum ita ſit, nemo qui ſanæ mentis eſt, „ exiſtimabit, *Syros*, *Arabes*, *Chaldæos*, „ *Æthiopes*, *Ægyptios*, qui ſicut tanto loco„ rum intervallo inter ſe diſtant, ita lin„ gua, moribus, inſtitutiſque a ſe invicem „ differunt, in eo voluiſſe convenire, ut „ *Romani* Pontificis, in quem alieno ſunt „ animo amplificarent auctoritatem: *nemo* „ *enim*, *Tertullianus* ait, *mentitur in ſuum* „ de-

[16] *l. c. pag.* 324.

„ *dedecus*, *sed in honorem*. Qua ex re intel-
„ ligimus, Nationes has, antequam damna-
„ rentur ab Apostolica Sede, Canones il-
„ los, qui *Nicæni* ex antiquorum temporum
„ usu appellantur, recepisse. Neque mirari
„ debemus, quod Canonem, quem superius
„ expendimus, e suis codicibus non erase-
„ rint, ubi exploratum est, eas etiamnum
„ in illa sententia esse, ut *Romanus* Ponti-
„ fex Patriarchis, reliquisque Episcopis præ-
„ sit. Gratias igitur agere Deo debemus,
„ quod eam mentem Sedis Apostolicæ ho-
„ stibus dederit, ut negare erubescant, quod
„ de ejus maxima potestate sentiunt. Ita
„ enim fit, ut eorum confessione illi con-
„ vincantur, qui maximum in eam suum
„ studium esse simulant". Eat nunc *Febro-nius*, suumque illud occinat, *ne vestigium quidem apparere de* MINIMO *jure*, *quod Papæ* UMQUAM *in depositionibus Episcoporum potuerit competere*. Si tantum imperii in Patriarcharum depositionibus exercuit, quid in ceterorum ejectionibus?

IV. Nihilo tamen minus in Metropolitanorum caussis, ut ad has progrediamur multo clarius eadem *Romanorum* Pontificum fulget auctoritas. Una S. *Cypriani* epistola in *Marciani Arelatensis* caussa, quam acceptis *Gallorum* litteris ad *Stephanum* Pontificem scripsit, peculiarem hujus auctoritatem in Metropolitanorum judiciis demonstrat. " A-

„ deo

„ deo non dubitavit *Cyprianus* (*P.* Coustan-
„ tii *minime suspecti verba recito*) quin *Ste-*
„ *phanus* ipsius consilio & hortatu litteras
„ ad Provinciam & plebem *Arelatensem* mit-
„ teret, quibus & *Marcianum* abstineri, &
„ alium Episcopum in ejus locum substitui
„ præciperet, ut & quis fuerit substitutus
„ sibi significari simul roget . . . . Quo in
„ negocio *Cyprianus* suum ipse pro omnibus
„ Ecclesiis studium ac sollicitudinem com-
„ probans, *Romani* Pontificis tum ad di-
„ movendum de Sede sua *Arelatensem* Epi-
„ scopum, tum ad alium ei subrogandum
„ auctoritatem haud dubio testimonio agno-
„ vit (17) " . At, inquit *Febronius* (18): *Quum* Stephano *Papæ relatum fuisset*, Marcianum Arelatensem Novatianorum *sectæ adhærere*, *monuit Pontifex Episcopos* Galliæ, *ut eum deponerent. Recte hæc omnia. Illud erat Primatis: hoc Synodi Provincialis. Curate hæc tradita a* Febronio Cap. II. §. 9. Qui *curate* hæc se *tradidisse* ait, cur quæ in *Cypriani* epistolam adnotata in *Antifebronio* sunt, silet? atque animadversionem iterat ibi a me plane contritam? Igitur ab hoc primum se dilemmate velim expediat, quod *Cypriani* verba suppeditant. Faustinus, inquit [19], *collega noster* Lugduni *consistens*, *frater carissi-*

[17] Coustant. *T. I. epist.* R. P. *col.* 221.
[18] T. *II. pag.* 53.
[19] T. *I. Ep.* R. P. *Coust. col.* 211.

vissime, *semel atque iterum mihi scripsit*, *significans ea quæ etiam vobis scio utique nuntiata tam ab eo quam a ceteris coepiscopis nostris in eadem provincia constitutis*; *quod* Marcianus Arelate *consistens* Novatiano *se conjunxerit*. Quæro jam ex *Febronio*, in Synodone, an seorsum a Collegis Provinciæ Episcopi ad *Stephanum* scripserint? Si in Synodo, cur igitur de *Marciano* sententiam ipsi nequaquam tulere, nisi quod *Marcianum* veluti Metropolitanum habebant, Metropolitanorum vero judicia Sedi Apostolicæ noverant reservata? Si seorsum; idem eos sensisse oportet; facilius enim erat, ut in Concilium coirent, quam ut exspectarent, dum litteræ *Romam* perferrentur, *Stephanusque* rescriberet. Acrius insto. Ecquid caussæ fuit, cur ubi nihil litterarum a *Stephano* adceperunt, tunc saltem Concilio habito *Marcianum* non expulerint, sed *Cypriani* potius adierint, ut apud *Stephanum Marciani* dejectionem urgeret? Quoquo se vertat *Febronius*, hoc unum fateri cogetur, in *Gallicanæ* Synodi potestate *Marciani* depositionem haudquaquam fuisse. Neque vero monuit *Stephanus Gallicanos* Antistites, ut *Marcianum* deijcerent. Quid his monitis opus habebant, qui id a *Stephano* expetebant? Vel ergo *Stephanus* ipse *Marcianum* deposuit, ac *Gallicanis* Præsulibus tantum eligendi successoris facultatem concessit, vel saltem pro suæ Sedis auctoritate,

licet

licet hæc prima esset hujus caussæ cognitio, illis præcepit, ut statim *Marciano Arelatensis* Sedes eriperetur. Primum suadent *Cypriani* verba. *Dirigantur in Provinciam & ad Plebem* Arelate *consistentem a te litteræ*, QUIBUS ABSTENTO [excommunicato scilicet, atque hinc deposito] Marciano *alius in locum ejus substituatur*. Non ergo *Cyprianus* a *Stephano* petiit, ut *Marcianum* a *Gallis* deponi juberet, sed ut litteras mitteret, *quibus* illum a se *abstentum* depositumque nunciaret, aliumque in *locum ejus* ab ipsis *substitui* juberet. Quod si tamen *Febronius* omnino velit, permissam a *Stephano Gallicanæ* Synodo *Marciani* depositionem, nihil pro se efficiet. An non enim qui per alium Episcopos deponit, per se deponere habendus est? Eo tandem semper redibimus, non potuisse Synodos absque *Romani* Pontificis auctoritate per se se in Metropolitanos damnationis sententiam ferre; adeo falsum est, quod ait *Febronius* [20] *jus deponendi Episcopos ad Synodos Provinciales* PRIVATIVE *pertinere*.

V. Sæculo IV. *Romanum* sub *Damaso* Concilium ad *Gratianum* litteras scripsit in hanc sententiam (21). *Jubere pietas vestra dignetur, quicumque vel ejus, vel nostro judicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque injuste voluerit ecclesiam retinere . . . vel si ipse Metro-*

(20) *T. II. pag.* 310.
(21) *T. I. Ep. R. P. Coust. col.* 527.

tropolitanus est, Romam *necessario*, *vel ad eos quos* Romanus *Episcopus judices dederit*, *concedere sine dilatione jubeatur*. Jussit enimvero *Gratianus* edita hujusmodi lege (22): *Volumus autem*, *quicumque judicio Damasi*, *quod ille consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum vel eorum*, *qui catholici sunt judicio vel consilio condemnatus fuerit*, *si injuste voluerit Ecclesiam retentare* . . . *vel si ipse Metropolitanus est*, *Romam necessario*, *vel ad eos quos* Romanus *Episcopus judices dederit sine dilatione contendat*. Si *Febronius* læsorum Canonum *Gratianum* incusare cum *Gerbasio* non vereretur, meminerit, sinceros Canones *Romani* Concilii Patribus ignotos non fuisse, illos tamen *Gratiano* condendæ legis auctores fuisse. Quid? quod post eam legem Metropolitanum non invenies in *Occidente* dejectum, nisi caussa a *Romano* Pontifice judicata. Sic *Zosimus Proculum Massiliensem*, qui in Provinciam *Narbonensem secundam* jus sibi Metropoliticum adscripserat, deposuit (23). Quum vero *Anastasius Thessalonicensis* Apostolicus in *Illyrico* Vicarius *Atticum* Metropolitam *Nicopolitanum* deposuisset, illum S. *Leo* M. acerrime objurgavit, *præsertim*, inquit [24], *quum etiam si tale aliquid mereretur*, *exspectandum tibi fuerit*, *quid ad tua consulta*

(22) *col.* 532.
(23) Vide ejus epistolam VII. & XI.
(24) *ep. XIV.* Ball. *edit. col.* 668.

fulta rescriberem, quod & aliis significantioribus verbis mox inculcat: *sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret nostra erat exspectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres.* Ac ne cetera persequar, quæ in *Antifebronio* legere est, S. *Martinus* I. in *Paullum Thessalonicensem* depositionis sententiam tulit (25). *Hincmari* tamen quod ibi adtuli testimonium, est iterum *Febronio* obtrudendum, ut tandem intelligat, nihil ad Metropolitarum dejectiones *Romanis* Pontificibus vindicandas contulisse *Isidorianam*, quam *Hincmarus* repudiabat, decretalium epistolarum collectionem. En *Hincmari* verba in epistola ad *Nicolaum* Papam. *Nam Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica Sede pallium adcipit, sicut* Leo *ad* Anastasium, *quod &* Nicænum *Concilium innuit, & ceteri* Romanæ *Sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, Sedis ipsius Pontificis etiam ante judicium est, sententia præstolanda.* Adde his octavæ generalis Synodi Canonem XXVI. qui hujusmodi est: *Insuper etiam nullo modo quisquam Metropolitanorum vel Episcoporum a vicinis Metropolitis, vel* Episcopis *Provinciæ suæ judicetur, sed a solo Patriarcha.*

VI.

(25) *Atque idcirco*, inquit S. Pontifex ep. XIII. *eum canonice ab omni deposuimus sacerdotali dignitate & ministerio, quoad propria corrigens, ad Apostolicam Catholicæ Ecclesiæ redeat fidem.*

VI. Quid vero de Episcopis dicam? Opusne erit ut depositionum, quarum in *Occidente* immo & in *Oriente* (26) *Romani* Pontifices auctores fuere, exempla repetam in *Antifebrenio* congesta (27)? An non satis esse debet, quod initio recitavimus, *Julii* I. effatum considerare. *Oportuit nobis omnibus scripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur*; EPISCOPI *enim erant qui patiebantur, nec vulgares Ecclesiæ quæ vexabantur*. Quid enim hoc testimonio disertius? Duas scilicet *Julius* caussas heic indicat, cur *Eusebiani*, antequam *Athanasium* damnarent, ad Apostolicam Sedem litteras dare debuerant, ut *hinc quod justum est*, ut paullo post ait, *decerneretur*: *Episcopi enim erant*, *qui patiebantur*; en primam: *nec vulgares Ecclesiæ*, *quæ vexabantur*; en alteram. Igitur ubi Episcoporum caussa agatur, quarumcumque licet Sedium, etiam *Orientalium* Episcopi sint Synodis nihil inconsulta Apostolica Sede, cui *primum* ex consuetudine scribendum *Julius* edicit, decernere licet. Hoccine est *jus de-*

(26) Exemplum *Orientalis* Episcopi a *Romanæ* Sedis Pontificibus dejecti *Damasus* suppeditat. *Timotheum* ille *Apollinaristam Beryti* Episcopum deposuit; quod ipse testatur in litteris ad *Orientales*, qui iterum ad eum scripserant, ut impium hominem de *Berytensi* Sede deturbaret. *Quid igitur*, inquit (ep. XIV.) DEPOSITIONEM Timothei *a me denuo postulatis*, *qui & heic judicio Sedis Apostolicæ*, *præsente etiam* Petro Alexandrinæ *urbis Episcopo*, *depositus est una cum magistro suo* APOLLINARIO.

(27) Confer T. *II. lib. I. cap. VI. a num.* 14.

ponendi Episcopos ad Synodos Provinciales PRIVATIVE *pertinere?* Recole etiam Octavæ Œcumenicæ Synodi Canonem XXVI., quæ *Episcopis Provinciæ* non Metropolitarum modo, sed quorumcumque *Episcoporum* judicia eripuit, ac soli Patriarchæ vindicavit. Fuitne & illa ab *Isidorianis* decretalibus decepta, ut *Nicolaus* ceterique ejus in *Romana* Sede successores? Si vult tamen *Febronius*, aliud exemplum suggeram, illudque longe illustrissimum, quod in *Antifebronio* prætermisi. *Vigilius* scilicet *Theodorum Cæsareæ Cappadociæ* Episcopum deposuit. Exstat hac de re luculenta ejusdem *Vigilii* epistola, ubi ait: *Ideoque ex persona & auctoritate Beati* Petri *Apostoli, cujus nos licet exigui locum gerimus* . . . . *hac* Theodorum Cæsareæ Cappadociæ *Civitatis quondam Episcopum sententiæ promulgatione tam Sacerdotali honore, & communione Catholica quam omni officio episcopali, seu potestate spoliatum esse decernimus.*

VII. Vide tamen, quei *Febronius* putet tot exemplorum vim declinare se posse (28) *Vel non intellexit*, inquit, *vel noluit intelligere* Febronium Cap. IV. §. 8. n. 5. *& locis ibidem relatis distincte satis tradentem, qualiter* subinde prævii Papæ excommunicationibus, siquidem eæ ab aliis Ecclesiis justæ atque legitimæ agnitæ essent factæ, *fuerint Episcoporum in Provincialibus Synodis exauthorationes atque hæ ita*

(28) *T. II. pag. 269.*

ita Papæ quodammodo adſcripta ſint. Hæc ille adverſus cl. *Kauffmans*. Nec plura addidit uſquam contra me, ea certe de cauſſa, quod hoc reſponſo & *Kauffamanſio* & mihi ſatisfactum abunde exiſtimaverit. Non heic arguam, quod de *Papæ* excommunicationibus ſomniat, quæ ab *aliis Eccleſiis juſtæ atque legitimæ agnoſci deberent*. Hunc alibi errorem oppugnavimus. Iſta mittamus. Concedo igitur ex veteri more plerumque Epiſcoporum depoſitionibus eorumdem excommunicationes præiviſſe. Verum tria ex Eccleſiaſtica hiſtoria conſtant, quæ omnes *Febronii* cavillationes profligant. Primum eſt, ſæpe *Romanos* Pontifices utraſque conjunctim inflixiſſe. Nuper id a *Vigilio* in *Cæſareenſis Theodori* cauſſa audivimus. Idem cum *Neſtorio* S. *Cœleſtinus* faciendum S. *Cyrillo* mandaverat, nempe, *ut niſi* (Neſtorius) *decem dierum intervallo ab hujus noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem impoſterum confeſſurum ſe ſpondeat quam &* Romana, *& tuæ Sanctitatis* Eccleſia, *& univerſa denique Chriſtiana religio prædicat illico Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat. Is vero modis omnibus ſe a noſtro corpore ſegregatum eſſe intelligat* (29). Idem cum *Anthimo Conſtantinopolitano* Epiſcopo geſſit S. *Agapetus*, cujus hæc ſunt in

(29) Confer Antifebr. T. II. *lib.* I. *cap.* VI. *n.* 5.

epiſtola ad *Petrum Hieroſolymitanum* : *unde quum ipſius* (Anthimi) *in fide pœnitentiam iſto modo exſpectemus* , *neque Catholico*, *neque ſacro* (Epiſcopali ſcilicet) *nomine dignum eſſe* SENTENTIAVIMUS. Interdum vero (& hoc alterum eſt eorum, quæ ex Eccleſiaſticis monumentis certo colligi indicabam) excommunicationem a depoſitione ſeparantes illa ſtatim reos perculerunt, hujus vero cauſſam accuratius diſcutiendam ſibi vindicarunt. Quamobrem quum *Danielis* Epiſcopi cauſſa ageretur, S. *Cœleſtinus Gallicanis* Epiſcopis ſcripſit (30) : Daniel . . . *a Sanctitatis veſtræ cœtu interim ſe noverit ſegregatum* : *qui ſe* NOSTRO (non Synodi) JUDICIO DEBET OBIICERE, *ſi conſcientiæ ſuæ novit confidentiam ſe habere*. Tertio Epiſcopos longe ante *Iſidorianas* Decretales nonnumquam abſque Synodo aut depoſuerunt ipſi per ſe *Romani* Præſules, aut per ſuos Legatos deponi juſſerunt. Sic *Zoſimus Proculum Maſſilienſem* dejecit non audita *Gallicanæ* Provinciæ Synodo, immo contra *Taurinenſis* Synodi decretum, quod & ſua auctoritate reſcidit. Sic etiam *Theodorus* Papa *Stephanum Dorenſem loci* ſervatorem conſtituit, *quatenus*, [inquit ipſe *Stephanus*, qui id in *Lateranenſi Martini* I. Concilio narravit,] *tam ea quæque fuiſſent eccleſiaſtica capitula*, *peragere debuiſſem* , *&* *canonica nullatenus emendarentur qui* ſub *denominato prætextu* ordi-

(30) *ep. IV. col. 1071. Couſt. edit.*

ordinati sunt Episcopi, deponerem eos. Quod & fecisse me certum est, & præcipue, quoniam in errorem a veritate recedentes sponte delapsi sunt, tantumque illos recepi secundum jussionem ejus, qui libellum pœnitentiæ obtulerunt & professi sunt in scripto, conservare indesinenter & amplecti atque prædicare sanctorum Patrum & Synodorum doctrinas. Ubi heic ludicrum illud, quo *Febronius* tantopere delectatur, figmentum *præviarum Papæ excommunicationum, quæ ubi ab aliis Ecclesiis justæ atque legitimæ agnitæ essent factæ fuerint Episcoporum in Provincialibus Synodis exauctorationes?*

VII. At *Febronius* Concilium *Antiochenum* insultans appellat, cujus hic XV. Canon est: *Siquis Episcopus criminaliter accusatus ab omnibus, qui sunt intra provinciam Episcopis, exceperit unam consonamque sententiam, ab aliis ulterius judicari non poterit.* Canone autem proximo statutum fuerat: *Si quis Episcopus de aliquibus caussis criminalibus in judicio Episcoporum fuerit accusatus, contingat autem de ipsis Episcopos Provinciæ, qui convenerunt, diversas habere sententias, & alios quidem innocentem eum pronunciare, alios reum propter hujusmodi itaque controversiam amputandam placuit sanctæ Synodo Metropolitanum Episcopum alterius vicinæ provinciæ advocari oportere, & aliquantos cum eo Episcopos, alios qui pariter residentes, quæcumque fuerint, dirimant quæstiones, propter hoc, ut firmum sit judicium,*

quod ab unius Provinciæ Epiſcopis fuerit promulgatum. Hos equidem Canones noveram: non tamen etſi illis ipſis de *Marca*, *Dupinius*, ceterique *Febronii* anteſignani uſi ſunt, ſatis video, quid hinc conſequatur, in quo exultet adeo *Febronius*, ac triumphet: *Dicant nunc*, inquit ille, *Sophiſtæ noſtri ubinam exiſtant aut umquam exſtiterint genuini Canones hiſce ſpuriis conformes*, *quibus firma* Antiocheni . . . *decreta ante* Iſidorianum *ſæculum abrogata*, *aut irrita reddita fuerint*. Dicam ergo, num Sophiſtarum in modum, prudentum erit dijudicare. Quæro igitur primum, quid reſponſurus eſſet *Febronius*, ſi *Antiochenos* Canones ab *Euſebianorum* factione adverſus S. *Athanaſium* prodiiſſe cum *Baronio* adfirmarem? Rideret fortaſſe meam ακριτιχν (31), mihique *Scheleſtratii* diſſertationem (32)

(31) Quam tamen & in *Zallweinio* ridere debebit, qui de hiſce Canonibns ita ſcribit (T. II. pag. 189.) " Mi-
,, rum haud paucis videtur, quod huic *Græcorum* Colle-
,, ctioni Canones quidam *Antiocheni*, quos *Arianorum* fœ-
,, tum eſſe conſtat, inſerti, in Concilio *Chalcedonenſi* pro
,, regulis Eccleſiaſticis probati, uſuque demum recepti
,, fuerint, prætermiſſis Canonibus celebriorum Synodorum,
,, quales fuere quinque per *Aſiam* habitæ, præſertim *Arelatenſis* &c. & *Sardicenſis*, quorum prima contra *Dona-*
,, *tiſtas* ex omnibus *Occidentis* provinciis mandato *Conſtan-*
,, *tini* in *Gallia* celebrata *plenaria* & *univerſalis a* S. *Au-*
,, *guſtino* vocatur: altera vero in *Orientis* partibus cele-
,, brata, & inſtar appendicis Canonibus *Nicænis* adjecta
,, habebatur. Haud multum a vero nos aberrare exiſti-
,, mamus, ſi id Auctoris, ſeu Collectoris ignorantiæ, &
,, *Græcorum* ambitioni, ac diſſidiis *Orientales* inter & *Oc-*
,, *ciden-*

(32) obijceret, qua vir doctus convenisse quidem ad illud Concilium XL. *Arrianos* concedit, plures tamen numero Catholicos Episcopos ibi adfuisse, atque ex eorum quoque sententia Canones illos auctoritatem adcepisse contendit. Verum ignorare non debet eruditus hic Jureconsultus, *Schelestratii* sententiam multis nominibus passim refelli [33]. Plerique duo *Antiochena* Concilia distinguunt, alterum ab *Eusebianis* in Encæniis a. CCC.

„ *cidentales* tribuamus. Prodiit enim Collectio in *Oriente*:
„ Auctor illius probabilius fuit *Græcus*, qui pro gloria
„ gentis suæ laboravit, & Canones *Occidentalium* vel i-
„ gnoravit, vel sponte prætermisit. Scissuræ erant inter
„ *Orientales* & *Occidentales* cum ob Canones *Antiochenos*,
„ tum *Sardicenses*: ægre habebat *Occidentales*, quod *Græci*
„ Conciliabulum *Tyrium* contra S. *Athanasium* celebratum,
„ illiusque sententiam confirmaverint, & insuper in odium
„ quasi *Romanæ* Ecclesiæ in Synodo *Antiochena* statuerint,
„ ne appellationes extra Provinciam fierent. Unde & in
„ Synodo *Sardicensi Orientales* ab *Occidentalibus* discesse-
„ rant, in cujus Canone 3. dein appellationes ad *Roma-*
„ *num* Pontificem vel statutæ, vel confirmatæ fuerunt.
„ Inde factum est, quod *Græci* apud *Latinos* quadam *Ar-*
„ *rianismi* suspicione laborarent, eo ipso, quod Canones
„ Synodi *Antiochenæ*, cujus fidei formula oblique adversa-
„ batur *Nicænæ*, receperint, & provocationes extra Pro-
„ vinciam concedere noluerint. Itaque mirari non subit,
„ quod *Græci* neque Canones *Charthaginenses*, neque *Sar-*
„ *dicenses* receperint: illos enim, ut dictum fuit, Auctor
„ collectionis vel ignoravit, vel studiose prætermisit; hos
„ autem admittere noluere, quod suæ disciplinæ quoad
„ provocationes & appellationes receptæ adversarentur. "

[32] Prodiit *Schelestrati* de *Antiocheno Concilio* opus *Antuerpiæ* 1681.

[33] Confer *Franciscum Antonium de Simeonibus* de Romani Pontif. judiciaria potestate (T. II.) & Ballerinios [T. *III*. S. Leon. *pag*. *XXVI*. *n*. 10.]

XLI. , ab orthodoxis alterum ante annum CCCXXXV. celebratum, & vel cum *Tillemontio* illi Canonem quartum, & fortasse duodecimum tribuunt, huic ceteros Canones; vel cum *Feltriensi* Episcopo *Bartholo* (34) *Eusebianorum* Conciliabulo Canones secundum, quartum, quinctum, duodecimum, tertium decimum, decimum quartum, & decimum quinctum, Catholicorum contra Synodo reliquos Canones adjudicant. Quid ergo si *Bartholi* opinionem longe verosimillimam amplecterer? Quidquamne auctoritatis Conciliabuli illius Canonibus Catholicus homo tribueret? At placet, inquiet *Febronius*, *Tillemontii* sententia. Placeat; non difficilis ero, immo *Ballerinis*, qui duo *Antiochena* Concilia alterum a. CCCXXXII., alterum a. CCCXLI. agnoscentes primo omnes indiscriminatim Canones adscribunt (35), si libet, adsentiatur. Audiat tamen quæ in XIV. & XV. hujus Concilii Canones iidem *Ballerinii* adnotarunt (36). " Illud, inquiunt, in primis animadvertimus, eo canone XV. non omnem appellationem, seu retractationem expungi, sed solum in casu consensus omnium Episcoporum unius Provinciæ denegari illud novum judicium e vicinæ provinciæ Episcopis instituendum

[34] *Instit. Jur. Canon. cap. XXXVI. seq.*
[35] *l. c. a num. XII.*
(36) T. *II. S.* Leon. *col.* 943.

„ dum, quod antecedenti canone concessum
„ fuerat. De jure autem appellationis aut
„ retractationis in pleniori Synodo, aut in
„ alio tribunali superiore ne verbum qui-
„ dem. Deinde eo solo casu novum judi-
„ cium laudato canone XV. excluditur, quo
„ crimen adeo sit manifestum, ut ne uno
„ quidem Episcopo discrepante omnes in
„ condemnationem consentiant. Id in legi-
„ timis judiciis nulla præcipitantia, præ-
„ ventione nulla institutis non solet adci-
„ dere, nisi quum reus vel confessus est,
„ vel saltem convictus: quo quidem casu
„ aliquot etiam civiles leges tum antiquæ,
„ tum recentiores appellationem vetant. Id
„ ergo æquissimum in suis provinciis *Antio-*
„ *chenis* Patribus videri potuit, ut ne id-
„ circo appellationem reprobarent, quum
„ quis se injuste gravatum existimet: huic
„ enim novo judicio in pleniori Synodi sa-
„ tis providerant Canone XII. *Si quis . . .*
„ *a Synodo fuerit Episcopus forte damnatus . . .*
„ *oportet ad majus Episcoporum converti Con-*
„ *cilium, & quæ putaverit habere justa, plu-*
„ *rimis Episcopis suggerat, eorumque discussio-*
„ *nes ac judicia præstoletur.* Ceterum si in
„ iis quoque circumstantiis, quibus aliquis
„ Episcopus omnium licet Episcoporum suæ
„ provinciæ sententia condemnatus, aliquo
„ nomine se gravatum sentiat, omnis ap-
„ pellatio, aut judicii renovatio Canone

„ XV.

„ XV. ſublata credatur; idem canon hoc „ ſane ſenſu nec a *Græca*, nec a *Latina* Ec- „ cleſia umquam receptus fuit; ac proinde „ tum in *Oriente*, tum in *Occidente* appel- „ lationum cauſſæ ſemper viguere, & *Sar-* „ *dicenſium* poſteriorum canonum prævaluit „ auctoritas, qui dum appellationibus adi- „ tum patere ſanxerunt, hunc *Antiochenum* „ Canonem emendarunt, ſimulque Apoſtoli- „ cæ Sedis juri in appellationibus proſpe- „ xere". Hac de re illuſtre eſt *Ariſteni* te- ſtimonium (37), quartum *Antiochenum* Ca- nonem in hæc verba exponentis. *At de- cimus quinctus hujus Synodi Canon ait, eum, qui ab omnibus in Provincia Epiſcopis deponi- tur, poſtea provocare non poſſe; ſed ſententiam contra eum latam firmam manere. At Synodi* Sardicenſis *quartus, & quinctus Canon licen- tiam dederunt Epiſcopo, qui ab omnibus Pro- vincialibus deponitur Epiſcopis, provocare, & ad beatiſſimum Eccleſiæ* Romanæ *Epiſcopum confugere; nec in Epiſcopatum ejus alium eligi priuſquam* Romanorum *Epiſcopus ſententiam examinavit, & decretum confirmavit: & hæc quidem ſententia juſtior, & humanior eſt, & nunc etiam obtinet*. Cum *Ariſteno Matthæus Blaſtores* facit, cujus hæc ſunt verba (38): *Porro Canon decimus quinctus, ſi vero omnes, inquit, unam adverſus eum ſententiam tulerint, is* ne

(37) Apud Bevereg. *in Pandect. Canon. T. I. pag.* 435.
(38) *ibid. pag.* 444.

ne amplius ab aliis judicetur, sed Episcoporum firma maneat sententia. Verum Canon hic a quarto Synodi Sardicensis *sublatus est*. In hanc eamdem sententiam *Theodorus Balsamon* propendere videtur. Inquit enim: *Præsens Canon sublatus est a quarto Canone Synodi* Sardicensis. *Sin autem hoc nobis dicere, interpretare Canonem, ut superius dictum est, & dic fieri condemnationem a Synodo, in quam non cadit appellatio, ut a Papa, vel Patriarcha* Constantinopolitano. Neque *Febronius* oggerat, eos Canones postea cum a *Chalcedonensi* Concilio, tum ab *Orientali*, atque *Occidentali* Ecclesia fuisse adceptos. " Nam, inquit
,, cl. de *Simeonibus* (39), huic argumento
,, facile est occurrere, si recolamus, *Chal-*
,, *cedonense* Concilium minime declarasse,
,, eos semper robur habuisse antea; sed so-
,, lum illos, suppresso *Antiocheni* Concilii
,, nomine, probando, effecisse, ut ii, qui
,, antea, utpote ab Hæreticis editi, nullum
,, auctoritatis locum in Ecclesia obtinebant,
,, imposterum, veluti de novo conditi a se
,, fuissent, reciperentur. Quod ideo eveni-
,, re potuit, quia nequaquam *Eusebianorum*,
,, qui illos promulgaverant, sensum tam a-
,, perte exprimebant, ut benignius explica-
,, ri non possent. Quamobrem Canones il-
,, los non ex *Antiochenorum* Episcoporum,
,, sed ex *Chalcedonensium* Patrum sententia
,, ex-

(39) T. II. *cap.* XX. §. 6. *pag.* 67.

„ exponendos eſſe omnes intelligunt. Qui „ quidem haud dubie ſibi perſuaſum habebant, ſummum Pontificem de totius Ecclesiæ cauſſis, ſive per appellationem, ſive alio quocumque modo ad Apoſtolicam Sedem delatis, poſſe judicare. Quod ut clarius oſtendatur, animadvertendum eſt, *Theodoretum Cyrenſem* Epiſcopum, ab *Orientali* Synodo damnatum, ad S. *Leonem* Magnum provocaſſe. A quo quum fuiſſet abſolutus; re poſtea ad *Chalcedonenſe* Concilium delata, nequaquam Patres declararunt, a Synodis ad *Romanum* Pontificem provocationem non dari; quemadmodum liquido declaraſſent, ſi id verum eſſe exiſtimaſſent: ſed potius fuere profeſſi, Sedi Apoſtolicæ *Orientalium* Synodorum ſententias irritas faciendi eſſe poteſtatem. Et hac de cauſſa *Leonem* Magnum laudibus concelebrarunt, quod *Theodoretum* reſtituiſſet. Nam quum judices dixiſſent, *Omnis jam dubitatio* de Theodoreto *Reverendiſſimo Epiſcopo eſt ſoluta, quippe & Neſtorium coram nobis anathematizavit, & a Sanctiſſimo & Dei amantiſſimo Archiepiſcopo Senioris urbis* Romæ Leone *ſuſceptus eſt*; Patres Concilii reſponderunt: Theodoretus *dignus eſt Sede . . . . Archiepiſcopo* Leoni *multos annos* POST DEUM LEO JUDICAVIT. *Chalcedonenſe* igitur Concilium *Leonis* judicium probat, quo *Theodoretus* reſtitutus

fue-

„ fuerat. De hac *Leonis* ſententia Judices
„ non ſemel in eodem Concilio, præcipue
„ Actione prima, in hæc verba loquuntur:
„ *Glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus*
„ dixerunt: *Ingrediatur Reverendiſſimus Epi-*
„ *ſcopus* Theodoretus, *ut ſit particeps Syno-*
„ *di;* QUIA ET RESTITUIT EI EPISCOPA-
„ TUM SANCTISSIMUS ARCHIEPISCOPUS
„ LEO. Cognoſcebant igitur *Chalcedonenſes*
„ Patres, ex *Occidente*, *Orienteque* provoca-
„ ri ad *Romanum* Pontificem poſse; ut et-
„ iam *Eutychetis & Flaviani* exemplo nu-
„ per experti erant: idcirco dubitari non
„ poteſt, quin ii, *Antiochenos* Canones re-
„ cipiendo, nullum præjudicium Sedi Apo-
„ ſtolicæ fieri arbitrati ſint. In eadem opi-
„ nione *Romanos* Pontifices, qui eoſdem Ca-
„ nones poſt *Gelaſii* ætatem probarunt, fuiſ-
„ ſe evidens ex eo fit, quod ſemper de ap-
„ pellationibus Epiſcoporum, aliorumque ſe
„ judicare poſſe demonſtrarunt", Hæccine
ſunt Sophiſtarum?

VIII. Quærit tamen *Febronius*, *ubinam exiſtant, aut umquam exſtiterint genuini Canones ... quibus firma* Antiocheni ... *decreta ante* Iſidorianum *ſæculum abrogata, aut irrita reddita fuerint*. *Sardicenſes* jam indicavimus, de quibus plura ſequenti capite dabimus. Sed hoc præterea habeat, quod ad *Salomonem* Brittonum Regem *Nicolaus* I. perſcripſit: *Cenſeo nec ullam poſſe Epiſcopos ſui ho-*

noris

noris ſuſtinere jacturam , quos non conſtat fuiſſe a duodecim Epiſcopis , præſente primamque ſententiam Metropolitano Epiſcopo obtinente , quum examinarentur , auditos . Hæc vulgata Epiſcopalium depoſitionum fuit diſciplina . At hic ipſe *Nicolaus* qui veterem communemque Chriſtiani orbis diſciplinam confirmavit , in epiſtola ad univerſos Epiſcopos *Galliæ* eos graviter redarguit, quod *Rothaldum Sueſſionenſem* Epiſcopum exauctoraſſent, *etſi* enim , inquit , *Sedem Apoſtolicam nullatenus appellaſſet*, [uti appellarat] *contra tot tamen , & tanta vos decretalia efferri ſtatuta , &* EPISCOPUM INCONSULTIS NOBIS DEPONERE NULLO MODO DEBUISTIS . Quei hoc? Num *Nicolaus Febroniano* more ſecum ipſe confligit ? Minime vero . Verum Canones , qui aliquid hac de re ſtatuerunt , intelligendi ſunt *ſine præjudicio* Romanæ *Eccleſiæ* , cui ut ajebat S. *Innocentius* (40) *in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri* . *Prima* ſcilicet *ſententia* ad Metropolitanum & Synodum ſpectabat , ſed nullius hæc roboris erat , dum miſſa *poſt Epiſcopale judicium* , ut cum eodem *Innocentio* loquar , ad *Romanam* Sedem relatione Apoſtolici Præſulis exſpectaretur conſenſus . Legere in *Antifebronio* potuit vetuſta hujus diſciplinæ exempla [41] . Valen-

,, tinæ

[40] *ep.* II. *ad* Victric. *col.* 749. *T. I. epiſt.* R. P.
[41] T. II. *pag.* 146.

tinæ, inquit *Bonifacius* I. (42), *nos Clerici Civitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ* Maximum *teste tota provincia adserunt commisisse*. Videre heic est Clericos non apud Provinciæ Synodum, sed apud ipsum *Romanum* Pontificem *Maximi* Episcopi crimina deferentes. Quid *Bonifacius*? Synodum cogi jubet, quæ *Maximi* caussam cognosceret; verum addit (43): *Quidquid autem vestra caritas de hac caussa duxerit decernendum, quum ad nos relatum fuerit, nostra ut condecet, necesse est auctoritate firmetur*. De *Rejorum* quoque Episcopo *Contumelioso* ad *Johannem* II. *Gallicani* Antistites retulerunt; supremam tamen sententiam quis tulit? Non Synodus, sed *Johannes*, qui ad *Galliæ* Episcopos scripsit: *Innotuit nobis a fraternitate vestra missa relatio, in qua* Contumeliosus *multis legitur criminibus involutus. Et quia hujusmodi persona sacris non potest inhærere mysteriis, ab hodierno vel officio eum nostra censet removere auctoritas, ut in monasterio constitutus delicti veniam a domino petere non omittat . . . sed ne ejus Ecclesia destituta videatur, in ejus locum visitatorem dari, præsenti auctoritate decernimus*. Quid? quod S. *Leo* Magnus *Aggari* & *Tiberiani* Episcoporum caussam JUDICIO Episcoporum *Mauritaniæ* commisit, sed cur? Audiamus. *Vestro* in-

[42] *ep.* III. *edit. Coust. col.* 1051.
(43) *ibi col.* 1018.

inquit S. Pontifex (44), JUDICIO *cuncta commisimus, ut relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus*. Sibi ergo quid *post episcopale* JUDICIO statuendum esset, *Leo* servabat. Ubi vero *Romani* Pontifices vel ipsi sententiam edidissent, vel a Synodo latam confirmassent, Metropolitani, ac Synodi erat damnatum Episcopum deponere. Verum animadvertat *Febronius*; Synodo integrum haud erat *Romanæ* Sedis sententiam temperare, multo minus ab ea recedere: quod jusserat Pontifex Synodus exequi debuit. Recolantur quæ ex ejusdem S. *Leonis* M. ad *Mauritaniæ Cæsariensis* Episcopos litteris in *Antifebronio* (45) recitata fuerunt: " Quum ergo inter vos tantum valuerint
" aut studia popularium, aut ambitus superborum, ut non solum laicos, sed etiam secundarum uxorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoscamus
" pastorale provectos: nonne apertissimæ exigunt caussæ, ut Ecclesias, in quibus ista
" commissa sunt judicio severiore purgemus,
" & non solum in tales Præsules, sed etiam in ordinatores eorum digna districtione moveamur? Sed circumstant nos
" hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ: & quia *universæ viæ Domini mise-*

(44) *ep. XII. Ball. edit. col. 666.*
(45) *l. c. pag. 139.*

„ *misericordia* & *veritas*, cogimur secundum
„ Sedis Apostolicæ pietatem, ita nostram
„ temperare sententiam, ut trutinato pon-
„ dere delictorum, quæ constat non unius
„ esse mensuræ, quædam definiamus utcum-
„ que toleranda, quædam vero penitus am-
„ putanda. Eos enim qui vel secundum
„ nuptias inierunt, vel viduarum se conju-
„ gio sociarunt, IN SACERDOTIO MANE-
„ RE NON PATIMUR . . . . Ceteros vero
„ quorum provectio hoc tantum reprehen-
„ sionis incurrit, quod ex laicis ad officium
„ episcopale delecti sunt, neque ex hoc
„ quod uxores habeant, possunt esse culpa-
„ biles, susceptum SACERDOTIUM TENE-
„ RE PERMITTIMUS". Hæc *Antiochenis* Canonibus opponimus. Numquid *Sophistæ* sumus?

IX. Non negaverim tamen, Metropolitas extitisse, *Febronianis* fortasse doctrinis imbutos, qui depositionis pœnam non consulto *Romano* Pontifice Episcopis irrogarint. At hæc *temeraria præsumptio* fuit. Non mihi *Febronius* irascatur, hæc si legerit. Mea isthæc non sunt; *Tricascinæ* Synodi sunt in epistola a. 867. ad *Nicolaum* I. perscripta. " His
„ ergo (inquiunt ejus Concilii Patres, quos
„ inter sex omnino Metropolitæ, atque in
„ his *Hincmarus* *Isidorianarum* decretalium
„ mastyx) ita pro quantitate intelligentiæ
„ nostræ decursis, submissæ devotionis ob-

„ ſequio veſtri Apoſtolatus exoramus ma-
„ gnificam beatitudinem, ut ſapientiſſima
„ indagine conſideratis utriuſque partis re-
„ latis, more beatiſſimorum prædeceſſorum
„ veſtrorum, quæ de ſtatu ſacri Pontificalis
„ ordinis ab eis ſtatuta, & impræváricabili
„ auctoritate firmata ſunt, ut immota de
„ cetero maneant, mucrone apoſtolico QUO-
„ RUMCUMQUE METROPOLITANORUM
„ TEMERARIA PRÆSUMPTIONE SUPPRES-
„ SA, quin etiam reliquorum Epiſcoporum
„ quorumcumque ſeu quantorumcumque,
„ audaci conniventia penitus ſubmota, pri-
„ vilegia & decreta ſervari, innovata con-
„ ſtitutione decernatis: ITA UT NEC VE-
„ STRIS, NEC FUTURIS TEMPORIBUS,
PRÆTER CONSULTUM ROMANI PONTIFI-
„ CIS, de gradu ſuo quilibet Epiſcoporum
„ deijciatur, ſicut eorumdem ſanctorum An-
„ teceſſorum veſtrorum multiplicibus decre-
„ tis & numeroſis privilegiis ſtabilitum mo-
„ dis mirificis exſtat: videlicet ne aliqua
„ varietate & utilitate ſummus ordo diabo-
„ li adminiſtratione nutare, aut irregulari-
„ ter labefactari ſinatur, Domine beatiſſi-
„ me, & omni orbi Papa celebrande". Et
poſt hæc *Antiochenos* nobis Canones obtrudi
impune patiemur?

CAPUT V.

Licet ad ea quæ de Appellationibus in Antifebronio *disseruimus*, Febronius *fere nihil responderit, nova de illis, brevis tamen tractatio instituitur, & adversarii audacia retunditur.*

I. ANimus mihi haud est, quæ in *Antifebronio* de appellationibus toto secundi voluminis libro tertio disputata fuerunt, aut repetere, aut compendio exhibere. Satis heic erit selecta quædam in hujus Pontificii juris confirmationem adferre, & quæ pauca heic illic *Febronius* adversus illud nulla ad nostras animadversiones addita responsione audacter iteravit, novis argumentis diluere. Tria enimvero in disceptationem cadunt: Primum ad juris quæstionem pertinet, num scilicet ad insitas divino Primatui prærogativas appellationum jus sit referendum? alterum quid hac super re a *Sardicensibus* Patribus fuerit constitutum? tertium, an Ecclesia hoc semper jus in *Romanis* Pontificibus agnoverit? quod utrumque *facti*, ut ajunt, disquisitio dicitur. In primum, quod ceterorum basis est, paullo diligentius inquiramus.

II. Quoniam vero *Febronius* P. *Zallwein* dicta nobis superius inculcat, hunc ipsum

ſibi a nobis obijci ſtatim patiatur. En Cl. *Benedictini* verba (1). " Quæſtio juris no-
„ ſtra opinione facillimæ eſt deciſionis: nam
„ ſi ſemel in Pontifice revereamur quem-
„ dam Primatum juriſdictionis, ſane jus ap-
„ pellandi inde velut appendix neceſſaria
„ conſequitur: quid enim aliud eſt jus ap-
„ pellandi, quam jus provocandi ad Judi-
„ cem ſuperiorem velut ex ipſo jure natu-
„ ræ fluens? in quantum nempe ſapit ſpe-
„ ciem neceſſariæ defenſionis, eum in fi-
„ nem, ut appellanti fiat juſtitia, in qua
„ ſe per Judicem inferiorem læſum eſſe que-
„ ritur. Si ergo Pontifex vi primatus vi-
„ ces legitimi judicis ſuſtinet, quo auſu i-
„ pſi admiſſionem vel exactionem appella-
„ tionum abnegare ſuſtinemus "? Hoc illud argumentum eſt, quod a *Benedicto* XIV. indicatum auſus *Febronius* fuit *præconceptæ Monarchiæ* tribuere. Caſtigavimus in *Antifebronio* hominis temeritatem (2). Quoniam tamen nobis reſpondere adgreſſus eſt, cur illud non ſolvit? Sed nimirum miſellus numquam ſe ſe extricabit, niſi *Romano* Pontifici omnem juriſdictionis primatum ſe (quod nunc refugit) negare diſerte profiteatur. Certe quotquot *Romani* Antiſtites iis ipſis temporibus, quibus de *Iſidoriana* collectione ne ſomniabatur quidem, appellationes ſuſce-

perunt

[1] T. II. *pag.* 201.
[2] T. II. *lib.* III. *cap.* I. *n.* 3.

perunt, eas *Petri* Primatui adſcripſerunt. Ad *Theſſaliæ* Epiſcopos (ut aliquod exemplum proferam) ſcribens *Bonifacius* I., eoſque reprehendens, quod *Rufum* Apoſtolicæ Sedis Vicarium contemnerent, ait (3): *Certe ſi in quoquam ejus* [Rufi] *ſupra debitum fuit viſa correptio, quoniam ideo tenet Sedes Apoſtolica Principatum, ut querelas omnium licentes adcepit; interpellari nos ſuper hoc miſſa legatione convenerat, quos curam omnium rerum manere videatis.* Sanctus quoque *Agapetus* in epiſtola ad *Juſtinianum* Imperatorem de *Stephani Lariſſæi* cauſſa agens, *abſit*, inquit, *a quorumlibet mentibus Chriſtianis, ut in quacumque perſona aut innocentiam redarguant, aut crimen abſolvant.* SED UNIVERSA, QUÆ APOSTOLICÆ SEDIS NUPER HAC SUNT PARTE DISPOSITA, ILLO SEMPER STUDIO MANAVERUNT, QUÆ PRINCIPATUI B. PETRI VOS QUOQUE CAPITIS PER OMNIA RESERVARI; SCILICET NE IN HIS, QUI SEDIS EJUS AUDIENTIAM POSTULASSENT, *ſpreta ejus reverentia*, ALTERIUS SENTENTIA PROVENIRET. In eamdem ſententiam quum *Wilfridus Eboracenſis* ſede ſua pulſus *Agathonem* appellaſſet, Sanctus Pontifex in Concilio *Romano* ajebat: *non mediocriter ſatisfecit audientibus petitionis ſeries, quam* Wilfridus *Deo amabilis Epiſcopus obtulit in hoc, quum ſe indigne de Epiſcopali Sede dejectum agnovit, non*

(3) ep. XIV. col. 1038. Couſt.

contumaciter per vim secularem obstitit, sed humiliter sentiens, AUCTORIS NOSTRI B. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS CANONICUM EXPETIVIT SUBSIDIUM; *& supplici præstolatione, quæ super eo censenda sunt, se suscepturum perhibens*, QUOD EX ORE NOSTRO B. PETRUS *Auctor noster, cujus ministerio fungimur*, PRÆVIDERIT STATUENDUM.

III. Neque vero soli Pontifices a *Petri* principatu jus appellationum repetebant. Id ipsum sensit *Sozomenus*, qui *Athanasii* ad *Julium* Pontificem appellationem narrans ait (4): Athanasius Alexandria *profugus* Romam *venit*. *Eodem tempore* Paullus *quoque* Constantinopoleos *Episcopus*, *&* Marcellus Ancyræ *eo adcessit*. . . EPISCOPUS IGITUR ROMANUS, QUUM SINGULORUM CAUSSAS COGNOVISSET, *omnesque* Nicænæ *fidei consentientes reperisset*, IN COMMUNIONEM RECEPIT. *Et quoniam* PROPTER SEDIS DIGNITATEM OMNIUM CURA AD IPSUM SPECTABAT, SUAM CUIQUE ECCLESIAM RESTITUIT. Audiatur etiam quem nuper indicavi, *Stephanus Larissæus* in libello, quem *Bonifacio* II. obtulit: *Ego vero nec accusatorum, nec aliquorum conatus metuens, sed ad Deum solummodo, & ad Leges Sanctæ Ecclesiæ*, ET AD PRINCIPATUM SANCTARUM ECCLESIARUM, TRADITUM VOBIS, RESPICIENS, *mox inter acta dixi, ut oporteret, me ad aliquem accusantem respondere aut de mea*

ordi-

ordinatione aliquid judicare, non sub eo, qui nunc judicare dignatur, caussam me dicere necesse est, sed alibi, apud quem Sacrorum Canonum lex custoditur, & usque hactenus consuetudo servatur; memoriam faciens vestri sancti Capitis, & Apostolicæ Sedis, dicens, vos esse Dominos hujus examinationis. *Stephano* concinit *Theodosius Ecdiniensis* Episcopus, qui lectis in *Romana* Synodo ejusdem *Stephani* libellis ait: *Constat venerandos Sedis vestræ Pontifices*, QUAMVIS IN TOTO MUNDO SEDES APOSTOLICA ECCLESIARUM SIBI JURE VINDICET PRINCIPATUM, ET SOLAM ECCLESIASTICIS CAUSSIS UNDIQUE APPELLARE NECESSE SIT, *specialiter tamen gubernationi suæ* Illyrici *Ecclesias vindicasse*. Sed modus aliquis in citandis Patribus adhibendus est. Unum tamen non omittam, *Bernardum* scilicet, qui ita *Eugenium* adloquitur [5]: *Appellatur de toto* mundo ad te: id quidem IN TESTIMONIUM SINGULARIS PRIMATUS TUI. Quid his ad divinum appellationum jus adserendum aut disertius aut magnificentius desideretur?

IV. Non despondet tamen animo *Febronius* jubetque (6) illud a nobis considerari, *quod* Gelasius I. *scripsit ad* Faustum *fungentem officio Legationis* Constantinopoli *apud* Harduinum *Tom. II. Concil. col.* 885. *scilicet*:

(5) *de consider. lib.* III. *cap.* 2.
(6) T. II. *pag.* 234.

Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur. . . IPSI CANONES SUNT, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen deferri voluerunt. *Non dicit* (quam acute!) IPSE DOMINUS, *vel* IPSÆ SCRIPTURÆ SUNT, *sed* IPSI CANONES SUNT. Egregie sane. At cur sequentia non legit? Idipsum invenisset, quod heic desiderat. Loquens ergo sub ejus epistolæ finem *Gelasius* de sententia, quam in *Acacium Felix* III. protulerat, *quapropter* inquit, *non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur*, QUAM ET VOX CHRISTI, *& Majorum traditio, & Canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet*. Canones igitur *Gelasius* urgebat, quia Canones adversarii jactabant. Ne autem quis crederet, appellationum jus tantummodo Ecclesiasticum esse, non divinum, addit *vocem Christi*, quam Canones sequuti sunt, ut alibi diximus.

V. Sed quinam Canones sunt a *Gelasio* indicati? Utique *Sardicenses*. Mirabitur *Febronius*, mecum *Gelasio* Canones *Sardicensibus* Patribus de appellationum jure tribuere. Nam ut adversus *Colonienses* disputat (7), TAM ACCURATE, & PEREMPTORIE *Febro-*
„ *nius Cap. V.* §. *6. 7.* genuinum sensum *Sardicensium* Canonum explanaverat, ut mi-
„ randum merito sit, *Colonienses* heic redire
„ in idipsum. Perspicuum est ex ipsis hu-
„ jus

[7] T. II. *pag.* 55.

„ jus Synodi Canonibus, vigore eorumdem „ nihil aliud in Concilio *Romani* Episcopi „ determinari, aut inquiri, quam *utrum caussa* „ *sit retractanda in Provincia nec ne*. Itaque „ hæc verba Canonis VII. *donec caussa ejus* „ *fuerit in judicio* Romani *Episcopi determi-* „ *nata*, non significant caussam a *Romano* Pontifice judicandam, sed tantum ab eo determinandum, *utrum locus sit novo examini* „ *& judicio*". Similia contra Clarifs. Viros *Kauffmansium* & *Sangallum* jactat (8); "Prætendit, inquit, D. *Kauffmans* . . . uti & „ P. *Sangallo*, . . per Concilium *Sardicense* „ in materia appellationum non fuisse in- „ troductum jus novum, sed confirmatum „ vetus ex divino profluens. Contrarium „ adseruit, & nisi me multa fallant, solide „ adversus argumenta *Natalis Alexandri* (quæ „ *Sangallo* & *Kauffmans* recoquunt) stabili- „ vit *Febronius Cap. V.* §. 3. Iis, quæ ille „ ibidem de sensu & vi verborum *Sardi-* „ *censium* Canonum tradit, non est opus „ heic adjungere quidquam". Vide quantum opiniones hominum discrepent. Ego vero existimassem, *opus* fuisse, ut iis quæ de *Sardicensibus* Canonibus in *Antifebronio* (9) proposita sunt, responsum *adjungeret*. Nam quod addit (10). *qui in hanc rem pla-* *ra*

(8) *ibid. pag.* 233.
(9) *l. c. cap.* III.
(10) *T.* II. *pag.* 234.

ra desiderat, legat studiose Zegeri Van-Espen *dissertationem in Canones* Sardicenses, *quæ exstat in ejusdem Clarissimi Viri* Commentario in Canones & decreta juris veteris ac novi posthumo *pag.* 258. *&* *seqq.* edit. *Colon.*, Litterariam ad eruditionem quidem spectat, sed parum ad rem facit. Scilicet *Van-Espenii* dissertationem videram; at quæ contra *Febronium* disserui, illius quoque Jurisperiti figmenta propulsant. Sed Canones recitemus huc pertinentes. Sunt hi apud *Dionysium Exiguum* Can. III. IV. & VII. qui postremus rectius in *Græco* est Canon V. Ex Canone III. hanc ultimam partem, quæ solum ad rem præsentem spectat, quæque idcirco separato numero effertur in MSS. aliarum antiquarum Collectionum latinarum exscripsisse sufficiat. " Si a-
" liquis Episcoporum judicatus fuerit in a-
" liqua caussa, & putat se bonam caussam habere, ut iterum Concilium (sic *Dionysius* aliæ collectiones latinæ cum Græco judicium) renovetur; si vobis placet, S. *Petri* Aposto-
" li memoriam honoremus, ut scribatur ab
" his, qui caussam examinarunt (*aliæ collectio-*
" *nes* latinæ *addunt*: vel ab Episcopis, qui in
" *proxima Provincia morantur*) *Julio Romano*
" Episcopo: & si judicaverit renovandum
" esse judicium, renovetur, & det judices.
" Si autem probaverit, talem caussam esse,
" ut non refricentur ea quæ acta sunt, quæ de
cre-

creverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus
„ placet? Synodus respondit: Placet Ca-
„ non quartus. *Gaudentius* Episcopus dixit:
„ addendum, si placet, huic sententiæ, quam
„ plenam sanctitate protulisti; ut quum ali-
„ quis Episcopus depositus fuerit eorum E-
„ piscoporum judicio, qui in vicinis locis
„ commorantur, & proclamaverit agendum
„ sibi negocium in urbe *Roma*: alter Epi-
„ scopus in ejus Cathedra, post appellatio-
„ nem ejus, qui videtur, esse depositus,
„ omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit
„ in judicio Episcopi *Romani* determinata."
Canon septimus, alias quinctus: " *Osius* E-
„ piscopus dixit: Placuit autem ut si Epi-
„ scopus accusatus fuerit, & judicaverint
„ congregati Episcopi regionis ipsius, & de
„ gradu suo eum dejecerint; si appellave-
„ rit, qui dejectus est, & confugerit ad
„ Episcopum *Romanæ* Ecclesiæ, & voluerit
„ se audiri; si justum putaverit ut renove-
„ tur judicium, vel discussionis examen,
„ scribere his Episcopis dignetur, qui in
„ finitima & propinqua Provincia sunt, ut
„ ipsi diligenter omnia requirant, & juxta
„ fidem veritatis definiant. Quod si is, qui
„ rogat caussam suam iterum audiri, depre-
„ catione sua moverit Episcopum *Romanum*
„ ut de latere suo Presbyterum mittat; e-
„ rit in potestate Episcopi, quid velit, &
„ quid æstimet. Et si decreverit mittendos

„ esse

„ esse, qui præsentes cum Episcopis judi-
„ cent, habentes ejus auctoritatem, a quo
„ destinati sunt; erit in suo arbitrio. Si
„ vero crediderit Episcopos sufficere, ut ne-
„ gocio terminum imponant; faciet quod
„ sapientissimo consilio suo judicaverit.“

VI. Hæc porro eorum summa est, quæ in *Antifebronio* cum *Ballerinis* S. *Leonis* M. Editoribus dicta a me fuerunt. I. Canon III. etsi *Dionysius* in titulo *damnati* Episcopi qui *appellaverit* Romanum Pontificem, meminit, de propria appellatione non loquitur, quam *Osius* in ipso Canone, uti Can. VII. al. V. expressisset. “ Ipsa certe, inquiunt *Ballerinii*
„ (11), Canonis tertii (ad quem quartus
„ refertur) verba nihil amplius indicant,
„ nisi sermonem esse de Episcopo, qui pri-
„ ma cognitione damnatus, ut fieri solebat,
„ a suæ Provinciæ Episcopis, novam caus-
„ sæ cognitionem efflagitet: *putat se bonam*
„ *caussam habere, ut iterum Concilium renove-*
„ *tur*; quod quidem secundæ cognitionis ju-
„ dicium ex faciliori & frequentiori usu,
„ ubi expressa ad Sedem Apostolicam ap-
„ pellatio non intercessisset, a finitimis E-
„ piscopis in Synodum cogendis quæreba-
„ tur. Decernitur autem, ut in honorem me-
moriæ S. *Petri* ipsi judices primæ sententiæ scribant ad *Julium Romanum* Antistitem,
„ qui si novum judicium adhibendum cre-
di-

[11] *in S. Leon. M. T. II. col. 941.*

„ diderit, secundæ cognitionis *judices det* ex
„ finitimis utique Episcopis; unde Canone
„ IV. aliquid *addendum* subiicitur post hoc
„ secundum *Episcoporum judicium qui in vicinis*
„ *locis commorantur*". 2. Canon quartus appendix est Canonis III. quod indicant illa: *Addendum si placet huic sententiæ, quam plenam Sanctitate protulisti*; " idque, inquiunt
„ iidem *Ballerinii* (12), addendum in hy-
„ pothesi, qua Episcopi depositio statuta ab
„ Episcopis suæ Provinciæ in primo judicio
„ etiam in secundo ab Episcopis finitimis,
„ quos *Romanus* Pontifex judices dederit,
„ confirmata fuisset, indicare videntur se-
„ quentia: *Quum aliquis Episcopus depositus*
„ *fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis*
„ *locis commorantur*, secundo utique judicio,
„ quod solum ad Episcopos *finitimos* poterat
„ pertinere. Si ergo is, qui depositus fuit,
„ huic quoque judicio non adquiescens, *pro-*
„ *clamaverit agendum sibi negocium in urbe*
„ Roma, decernitur, ut *alter Episcopus in*
„ *ejus Cathedra post appellationem ejus, qui*
„ *videtur esse depositus, omnino non ordinetur,*
„ *nisi caussa fuerit in judicio Episcopi* Roma-
„ ni *determinata*. Licet nimirum duo uni-
„ formia depositionis judicia præcesserint,
„ alter in Concilio Episcoporum ejusdem
„ Provinciæ, alterum ab Episcopis finiti-
„ mis, vi tamen appellationis ad Apostoli-
„ cam

(12) *l. c. col.* 949.

„ cam Sedem, quam depoſitus (uti tertio „ canone præfertur) proprie antea non in- „ terpoſuerat, tertium judicium conceditur, „ & iſtud quidem in Urbe, quo cauſſa *in* „ *judicio Epiſcopi Romani* terminetur . . . . „ Quod ſi Canonis quarti *Græca* lectio adeo „ expreſſam appellationis & judicii in Urbe „ habendi mentionem non exhibet, uti le- „ ctio *latina*, ſatis tamen reipſa innuitur iis „ e *Græco* redditis verbis, quibus nulla no- „ vum aliorum judicum delegatione memo- „ rata, ipſius *Romani* Epiſcopi cognitio exi- „ gitur, ut cauſſæ terminus imponatur. *Si* „ *quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epi-* „ *ſcoporum, qui ſunt in vicinitate, & dicat* „ *rurſus ſibi defenſionibus locum competere, non* „ *prius in cathedram ejus alius ſubſtituatur,* „ *niſi* Romanus *Epiſcopus cognoſcens de hoc,* „ *finem impoſuerit*. Certe illum, qui poteſt „ per delegatos judices, vel per Legatum „ cauſſam cognoſcere, eodem jure poſſe et- „ tiam per ſe illam definire, negari ne- „ quit". 3. Ubi in Canone III. una novi „ judicii petitio adtenditur abſque ulla ad *Romanum* Pontificem appellatione, in VII. al. 5. agitur (ut cum iiſdem *Balleriniis* loquar) " de appellatione proprie dicta ad „ Epiſcopum *Romanum*, ad quem Epiſcopus „ depoſitus confugere, ac ipſum appellatio- „ nis judicium promovere traditur: unde „ hic Can. 7. al. 5. non vero Can. 3. in-

„ ſer-

„ sertus fuit a *Zosimo* in *Commonitorio*, quod
„ dedit Legatis ad *Africanos* an. 418. quum
„ appellationem proprie dictam a *Sardicensi*
„ confirmatam probare voluit".

VII. Hinc autem maximum colligitur discrimen quod tertium inter & septimum Canonem interest. Eo tantum Canone adhibita a Patribus fuit formula: *S.* Petri *Apostoli memoriam honoremus*. " Ubi enim, quemadmodum *Ballerinii* observant (13), non
„ intercedit expressa ad *Romanam* Sedem ap-
„ pellatio, novum, quod petebatur, judi-
„ cium ex *finitimis* Episcopis quæri solebat,
„ ut ex Can. XIV. *Antiocheno* aliisque te-
„ stimoniis liquet: neque in hoc Apostoli-
„ ca auctoritas necessaria erat. Quum igi-
„ tur *Sardicenses* Patres non ex jure, quod
„ cogeret, sed ex observantia in Sedem A-
„ postolicam hanc methodum servari præce-
„ perint, ut hac ratione ejusdem Sedis au-
„ ctoritatem & honorem promoverent, cui
„ *Eusebiani* detrahere conati fuerat, ea for-
„ mula usi videntur. In hoc autem Ponti-
„ ficii primatus ratio habita fuit. Neque
„ enim hunc honorem *Romanæ* Sedi iidem
„ Patres detulerunt, quasi putarent, nullum
„ ipsi jus in appellationibus competere,
„ quod sequentibus Canonibus satis declara-
„ runt; sed quia eo quoque casu, quo judices
„ ex finitimis Provinciis darentur, citius
„ ab

(13) *l. c. col.* 947.

„ ab ea Sede dandos crederent, quæ ratio-„ ne primatus in omnes Ecclesiæ provincias „ jurisdictionem habebat, quam a Metropo-„ litano Episcopo, qui per se in provinciæ „ finitimæ Episcopos nihil juris habet. Ce-„ terum hac formula abstinuerunt in cano-„ nibus sequentibus, ubi de appellatione „ proprie dicta ad summum Pontificem ser-„ mo est: quia heic non merum honorem „ alias non necessarium, sed jus proprium „ ejusdem Sedis noverunt". Est etiam a-liud, quod quantum *Romani* Pontificis au-ctoritati *Sardicenses* Patres detulerint, palam facit. *Si autem*, inquiunt Canone tertio, *probaverit* (Romanus Episcopus) *talem caus-sam esse; ut non refricentur ea, quæ acta sunt; quæ* DECREVERIT, CONFIRMATA *erunt* non Synodi, cujus acta non refricanda ipse cen-suerit, sed Pontificis id decernentis auctori-tate. Quo spectat illud S. *Leonis* M. (14): *nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus, innumeris relatio-nibus esse consultam per diversarum quemadmo-dum vetus consuetudo poscebat appellationem caussarum, aut retractata,* AUT CONFIRMATA *fuisse judicia*. Quamquam quid *Leonem* appel-lo, quum ipsi *Græculi* etsi *Romanæ* Ecclesiæ perinfensi idipsum fassi fuerint? In his *Zo-naras Constantinopolitanus* Monachus *Sardicen-*

sem

(14) *ep. X. col. 634. edit. Ball.*

sem Canonem quartum ita interpretatur (15): *si aliquorum criminum accusatus fuerit Episcopus, ac eorum, qui in vicinia sunt, vicinorum videlicet, & qui prope degunt, Episcoporum judicio depositus; seque is nihilominus caussam suam æquis rationibus tueri posse adfirmet; non ante, inquit in Episcopalem ejus Sedem alium substitui liceat, quam de illius depositione* PAPA *certior factus* REM IPSE DEFINIVERIT, *hoc est, quid teneri velit, ostenderit;* EAMQUE DAMNATIONEM AUCTORITATE SUA AUT CONFIRMANDAM, AUT RESCINDENDAM EXISTIMARIT. Neque omittendus *Theodorus Balsamon* Patriarcha *Antiochenus Græcorum* Schismaticorum doctissimus, qui in eumdem Canonem ait (16): *Quum dixissent Patres, Provincialium sententiam appellationi subiici, & a propinquis Episcopis jussu Papæ examinari; nunc dicunt, quid fieri debeat, si ab iis etiam is, qui appellavit, condemnatus fuerit, & se rursus gravari dicat. Statuunt ergo, ut res in integro maneant, & in ejus, qui condemnatus est, Ecclesiam alius non eligatur,* NISI SECUNDA APPELLATIO A PAPA EXAMINATA FUERIT. Non dicit *Balsamon*, *Romanum* Pontificem necessario alios judices dare debere, qui iterum judicarent; sed *se-*

(15) apud Bevereg. *Pandect. Canon.* T. I. *pag.* 488.
(16) *Ibid. pag.* 487.

cundam appellationem ab eo examinandum esse adseverat.

VIII. Ubi ergo *Febronium*, Canones *Sardicenses genuinum sæpe fatarum appellationum fundamentum seu verius occasionem* fuisse iterum adfirmantem audieris [17] redivivum in *Febronio Quesnellum* ridebis (18). " In duo-
" bus certe Canonibus IV. & VII. qui de
" appellatione ad Romanum Pontificem lo-
" quuntur [utor & heic *Ballerinorum* ver-
" bis] nihil invenies, quo novum jus con-
" di vel leviter indicetur. Non tribuitur
" hujusmodi appellationum interponendarum,
" aut recipiendarum facultas, sed certa præ-
" sumitur; & solum canone septimo diver-
" sus modus designatur a Pontificio bene-
" placito pendens; canone autem quarto
" eorum audacia reprimitur, qui appella-
" tione ad Apostolicam Sedem pendente,
" Episcopo quasi absolute deposito contra
" appellationis jus successorem creare nite-
" rentur: quod in *Eusebianos* aliqua ratione
" constitutum videtur, qui *Athanasii* caus-
" sam Romam delata in *Antiochena* pseudo
" Synodo *Gregorium Alexandriæ* Episcopum
" consecraverant. Adde quod canon septi-
" mus, dum profitetur, delegatos Apostoli-
" cos, si a Pontifice mittendi judicentur,
habe-

(17) T. *II.* pag. 540.

(18) *Quesnellus* nempe *in* S. Leon. *diss. V. cap. XV.* de *Sardicensi* Concilio ait: *illi tamen Concilio debetur earum appellationum origo*.

„ *habere auctoritatem ejus, a quo destinati sunt;*
„ jus utique in hisce caussis non a Conci-
„ lio tributum, sed ipsi Pontifici competens
„ satis declarat: quod quidem jus in appel-
„ lationibus non tam *Occidentis*, quam *O-*
„ *rientis* ad solum primatum referri potest,
„ quo *Romanus* Antistes omnibus & *Orientis*
„ & *Occidentis* Episcopis non solo ordine,
„ sed jurisdictione etiam præsidet". Qua-
mobrem, ut iidem docti viri animadvertunt,
„ quum *Valentinianus* III. Imperator in epi-
„ stola *Chalcedonensi* collectioni inserta, quæ
„ inter epistolas *Leonis* censetur ep. 55. ad-
„ seruit *Flavianum Constantinopolitanum* Epi-
„ scopum a pseudo Synodi *Ephesinæ* senten-
„ tia ad *Romanam* Sedem appellasse *secundum*
„ *solemnitatem*, seu ex *Græco secundum sole-*
„ *mnem usum Conciliorum*, qui scilicet præ-
„ sertim post *Sardicensem* Canonem invaluit,
„ hujus rei originem non Concilio *Sardicen-*
„ *si*, sed primatui adtribuit. Memorato e-
„ nim primatu, ob quem *Romanus* Episco-
„ pus *locum habet & facultatem de fide &*
„ *Sacerdotibus judicare*, subdidit: *Hac enim*
„ [primatus] *gratia secundum solemnitatem*
„ *Conciliorum &* Constantinopolitanus *Episco-*
„ *pus eum* [Romanum Antistitem] *per libel-*
„ *los appellavit*."

IX. Ineptit vero *Febronius*, dum iterum ait (19): *Canones* Sardicenses *modum adhi-*

 bent

(19) T. II. pag. 236.

bent auctoritati Episcopi Romani, *cui nihil aliud licere volunt, quam ut novos judices donet Episcopos ex vicina Provincia* (*quibus ipse, si velit de suis unum adjungere valeat*) *qui una cum prioribus judicibus intersint renovationi Concilii & judicii*. Primus ab *Hincmaro* hunc errorem hausit de *Marca* (20); ab hoc *Quesnellus Dupinius* aliique, qui propterea *Sardicenses* Patres tantum *retractationis*, seu *revisionis caussæ decernendæ potestatem fecisse* Romano *Episcopo* docuerunt: ubi enim priores judices debent novo judicio suos quoque calculos dare, non propria appellatio, sed *mera revisio* ab iisdem vocatur. At quam hæc hypothesis falsa sit, ex propria Canonum explicatione quisque intelliget: finitimos enim Episcopos designandos Canon VII. al. V. aperte tradit, eodemque sensu ea adcipienda sunt Canonis III.: *det judices*; de prioribus autem judicibus admittendis ne verbum quidem. Quid vero falsius dici poterat, quam quod *Febronius Quesnellianæ* temeritatis imitator quasi ex tripode pronunciavit, nihil aliud per *Sardicenses* Canones *Romano* Episcopo licere, nisi novos judices dare? Vidimus enim Canone IV. (quem septimum typographi fortasse errore *Febronius* paullo superius indicabat) tertium judicium, quod *Romæ* ab ipso Pontifice ferri deberet, depositis Episcopis fuisse concessum: *Nisi caussa* fue-

(20) *de Conc. lib. VII. cap.* 3.

fuerit in judicio Episcopi Romani *determinata*, verba sunt Canonis, quæ quod *Febronius* eo detorqueat, ut *non significent caussam a* Romano *Pontifice judicandam*, *sed tantum ab eo determinandum utrum locus sit novo examini & judicio*, Jureconsulti est se cum Simiis, non cum hominibus ratione utentibus ac genuinam verborum usurpationem pernoscentibus agere existimantis.

X. Quæ porro cum ante, tum post *Sardicense* Concilium gesta sunt, atque in Ecclesiasticos Annales relata, hactenus dicta mirifice comprobant. Nimirum (quod tertio loco examinandum proposueram) perpetua universæ Ecclesiæ consuetudo vel a primis Christiani nominis temporibus obtinuit, ut *Romani* Pontificis tribunal appellaretur. De quo antequam dissero, nonnulla *Febronii* dicta sunt castiganda. *Ostendit*, inquit ille (21), Petrus de Marca . . . & CONSTAT ALIUNDE, *quod Concilia Provincialia suprema judicandi potestate*, *a qua appellari non poterat*, *gavisa sint*, *quæ auctoritas illis in Concilio generali octavo adhuc confirmata fuit*. Mihi vero CONSTAT, *Petrum de Marca* egregie hallucinatum fuisse; constabit autem magis, si quæ superiori capite disceptavimus, recolantur (22). Illud uberiorem meretur

(21) T. *II. pag.* 443.

(22) Confer etiam cl. *David* in opere inscripto: *des Jugemens Canoniques des Eveques* Paris 1671. Cap. I. III. & IV.

retur disquisitionem, quod ex *Nicænis* Canonibus *Febronius* profert. " Episcopi *Africæ*, inquit (23) . . . *Cælestino* Papæ apud
„ *Petrum Coustant col.* 1060. rescripserunt :
„ *Decreta* Nicæna, *sive inferioris gradus clericos*, *sive ipsos Episcopos*, *suis Metropolitanis apertissime commiserunt* . . . Hoc autem, inquit *Coustant col.* 1061. *not.* a.,
„ Decreta Nicæna providerunt Canone V.
„ quo præceperunt *annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter, omnibus simul Episcopis provinciæ congregatis, discutiantur hujusmodi quæstiones*, quæ subortæ fuerant
„ . . . . Atque ita *Afri* . . . . ex decretis
„ Concilii *Nicæni* Papæ recte negarunt jus
„ appellationum ". Vere ne hæc obijciantur, ut exploratum fiat, prius de *Nicæno* Canone quarto disputabimus; pauca deinde de *Afris* subijciemus.

XI. Atque equidem miror, quei fieri possit, ut de *Marca*, eumque sequuti *Quesnellius*, *Dupinius*, *Febronius* appellationes ad *Romanum* Pontificem a *Nicænis* Patribus eo Canone denegatas velint. Quum enim de *Romano* Pontifice nulla fiat mentio, hoc numquam efficient, nisi Provincialia Concilia supremæ in Episcoporum præsertim caussis dijudicandis auctoritatis a quibus nullus sit ad superius tribunal appellationi locus, agni-

(23) T. *III. pag.* 310.

agnita ab illis Patribus fuisse ostendant. Nempe si *Nicænos* Patres, quum apud Provinciæ Synodos *discuti hujusmodi quæstiones jusserunt*, appellationes exempli caussa ad generale, vel etiam ad Nationale Concilium non abrogasse constat, quo demum pacto adversarii, ut appellationes ad *Romanam* Sedem ibi improbatæ dicantur, obtinebunt? Sed nihil certius, quam quod Patres *Nicæni* intactas ad Concilia sive generalia sive etiam Nationalia a Provincialibus Synodis appellationes voluerint. Nonne *Febronius* *Afros* obijcit? Atqui *Africani* Patres verbis a *Febronio* adlatis continenter subijciunt (24): *Maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit Cognitorum ad Concilia suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare*. Non ergo omnes omnino ad superius tribunal provocationes a *Nicænis* decretis veritas crediderunt. Sed vel ipsi *Nicænæ* Synodi Patres suo exemplo id ostenderunt. *Petrus*, ut *Athanasius* narrat (25), *apud nos ante persequutionem Episcopus, in persequutione Martyr occubuit. Hic* MELETIUM, *qui Episcopus in* Ægypto *erat, plurimorum convictum scelerum, ac potissimum, quod immolasset Idolis,* IN COMMUNI EPISCOPORUM SYNODO *deposuit* ..... *Interim* Meletio *hæc agente*, Arriana *exorta est hæresis; sed in* Ni-

(24) *apud Coust. col.* 1061.
(25) *Apolog. II.*

Nicæna *Synodo ipſa quidem hæreſis anathemate damnata*, Arianique *rejecti*, MELETIANI ALIQUO MODO RECEPTI SUNT: Exſtat enim vero ea de re ipſorum *Nicænorum* Patrum ad Eccleſiam *Alexandrinam* epiſtola, quæ *Athanaſii* narrationem confirmat. In ea ſcilicet ajunt: *Concilium, clementius aliquando in* Meletium *animatum, (nam ſummo jure nullam merebatur veniam) decrevit, ut in ſua civitate maneat; poteſtatem autem nullam habeat vel manus imponendi vel adminiſtrandi, . . . ſed ut ſolum dignitatis nomen retineat*. *Meletii* igitur in *Alexandrina* Synodo depoſiti cauſſam *Nicænum* Concilium retractavit, eumque, qui, quod a Synodo Provinciæ depoſitus eſſet, Epiſcopus non erat, ſua in Civitate retento dignitatis nomine manere decrevit. An ergo veriſimile ſit, eoſdem *Nicænos* Patres ſibi, ut nulla a Synodo Provinciæ provocatio daretur, ſtatuendum duxiſſe? Præterea luculentiſſimum *Nicænorum* Canonum interpretem habemus *Julium* I. in epiſtola ad *Euſebianos*. Is enim quum a. CCCXLII., ſeptemdecim ſcilicet poſt *Nicænam* Synodum annis haſce litteras dederit *Nicænorum* Patrum mentem habere perſpectam potuit, nec quum ad *Arrianos* ſcriberet cavillationibus agentes, dubitandum, quin rem longe notiſſimam proponeret. Ait ergo Pontifex (26): *Epiſcopi in* ma-

(26) T. I. *Epiſt. R. P. col.* 355. *Couſt.*

magna Synodo Nicæna *congregati*, *non citra Dei consilium*, *prioris Synodi acta in alia Synodo disquiri permiserunt*, *ut qui judicarent*, *præ oculis habentes secundum futurum esse judicium*, *cum omni cautela rem expenderent*, *&* *qui judicarentur*, *crederent*, *se non ex priorum judicum odio & inimicitia*, *sed ex æquitatis præscripto judicatos esse*. Quod si *Nicænis* Patribus ea mens non fuit, ut nulla a Provinciæ Synodo appellatio liceret, multo minus censendi sunt provocationes ad Apostolicam Sedem auferre de medio voluisse. Quanta enim *Romanos* Præsules reverentia sint prosequuti, pervulgatum est. Nicænæ *Synodi*, inquit *Bonifacius I.* (27), *non aliud præcepta testantur*; *adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere*, *quum videret nihil supra meritum suum posse conferri*: *omnia denique huic noverat Domini sermone concessa*. Eadem sententia fuit Patribus Concilii *Romani* sub *Felice* III. quorum hæc sunt verba: *Domino ad B.* Petrum *dicente*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. *Quam vocem sequentes trecenti decem & octo Sancti Patres apud* Nicæam *congregati confirmationem rerum*, *atque auctoritatem sanctæ* Romanæ *Ecclesiæ detulerunt*: *quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes*, *Christi gratia præstante*, *custodiunt*. Aliud quoque præsto est argumen-

(27) *ep. XIV. T. I. epist. R. P. Const. col.* 1037.

mentum, quo *Nicænam* Synodum non reprobasse appellationes ad Apostolicam Sedem confirmetur. Nimirum ut a *Balleriniis* observatum est (28) " in *Sardicensi* Synodo,
„ quæ ex pluribus Patribus *Nicænis* coaluit,
„ & *Niceni* Concilii veluti appendix habi-
„ ta est, appellationes ejusmodi expresse ad-
„ probantur: neque enim iidem Patres sibi
„ contradixisse credendi sunt, ac delesse
„ hac in re eam Synodum, pro qua sarta
„ tecta servanda tantopere laborarunt." *Nicænus* igitur Canon eos appellationum judices designavit, quorum erat facilior quibusque in locis cognitio, ut nihil tamen Apostolicæ Sedis auctoritati detraheretur.

XII. Haud tamen inficior, *Africanos* Patres (nam de his nunc dicendum) *Nicænum* Canonem ita interpretatos fuisse, ut *Romanis* appellationibus præcludi aditus videretur. Verum *Febronius* animadvertere debuerat, non nobis solum, sed etiam ipsi, suoque duci *Petro* de *Marca* *Afrorum* interpretationem obesse; supremam enim Synodorum Provincialium, quam ipse urget, auctoritatem *Afri* quei potuerunt agnoscere, quum ad *universale Concilium* provocationes adseruerint? Ut ut est, *Africani* Patres disputationis æstu, (num potius *typho*, quem *Romanis* Pontificibus satis audacter exprobrant? abrepti non satis viderunt, quam alienum in sensum

[28] T. II. in S. Leon. col. 943.

sum *Nicæna* decreta pertraherent. Rem hanc a cl. *David* egregie discussam lege (29). Unum heic observare liceat. *Impendio deprecamur*, inquiunt *Afri* (30), *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes* (Episcopos) *non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis recipere*. Cur? *quia hoc etiam Concilio* Nicæno *definitum facile advertat venerabilitas tua*. At de inferioribus Clericis, non de Episcopis id statuit *Nicæna* Synodus. Id agnoscunt *Afri*; sed addunt: *nam etsi de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari?* At *Africanorum* Patrum pace dictum esto: absurda est, atque ab Ecclesiæ ipsius *Africanæ* disciplina abhorrens isthæc a Clericis ad Episcopos consequutio. *Africana* Ecclesia longe diversam in Episcoporum & clericorum caussis servandis esse disciplinam agnovit, quum ad Episcopi caussam primo cognoscendam duodecim Episcopos, sex tantum ad ferendum de Presbyteri appellatione judicium adhiberi jusserit. Ac recte quidem, quum enim Episcoporum lapsus gravior sit, multoque magis publico Christianæ rei bono adversetur, quam clericorum culpa, aliam judicii formam utrorumque caussæ deposcunt. Quæ igitur ista collectio est: Nicæni *Patres transmari-*

(29) *lib. cit. cap. I. art. 4. pag. 36. seqq.*
(30) *in epist. ad* Cœlestin. T. I. *epist.* R. P. *col.* 1060.

marinas inferiorum clericorum appellationes vetant; quanto igitur magis Episcoporum? Non eam certe S. *Augustinus* probasset, qui adversus *Donatistas* scribens [31] *potuisse* ait Cæcilianum ejusque socios *aliorum Collegarum judicio* PRÆSERTIM APOSTOLICARUM *Ecclesiarum caussam suam integram reservare*. *Afros* igitur dimittamus, neque majorem illis quod ad hoc adtinet, auctoritatem tribuamus, quam quæ supra adtulimus monumenta & ipsius S. *Augustini* sententia permittant (32).

XIII. Quod si ad universæ Ecclesiæ consuetudinem animum adijciamus, multo id congruentius videbitur. Nam ante *Sardicense* Concilium, etsi monumentorum inopia laboramus, non paucæ ad Apostolicam Sedem appellationes occurrunt: nempe anno Christi

CXLII. *Marcionis* (33)

CCL.

(31) *ep.* CLXII. *vet. edit.*

(32) Quæ *Africanis* cum *Romana* Sede super appellationibus disceptatio fuerit, in *Antifebronio* accurate pertractatum habes [*T.* II. *lib.* III. *cap. IV.*] Febronius (*T.* II. *pag.* 289) ea repetit, quæ hac de controversia post *Dupinium* in primo opere dixerat. Confer ergo cum *Antifebronio* hunc *Febronii* locum, & quantum in hac *Febroniani* operis defensione desideretur, intelliges.

[33] Cl. P. *Zallwein* postquam *Marcionis* a patre suo Episcopo damnati ad Apostolicam Sedem confugium in medium adtulerat [T. II. pag. 203.] *sed*, inquit, *quid responsi tulit?* " Nos injussu venerandi Patris tui facere il-
" lud non possumus. Quibus verbis satis indicat, eam
" dici appellationem non posse. Perinde ac si ab exitu,

non

CCL. *Privati*
CCLII. *Felicissimi*, & sociorum ex *Africa*.
CCLIV. *Basilidis*, & *Martialis* in *Hispania*.
CCLXII. *Paulli Samosateni*.
CCCXIII. *Cæciliani*.
CCCXLI. S. *Athanasii*.

Has in *Antifebronio* (34) expensas habes, & illustratas. Quid ad hæc *Febronius*? Nihil. Solum quum easdem a P. *Sangallo*, & D. *Kauffmansio* indicatas legisset ait (35). " Hau-
" serunt varia hæc prætensionum facta, no-
" minatim *Fortunati* & *Felicissimi*, *Marciani*
" *Arelatensis*, *Basilidis* & *Martialis*, *Diony-*
" *sii Alexandrini*, *Paulli Samosateni*, *Cæci-*
" *liani*, *Athanasii*, *Johannis Chrysostomi* &c.
" hauserunt, inquam, illa omnia ex *Chri-*
" *stiani Lupi*, notissimi *Romanarum* partium
" advocati, libro, quem inscripsit: *Divinum*
" *ac immobile S.* Petri *Apostolorum Principis*,
" *circa omnium sub cælo fidelium ad* Roma-
" nam *ejus Cathedram appellationes*, *adver-*
" *sum profanas hodie vocum novitates*, *adser-*
" *tum*

non a provocatione ipsa appellationis nomen ducendum sit. Ceterum animadvertere debuit vir doctus, hocce responsum non a Pontifice, qui vacante Sede nullus tunc erat, sed a *Romano* Clero *Marcionem* tulisse; neque vero potestatem restituendæ *Marcioni* communionis, quam sibi Clerus *Romanus* non esse profitebatur, eam ipsi Pontifici denegare par est. Vide eruditum virum *Franciscum Antonium* de *Simeonibus* [T. I. cap. XI.] qui etiam *Marcionem* fuisse deinde a Pontifice in communionem receptum contendit.

(34) T. *II. lib. III. cap.* 2.

(35) T. *II. pag.* 236.

„ *tum privilegium*. Hic Tractatus *Romæ* „ primum publicatus anno 1679. nunc con- „ stituit Tomum octavum omnium *Christia-* „ *ni Lupi* Operum Venetiis impressorum. „ Eidem opposuit *Ludovicus Du Pin*, Do- „ ctor Sorbonicus, secundam ex suis disser- „ tationibus historicis *de antiqua Ecclesiæ di-* „ *sciplina*, hac sub rubrica: *De forma judi-* „ *ciorum Ecclesiasticorum*, *ubi de Appellatio-* „ *nibus*, *adversus nuperam* Christiani Lupi *de* „ *illis lucubrationem*. In ea iisdem, quæ *Lu-* „ *pus* pro sua sententia in medium protulit, „ exemplis, atque aliis, docet ex opposito, „ caussas omnes tum temporis in partibus „ esse terminatas, nec ullam damnatis pro- „ vocationem ad *Romanum* Pontificem fuis- „ se concessam; ita, ut si quem in crimen „ prolabi contingeret, is fuerit compulsus „ caussam apud Episcopum suum agere, aut „ si Episcopus esset, apud Synodum Pro- „ vinciæ, cui præerat Metropolitanus; aut „ saltem si gravior esset causa, tum apud „ Episcopos Provinciæ, tum apud finitimos, „ a quibus provocari minime poterat. Qui „ hodie hanc chordam oberrant, uti bini „ Theologi nostri, *Venetus* atque *Ubius*; il- „ lis satis est refricasse argumenta *Lupi*; „ contrarias *Dupinii* rationes & documenta „ hactenus nemo evertit". Nimis confiden- ter dictum. Nemo evertit? At ne *Franci-* *scum Antonium de Simeonibus*, qui *Dupinio*

duo

duo de Romani Pontificis judiciaria potestate tomos opposuit, & *Gerardum Casteel* (36) heic memorem, *Dupinii* suique laudatoris *Febronii* conatus me evertisse absque ulla jactantiæ nota existimarim. Erat *Febronii* ea refellere, quæ contra *Dupinium* multo diligentius, quam ceteri (verbo absit invidia) de hisce appellationibus pro mei instituti ratione dissserueram; sed dum nihil aliud mihi obijcit, quam *Dupinianæ* dissertationis laudes, pauci meis satisfactum argumentis existimabunt [37].

XIV.

(36) *Controv. historico Eccles. XXXI.* Coloniæ 1734.

(37) Liceat heic pauca addere, quibus docti cæteroqui Scriptoris confidentiæ occurratur. Is est P. *Zallwein* qui [T. II. *pag.* 204.] hæc generatim de appellationibus *antenicænis* scribere non dubitavit: *Et numquid hæretici & schismatici e. g.* Donatistæ, Arriani *ad Imperatores provocarunt? anne Catholicus quis similes provocationes adprobare auserit?* Nemo certe; sed ecquis ad Apostolicam Sedem appellationes cum hæreticorum ad Imperatores provocationibus comparari patienter ferat? & ab eo quidem Theologo, qui juris divini esse hujusmodi appellationes palam profiteatur? Quid vero illud, quod addit: *profecto si totam antiquitatem priorum sæculorum percurramus, vix ullum authenticæ appellationis exemplum reperire erit, aut si quæ admodum pauca exstarent, magis juri & consuetudini ordinariæ; quam exemplis quibusdam & factis undecumque petitis standum foret.* At quid quæso *authenticæ appellationis* nomine intelligit? Nos certe id unum cum utriusque juris peritis appellationem dicimus a *minore Judice ad Superiorem provocationem.* Quamobrem quum a superiori *Romanæ* Sedis auctoritate, quam aliquis imploraverit, retractationis judicium instituitur, hoc *appellationis* judicium vocamus, neque id ullus negarit, qui in Synonimis vocibus inaniter ludere, & fucum imperitis facere nolit. Num vero quæ supra indicavi exempla, *a minore judice ad superio-*

XIV. Id multo magis quod ad appellationes *Sardicensi* Concilio posteriores adtinet dictum sibi habeat. Earum a *Sardicensi* Concilio ad S. *Gregorii* Magni Pontificatum appellationum historiam pertexui, nihil eorum omittens, quæ ad eas vindicandas facerent. *Febronius* vero magnam hanc molem paucis hisce verbis disiecit (38): *Exempla prætensarum appellationum a P.* Zaccaria cit. lib. III. Cap. 2. 4. 5. & *6. recensitarum, haud ægre expedirentur, immo destruentur, sollicite conferantur cum iis, quæ Febronius* l. c. §. 8. & *9. de similibus provacationum exemplis, earum indole, modo & effectu pluribus explicavit.* Felicem enimvero *Febronium*, si credulos lectores invene-

periorum provocationes non fuerunt? Num de his *Romana* Sedes non cognovit? Quid ergo illis deest, quominus *authenticæ appellationes* dicantur? Paucæ equidem numero sunt; sed pauca etiam illorum temporum monumenta nobis supersunt. Juri præterea congruunt, divino inquam juri, quod ipse *Zallweinius* agnoscit. Neque a consuetudine abhorrent; nisi contrariam consuetudinem viguisse auctor evincat, quod in tanto veterum tabularum naufragio quei faciet? Hoc scio, S. *Leonem* M. in loco superius reddito *veterem consuetudinem* pro appellationum jure protulisse. Eamdem *Stephani Arissæus* in libellis *Bonifacio* II. adversus *Constantinopolitani* Episcopi *Epiphanii* sententiam oblatis testatus est his verbis: *hoc denuo adlegare non distuli; sancti ac Beati Capitis vestri Sedem Apostolicam implorans, & consuetudinem, quæ usque hactenus in nostra tenuit Provincia, non debere convelli; & supplicabam, ne auctoritas Sedis Apostolicæ*, QUÆ VITA DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO, ET A SACRIS CANONIBUS DATA EST, *ita &* PER ANTIQUAM CONSUETUDINEM SERVATA EST, *in aliquo violaretur.*

(38) T. *II. pag.* 443.

venerit, qui hisce (ut *Sidonii* vocabulum usurpem) *Thrasonianis* verbis stare malint, quam commendatæ comparationis laborem suscipere! Quod ad me spectat, sancte profiteor, me, dum ad *Antifebronium* scribendum adgrederer, diligenter quidem, sed pacato animo qui *sollicito* ad veritatem adsequendam aptior esse solet, ea *Febroniani* operis loca expendisse. Quamobrem non video, quid flagitata a *Febronio* collatio ejus caussam juvare possit; nisi id malis effugium dicere, quo quum nihil nobis respondere posset, respondisse tamen videretur. Non dissimulaverim tamen [neque enim *Febronianis* moribus vivo] aliqua de *Theodoreti Cyrensis* appellatione, de qua in *Antifebronio* aliqua dixeram (39), *Febronium* in adnotationibus ad *Judicium Academicum Coloniense* adtulisse (40). Verum prompta omnia sunt ex *Quesnelli* de hoc argumento dissertatione, quam *Ballerinii* S. *Leonis* M. opera edentes strenue refellerunt (41). Ea quæso in pauciora contrahamus, nihil tamen roboris si quod habent, imminuentes. Ait 1. adversarius *Theodoretum* non tam *Leonis* M. tribunal appellasse, quam omnium *Occidentalium* Episcoporum operam implorasse, scripsit enim ad *Anatolium Patricium* (42): *Tuam*

(39) *T. II. lib. III. cap. V. n.* 8.
(40) *T. II. pag.* 56.
(41) *T. II. col.* 1257.
(42) *ep.* 119.

gnificentiam oro, ut hanc gratiam a Triumphatore Imperatore obtineas, ut ad Occidentem *adcedam, & ab illis Deo dilectissimis & Sanctissimis Episcopis judicer.* Verum quinam erant hi *Occidentis* Episcopi? Nimirum urbicariæ diœcesis Episcopi, ceterique, qui *Romam* conveniebant, uno verbo *Romanæ* Synodi Episcopi. His autem nullum erat jus in caussis *Orientalium* Episcopalium, nisi cum *Romano* Pontifice, qui secundum illorum temporum disciplinam in Synodo de ejusmodi caussis judicabat. Hinc Concilii, & Episcoporum *Occidentalium* apud *Theodoretum* mentio, & ad hos etiam epistolæ. Idem ergo fuit *Occidentis* præsidium implorare, quod *Romanæ* Synodi, seu *Romani* Pontificis, qui unus ob sui Primatus dignitatem in *Orientales* quoque Antistites juris dicendi potestate potiebatur. Ait 2. nullum a *Leone* de *Theodoreto* prolatum fuisse judicium, sed unam cum *Romana* Sede communionem illi concessam. *Apparet* id, inquit (43), *ex sententia Legatorum ipsius* Leonis *in Actione VIII. Synodi* Chalcedonensis *apud* Harduinum T. II. col. 499. *ubi* Theodoretum, *inquiunt*, sanctissimus ac beatissimus universæ Ecclesiæ Episcopus urbis *Romæ Leo* dudum in communionem suscepit, sicut litteræ ab eo ad nostram humilitatem directæ testantur. *De decreto restitutionis a* Leone *in gratiam* Theodore-

(43) *l. c. pag.* 57.

doreti *lato altum siletur*. Sed oppido fallitur. An ignorat, quid in caussa *Maximi Antiocheni Anatolius Constantinopolitanus* ejusdem *Chalcedonensis* Synodi Patribus edixerit? *Definimus* (ita ille), *nihil horum valere, quæ in illa, quæ Synodus dicitur* [*pseudoephesinam* intelligit] *sunt confecta, nisi illud circa Sanctissimum* Maximum *magnæ* Antiochenæ *Civitatis Episcopum*: QUONIAM ET SANCTISSIMUS LEO IN COMMUNIONEM EUM RECIPIENS, PRÆESSE EUM ANTIOCHENSIUM JUDICAVIT ECCLESIÆ. Tantumdem ergo erat antiquis Patribus damnatum Episcopum *in communionem* Romani Pontificis *recipi*, quantum Episcopatui, unde antea dejectus fuisset, restitui. Si igitur fatente *Febronio*, immo testantibus *Chalcedonensibus* Patribus *Leo* in communionem *Theodoretum* susceperat, Episcopatum quoque illi reddiderat. Quamquam quid conjecturis agimus? *Febronius* Actione VIII. Synodi *Chalcedonensis de decreto restitutionis a* Leone *in gratiam* Theodoreti *lato* ALTUM SILERI obijcit. Neque animadvertit id Actione I. *altum* declarari. Hæc tamen ex illa Actione legere in *Antifebronio* poterat exscripta: *ingrediatur & reverendissimus Episcopus* Theodoretus, *ut sit particeps Synodi, quia* ET RESTITUIT EI EPISCOPATUM *sanctissimus Archiepiscopus* LEO. Ait 3. *Chalcedonenses* Patres de

Theodoreti caussa, quam actione I. sibi servarent, actione VIII. judicasse: unde illud (44): *secundum decretum sancti Concilii* Theodoretus *sanctissimus Episcopus Ecclesiam civitatis* Cyri *recipiat*. Ad hoc enimvero illud adcipiat responsum, quod *Ballerinii Quesnello* dederant (45). " *Chalcedonensis* Synodus ab „ Imperatore indicta fuerat eo præsertim „ consilio ut Episcopi in latrocinio *Ephesino* depositi, ac in exilium pulsi, *per adprobationem Synodi, atque sententiam omnium Episcoporum convenientium Episcopatum & Ecclesias proprias reciperent*; quemadmodum ad ipsum *Leonem* scripsit *Pulcheria* „ Augusta *epist.* 77. S. Pontifex benemerentissimorum Augustorum consilio adnuens „ jam Legatos ad Synodum destinaverat, „ litterasque ad eamdem Synodum dederat, „ in quibus eos Episcopos restituendos præscripserat. Lege epist. *93. c. 3.* His igitur in circumstantiis, adceptis *Theodoreti* „ documentis, etsi *Leo* de ipsius caussa ad „ Apostolicam Sedem per appellationem delata judicium ferens, eumque in communionem recipiens, ipsum, ut vidimus, „ sedi suæ restituerit restitutione juris; a- „ ctualis tamen restitutio perficienda restabat, quæ quum Synodo jam commissa videri posset, ea secundum apostolicum ju- „ di-

(44) T. II. Conc. Hard. col. 495.
(45) T. II. S. Leon. col. 1263.

„ dicium ab ipsis *Leonis* Legatis atque a „ cuncto Concilio decreta fuit (46). Qua„ re Synodus *Chalcedonensis* in hac de *Theodoreto* actione *Leonis* judicium sequuta, „ commissam sibi quodammodo actualem il„ lius restitutionem decrevit. “

XV. Ut autem hactenus dicta colligamus, provocationes ad Apostolicam Sedem a divino Primatus jure dimanant; a *Sardicensibus* Patribus non primum constitutæ fuerunt, sed confirmatæ, constanti denique a primis Ecclesiæ sæculis consuetudine roboratæ. Non mirum ergo, *Gallicanam* quoque Ecclesiam eas semper agnovisse. *Febronius* equidem qui inclytæ illius Ecclesiæ auctoritate se protegere studet, ægerrime tulit, me in *Antifebronio* (47) dissidium, quod inter sua super appellationibus dogmata, & *Gallicanæ* Ecclesiæ sententiam intercedit, ipsi exprobrasse. Quapropter ad ea, quæ eo loco adtuli, aliquid respondere conatus est. Testem dederam *Natalem Alexandrum* divinum appellationum jus defendentem. *Bellum*, inquit *Febronius* (48), *& solidum argumentum!* Quidni? Nemo certe sibi persuadeat, *Natalem Alexandri*, qui pro *Gallicanæ* Ecclesiæ libertatibus acerrime dimicavit, in ejus Ecclesiæ conspectu libro *Parisiis* edito appellationes

 hu-

[46] Hinc Actione VIII. Patres ajebant: Theodoretus *dignus est Sede . . . Post Deum* LEO *judicavit*.

(47) *T. I. Introduct. cap. III. n. 6.*

(48) *T. II. pag.* 539.

hujusmodi propugnasse, easque non a *Sardicensibus* Canonibus, sed ex divino jure adcersivisse, nisi id *Gallicanis* Præsulibus probatum iri intellexisset. *Gerbasii* præterea librum *de caussis Majoribus* protuli jussu *Gallicani* Cleri compositum, in quo licet ad *Sardicenses* Canones appellationum institutio referatur, non tamen unius *revisionis* a *Febronio* post *Petrum de Marca* excogitatæ sed veræ *appellationis* jus *Romano* Pontifici illis Canonibus adsertum dicitur (49); *tum quia Can. 7. verbum* APPELLARE *usurpatur . . . tum quia vicit reipsa hæc opinio, eique vulgo subscribunt sacri juris interpretes*. Tandem ex iis, quæ in conventu Cleri *Gallicani* a. MDCLXXXI. contigerunt, quid Ecclesia *Gallicana* de appellationibus sentiat, collegeram. Nimirum delato ad conventum libro, quem decem ante annos cl. *David* ediderat prænotatum: *des jugemens Canoniques*, aliqua in eo reprehendenda censores invenerunt, quæ ad quinque capita revocarunt. Nihil vero in his legere est de appellationibus ad *Romanum* Pontificem, quas vir doctus strenue defenderat. Auctor responsum accusationibus obtulit, quo censores sibi abunde satisfactum fuisse declararunt. In eo autem quum Auctor se non de primæ cognitionis caussis, sed de appellationibus a sententia in Provinciæ Synodo adversus Episcopum lata se loqu-

(49) *pag.* 135.

loquutum fuiſſe teſtificetur, appellationes magis magiſque confirmat. Reponit *Febronius* (50): " *Davidis* declaratio ad ſolas „ cauſſas Epiſcoporum reſtricta, Clero tunc „ poterat ſufficere: tum, quod ea omnes „ inferiorum Clericorum appellationes ex„ cluderet; tum quod hac declaratione a „ Clero [uti quidem prætendit *Zaccaria*] „ tacite probata, ſatis ſignificaretur, nullam „ ad *Romanum* Pontificem appellatione *jure* „ *divino* niti, ex quo ea, in caſu exiſten„ tis hac in parte legis divinæ, omnibus „ peræque gravatis ex æquo concedi debe„ ret ". Dubitat ergo *Febronius*, an Clerus *Gallicanus* Juri divino appellationes adſcribat. Dubium eximere vel unus *Natalis Alexandri* debuerat; ſed demus graviorem teſtem. Is eſt Archiepiſcopus *Senonenſis*, cujus hæc ſunt verba: *Quod ex hac auctoritate, quam Chriſti inſtitutione in nos* (Epiſcopos) *Pontifex habet, legitime ſequitur jus eſt judicandi ſontes Epiſcopos. Quod ſi illos a Provinciæ Epiſcopis in primæ cognitionis cauſſa judicari mores noſtri poſtulant, jus tamen ſuſcipiendarum appellationum eſt ipſi abſque ulla controverſia ſervatum* (51). Quei ergo Cleri-

(50) *T. II. pag.* 540.

(51) Inſtruction Paſtorale contenant une troiſieme lettre a un Conſeiller du Parlement de Paris 1753. *C' eſt* EN CONSEQUENCE *de cette autoritè, qu' il a ſur nous par l' inſtitution de Jeſus-Chriſt, qu' il a droit de juger les Eveques*

corum inferiorum caussæ a *Gallis* a divino *Romanarum* appellationum jure eximi possunt? Duo *Febronius* admodum diversa distinguat, prohibere summo Pontifici, ne si velit, etiam Clericorum appellationes si velit admittat, & clericis interdicere, ne ad *Romanum* Pontificem appellent. Illud juri divino opponitur; neque hoc *Gallicana* Ecclesia umquam ausa est: at alterum, nisi *absoluta* quædam interdictio intelligatur, cum jure divino non pugnat; quum enim dubitari nec sine caussa posset, an ea uti potestate, omnibusque in locis expediret, cautum a *Sardicensi* Concilio fuit, ipsis etiam Pontificis *Romani* Legatis adsentientibus, *ut ordinaria Presbyteris & aliis minoribus clericis appellatio concederetur ab Episcopis ad Concilium provinciale, Episcopis autem ad Sedem Apostolicam*, ut ait *Bellarminus* (52).

XVI. Quum nihil aliud *Febronio* restet ad infringendam *Romanarum* appellationum auctoritatem, querimonias iterat de earum frequentia, atque abusibus (53). Sed quod ad frequentiam adtinet, quam *ambitioso juri novarum decretalium* tribuit (54), non me ejus vin-

veques coupables, & s'il doit, selon nos usages, les faire juger par leurs Comprovinciaux en premiere instance, le droit d'en recevoir l'appel lui est reservè, & ne lui est pas contestè.

[52] Quem vide *lib. II. de Rom. Pont. cap. XXV.*

[53] Vide *Tom. II. pag.* 144. 237. 239.

[54] *T. I. pag.* 336.

vindicem habeat, sed cl. Benedictinum *Zallwein*, quem super hoc argumento nos adire non semel jussit. " Rem totam, inquit „ ille (55), oro, atque obtestor indifferen„ ti animo expendamus. Quo jure, iterum „ oro, atque obtestor, quo, inquam, jure „ Pontifices ambitionis, & excessivi domi„ natus argui possunt? Num enim ipsi caus„ sas seu ecclesiasticas seu civiles violenter „ a judiciis inferioribus avulserunt, illas ad „ se traxerunt, litigantes ad sua tribunalia „ invitarunt, jurisdictionem inferiorum ju„ dicum studiose turbarunt, & suppresse„ runt? Ubinam similia leguntur? Id uni„ cum legimus, quod caussas quasdam ma„ jores sibi reservaverint, provocantibus & „ appellantibus audientiam præbuerint, li„ tes quasdam, postquam jam ad ipsos fuit „ provocatum, caussa cognita ad se avoca„ verint, & sententiam dixerint. Anne tan„ tum, tamque ingens crimen est aliorum „ gravaminibus mederi, justitiam læsam in„ tegrare, læsis subvenire, jus ex æquo & „ justo caussis dicere? Profecto in his ego „ nihil reperio, nihil deprehendo, quod „ aut dominatum aut ambitionem saperet. „ Sed undenam tanta appellationum frequen„ tia? Dicam quod res est. Illa reverentia „ imprimis, qua fideles ferebantur in Pon„ tificem tamquam supremum Ecclesiæ ca„ put,

(55) T. IV. pag. 392.

„ put, illa singularis fiducia, quam animo „ suo intime impressam habebant, spe cer„ta freti, quod a suprema sede justitiam „ sint impetraturi, ipsos stimulavit, ac in„vitavit, ut ad tribunal Pontificis tam„quam ad aram justitiæ confugerent, suas„que caussas, ecclesiasticas præsertim, su„premo illius judicio submitterent. Ad „ hæc: quinam fuere illi, qui judicium „ Pontificis interpellarunt, an Clerici, vel „ laici? Clericorum caussæ pleræque fuere „ vel pure ecclesiasticæ, vel saltem mixti „ fori vel inter ipsos Clericos agitatæ, & „ hoc ipso ad judicium ecclesiasticum supe„rius deferendæ. Laicorum etiam caussæ „ ad Pontificem delatæ ut plurimum ita „ erant constitutæ, ut secundum aliquem „ saltem respectum ad judicium ecclesiasti„cum pertinerent, vel ex capite *denegatæ* „ *justitiæ*, vel quod in iis ageretur de *pecca*„*to*, vel quod caussam ecclesiasticam *mix*„*tam* haberent. Audiamus desuper ipsos „ pontificiæ potestatis Mastyges, inter quos „ jure optimo recenseri meretur *Boehmerus*. „ Hic ergo, ut Pontifices magis odibiles „ redderet, scribere non dubitavit, quod „ Pontifices varios excogitaverint prætex„tus, ut caussas quamplurimas ad suum „ forum traherent, & inter hos recenset „ hos ipsos, quos modo recensui. Ex hoc „ capite, inquit, ad suum forum Pontifices

„ tra-

„ traxerunt contractus juramento confirma-
„ tos, testamenta, quibus legata pia inser-
„ ta, caussas sponsaliorum, pleraque deli-
„ cta, & crimina, immo caussas omnium
„ ferme delictorum. Demus hæc *Boehmero*,
„ & suis sequacibus (quos inter *Febronius*
„ noster) supponamus ea esse vera: num
„ propterea dolose & fraudulenter egisse
„ censendi sunt Pontifices? num fraudem
„ & dolum committit, qui redintegrat ju-
„ stitiam læsam, patrocinatur caussis contra
„ leges justitiæ decisis, punit delicta, &
„ delinquentes debitis pœnis coercet? Sane
„ ipse *Boehmerus* fatetur, quod olim Epi-
„ scopi etiam in omnia crimina inquisive-
„ rint, eaque in suo foro puniverint; item
„ quod jurisdictio Episcoporum olim fuerit
„ amplissima, & laicis ex legibus Impera-
„ torum *Constantini* M. *Theodosii*, *Arcadii* &
„ *Honorii*, & ex edicto *Caroli* M. licuerit
„ ferme omnes caussas deferre ad audientiam
„ episcopalem, ut eas more arbitrorum se-
„ cundum æquum & justum deciderent, do-
„ nec hæc jurisdictio Episcoporum successi-
„ ve fuerit diminuta, & circa sæc. XIII.
„ ferme penitus depressa. Quid si ergo lai-
„ ci illius antiquissimi moris adhuc memo-
„ res, & jurium antiquorum tenaces spon-
„ te sua suas caussas etiam ad tribunal Pon-
„ tificum detulerunt, & judicia sæcularia
„ quodammodo exhorruerunt: num hoc Pon-

„ tifi-

„ tificibus imputari in culpam, & in fraudes eorum refundi debet? En, quomodo olim ipsi Imperatores liberrimam fecerint facultatem implorandi judicia sæcularia (*leg.* ecclesiastica) & occasionem præbuerint appellandi ad tribunalia ecclesiastica magis quam sæcularia. En! caussas plures, quibus factum fuit, & fieri potuit, ut caussæ tam ecclesiasticæ quam civiles ad Curiam *Romanam* per viam appellationis deferrentur, absque eo, quod Pontifices ambitionis, excessivi dominatus, doli, fraudis & imposturæ accusari possint & debeant. Et demus quod Pontifices suæ jurisdictionis & potestatis seu retinendæ seu ampliandæ studiosiores fuerint, num id ambitioni & fraudibus adscribendum erit? Quid non hodie faciunt judices & potestates sæculares, ut terminos suæ jurisdictionis quam latissime diffundant, & per omnem orbem circumferant? an non ferme omnes caussas ecclesiasticas ad sua violenter rapiunt fora? an non obtorto collo Clericos trahunt ad sua judicia, sacra profanis, & profana sacris miscent"? Hactenus P. *Zallwein*.

XVII. De abusibus quod queritur, nihili est ad rem, qua de agimus. Hoc quærimus jusne appellationum *Romanis* Pontificibus congruat, & non *meræ revisionis retractationis?* Quærimus; num hujus juris basis ac fundamen-

mentum sit *Petri* Primatus ? Quærimus, an Ecclesia omnibus sæculis hoc jure donatos Pontifices suis ad eorum tribunal provocationibus testata sit? Milleni, per me licet, in hasce appellationes abusus irrepserint: num propterea jus ipsum nullum est, atque per summam Episcoporum Synodorumque injuriam usurpatum ? Numquamne appellationes ad Regum tribunalia, iis maxime in Regnis, quæ locorum amplitudine, gentiumque varietate ac multitudine ceteris præstant, abusibus corrumpuntur ? Eritne aliquis adeo sui impos, ut Regibus propterea appellationum jus deneget, quod a suprema imperantium potestate divelli nequit? Ceterum ejusmodi abusus bene multos cum a *Tridentina* Synodo, tum a recentioribus Pontificibus sublatos esse, in *Antifebronio* ostendi (56), neque ullus, qui eorum Constitutiones norit, inficiari poterit. At supersunt alii: Immo supererunt, aut veteres novi excipient, dum homines erunt, qui in *Petri* cathedra sedeant. Quum enim ista absque multorum studio, officiis, industria pertractare ipsi per se se nequeant, hos autem Pontificiorum onerum adjutores humanis carere adfectibus ἀδυνατον plane sit; quis jure postulet, ut nihil umquam ambitionis, pravæ cupiditatis, malevoli animi istiusmodi caussis, judiciisve admisceatur? Nobis hoc satis sit, Christum,

quum

(56) *T. II. lib. III. cap. VII. n. 6. seq.*

quum ſuas *Petri* ſucceſſoribus vices detulit, quæ humana nunc ipſorum Pontificum, nunc adminiſtrorum ſive imbecillitate ſive nequitia Eccleſiæ impendebant, mala omnia perſpexiſſe; neque tamen illis Primatus jura, quæ tot abuſibus vitianda pernoſcebat, denegaſſe. Hoc enim ſi animo infixum hæſerit, de vitiis quoad fieri poterit, reſecandis cogitabimus; jus ipſum venerabimur, ſalvumque atque incolume religioſe ſervabimus, ne tandem peſſimo exemplo omnis omnino cum ſacra tum politica poteſtas, in cujus uſu multa ſemper emendanda occurrent, ſumma rerum perturbatione conculcetur, aut etiam de medio tollatur. Sed de abuſibus a *Febronio Romanæ* Curiæ objectis X. diſſertatione accuratius diſſeremus.

CAPUT VI.

Romæne *appellationum caussas dijudicare* Romani *Pontifices possint? an potius* [*quod unum* Febronio *placet in Provinciis dare judices debeant?*

I. INter abusus, qui ad superioris capitis argumentum maxime pertinent, præcipuum, si *Febronio* credimus, locum habent judicia super Episcoporum caussis *Romæ* instituta. *Sacrum illud jus*, inquit (1), *quamcumque caussam terminandi intra provinciam, haud dubie mansisset integrum, nisi infausta illa* Isidori *Collectio, referta falsis Epistolis Decretalibus, totam Ecclesiasticæ disciplinæ faciem susque deque vertisset*. Paullo antea dixerat (2): *Adeo autem verum est, summum Pontificem non habuisse, nec per Canones* Sardicenses *obtinuisse jus caussæ* Romæ *definiendæ, ut ad summum illi concedatur facultas mittendi legatum ad secundum judicium, in Provincia agendum* eod. *Can. V.* Tomo autem secundo [3]: *Episcopi*, inquit, Africæ *anno* 423., *proinde longe post* Sardicense *Concilium*, Cœlestino *Papæ apud* Petrum Coustant col. 1060. *rescripserunt*: " Decreta *Nicæna*, sive inferioris gra-

(1) T. I. *cap. V.* §. *6. n. 6. pag.* 336.
(2) *ibid. n-* 2. *pag.* 332.
(3) T. II. *pag.* 310.

„ gradus clericos, sive ipsos Episcopos, suis „ Metropolitanis apertissime commiserunt; „ prudentissime enim justissimeque viderunt; „ quæcumque negocia in suis locis, ubi or„ ta sunt finienda". tum ex P. *Coustant* addit: Nicæno Canone V. ne *Episcopi extra fines provinciæ suæ judicentur*, *vetitum esse pariter intellexerunt Orientales*, *ut in epistolam quartam* Innocentii pag. 775. not. c. *observavimus*. Hinc *Germanorum*, quas indicat (4), querelæ, Romanos *consuetudinum* Germaniæ *inexpertos esse*, nec posse proinde *Romæ* illorum caussas ex æquitatis legibus judicare. At nihil dici potuit a *Sardicensium* Patrum mente, atque a constanti Ecclesiæ consuetudine magis dissentaneum.

II. Illud autem statim cum *Ballerinils* [5] animadvertendum, " si in quibusdam regio„ nibus præsertim a *Romana* Sede remotis „ antiquo usu receptum fuit, ut hæ quo„ que caussæ a finitimis Episcopis, vel a „ pleniori Synodo cognoscantur, ac termi„ nentur; id ecclesiastica institutione fuisse „ inductum, non aliquo peculiari jure, quod „ sive finitimis Episcopis, sive pleniori Con„ cilio divina institutione competeret, sed „ ob expediendum facilius & celerius ne„ gocium, & ne ob longinquitatem itine„ rum,

(4) *ib. p.* 445

(5) T. II. S. Leon. *col.* 983.

„ rum , ac difficilem traductionem testium „ moræ innecterentur longiores, quibus scan- „ dala diutius vigerent, & subreptiones aut „ obreptiones facile irreperent. Igitur in „ hoc pariter, si res ita ferat, agi poterit „ eo nomine, quod non expediat novitatem „ inducere (nam *ipsa quidem mutatio consue-* „ *tudinis*, ut notavit Augustinus *ep.* 118. „ *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate per-* „ *turbat*) non vero quod jurisdictio Pontifici- „ bus desit. Et siquidem hæc jurisdictio „ in ejusmodi caussis vocaretur in dubium „ prætextu consuetudinis aut canonum; con- „ suetudo & Canones per summum abusum „ præferrentur divino ac certo juri *Romano-* „ *rum* Pontificum, cui omne humanum jus „ cedat necesse est ". Vides jam quid di- cendum de Canone *Nicæno*, quo statuitur, ut Episcoporum adversus suos judicia *com- muniter omnibus simul Episcopis provinciæ con- gregatis discutiantur* : Nempe ut cetera mit- tam, quæ superiore capite in hunc canonem observavi, id expedire omnino videbatur, ne turbarentur omnia, si quis extra suæ pro- vinciæ atque adeo auctoritatis limites caus- sas judicare auderet. At quid hoc ad *Roma- num* Pontificem, cui ut ajebat S. *Gregorius* M. (*6*), *si qua culpa in Episcopis invenitur nescio quis Episcopus subjectus non sit ?* Certe S. *Johannes Chrysostomus*, qui quum ab Im-

(6) *lib. IX. ep.* 59.

peratore ad *Theophili Alexandrini* cauſſam judicandam adcepiſſet, litteras autem ab ipſo *Theophilo* tuliſſet, *quibus ſignificabat* (ex *Nicænis* Canonibus), *non trahenda extra limites judicia, ſed in ipſis Provinciis provinciarum negocia tractanda eſſe* (7), *ad Innocentium I.* ſcribit, *ſe judicium illud non ſolum non ſumpſiſſe ſibi, ſed & vehementiſſime recuſaſſe* (8); agens quoque de ejuſdem *Theophili* ſuſcepto deinde adverſus ſe judicio, *conſentaneum non eſſe* monet, *ut qui ex* Ægypto *ſit, eos qui in* Thracia *ſunt judicet* (9); *Nicænos* tamen a ſe Canones haud infringi cenſuit, ſi a *Theophili* ſententia ad *Innocentium* provocaret: non alia profecto de cauſſa, quam quod *Nicænus* ille Canon ad univerſæ Eccleſiæ primatem pertinere non poterat. Sanctus quoque *Athanaſius* a *Julio* Pontifice evocatus *Romam* adceſſit ſuam adverſus *Euſebianos* cauſſam acturus; neque tamen aut *Nicænorum* Patrum mentem ignorabat, qui ex illis ipſis unus fuerat, aut Canones ab iis conſtitutos violare auſus fuiſſet in tantis præſertim *Arrianorum* adverſum ſe ſimultatibus, ne his nova-

(7) *Theophili* epiſtolam *Palladius* in Chryſoſt. vita cap. 7. ſic exhibet: *arbitror equidem, non ignorare te Canonum* Nicænorum *decretum, quo ſancitur, ne Epiſcopus cauſſam extra fines ſuos judicet. Si autem ignoras, diſce: & a libellis adverſus me abſtine. Nam ſi judicari me oportet, ab* Ægyptiis *Epiſcopis judicandus ſum, non a te, qui 75. dierum itinere abes.*

[8] *ep. IV. inter* Innoc. T. I. *ep.* R. P. *col.* 775.

[9] *ibid. col.* 778.

novarum in se criminationum occasionem imprudens præberet.

III. " Idem, inquiunt *Ballerinii* (10), „ dicatur de Canonibus *Sardicensibus*, qui „ caussas appellationum Episcoporum a Ro„ mano Pontifice per delegatos in provin„ cia judices, vel per legatum in eam mis„ sum cognoscendas innuunt. Id enim si„ militer illud respicit, quod credebatur „ magis expedire, non vero quod Pontifi„ cium jus hoc limite circumscriptum pu„ taretur ". Enimvero etsi Canon III. *Sardicensis Græcæ* editionis *per* PROPINQUOS *Provinciæ Episcopos*, *si opus sit judicium renovandum* indicat, Canon autem septimus latine scriptus Episcopos quoque memorat, *qui in finitima & propinqua Provincia sunt*; numquam tamen *Romani* Pontifices vel sanctimonia illustriores ita his se Canonibus obstringi senserunt, ut ubi id expedire existimarent, caussas procul dissitis Episcopis discutiendas non committerent. Longo sane locorum intervallo *Alexandria Constantinopolis* distat, *Cœlestinus* tamen *Cyrillo Alexandrino* Episcopo damnandi *Nestorii Constantinopolitani* Antistitis potestatem fecit. Sic etiam S. *Gregorius* M. quum *Maximi Salonitani* caussam ex *Illyrico* in *Italiam* evocasset, constituit, ut *Ravennas*, & *Mediolanensis* Antistites de ea judicarent. In hunc enim modum

(10) *l. c. col.* 985.

ad *Constantium Mediolanensem* scripsit [11]: „ *Maximus Salonitanæ* Ecclesiæ prævaricator „ postquam per potestates Majores sæculi „ obtinere nihil valuit, ad minores se se „ contulit: nobisque tam nimietate precum, „ quam adtestatione bonorum operum præ„ valere contendit . . . . Et ideo DECRE„ VI UT Reverendissimus Frater, & Coe„ piscopus noster *Marinianus* EJUS CAUSSAM „ DEBEAT IN RAVENNATI URBE COGNO„ SCERE. Si autem persona ejus suspecta „ forsitan habebatur, VOLUMUS, UT vestra „ quoque Fraternitas, si ei laboriosum non „ est, AD EAMDEM CIVITATEM FATIGA„ RE SE DEBEAT, & cum prædicto Fratre „ in eodem judicio pariter residere. Quid„ quid autem vestræ utrorumque Sanctitati „ placuerit, scitote, mihi modis omnibus „ placiturum". Plura horum similia exempla proferre possem. Unum addo S. *Agapetum*, qui de caussa *Contumeliosi Gallicani* Episcopi ad se delata hæc statuit: " Suspensus igitur, sicut præfati sumus, Episcopus „ *Contumeliosus* habeat tantum, quam præ„ sumpsisse dicitur, celebrationem Missa„ rum; &, patrimonio Ecclesiæ in guber„ natione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ „ constituto, ita ut alimonia sufficienter E„ piscopo non negetur, visitatoriam in ejus „ loco præcipimus ordinari personam, &

„ pa-

(11) *lib.* IX. *ep.* 67.

„ patienter EXSPECTARE JUDICES, QUOS, „ INSPIRANTE NOBIS DOMINO, CONSTI„ TUERIMUS AUDIRE". *Nequaquam igitur*, inquit cl. de *Simeonibus* (12) Agapetus PROPINQUIS *Episcopis* Contumeliosi *caussam audiendum se delegaturum fore profitetur*, *sed iis* quos dominus inspiraret. *Quibus verbis satis ostendit*, *sibi liberum esse*, Judices, *quos vellet*, *seligere*. Neque tamen his opus est. Supra ostendimus *Sardicenses* Patres nihil minus cogitasse, quam ut *Romanæ* Sedi Episcoporum judicia subtraherent. Nam *Gaudentius* de Episcopo a vicinis quoque Antistitibus deposito loquens nequaquam usus Canone IV. fuisset his verbis: *proclamaverit agendum sibi negocium in urbe Roma*, multoque minus dixisset, alium Episcopum in appellantis locum ordinari minime debere, *nisi caussa fuerit in judicio Episcopi* Romani *determinata*, si tertio in Provincia, non *Romæ* caussam ejus pertractandam intellexisset.

IV. Sed Ecclesiasticam historiam breviter percurramus. Occurrent singulis fere sæculis *Romani* Pontifices, quam plures, qui *Romæ* de Episcoporum *Occidentalium* (13), vel etiam *Orientalium* Metropolitarum caussis cognoverunt. Caussas autem intelligo appella-

 tio-

[12] T. II. *cap.* XXII. §. I. *pag.* 178.

(13) Episcoporum dico. *Petrus* enim de *Marca* [*de Conc. l.* VII. *c.* 17.] contendit Metropolitanorum quidem *Occidentalium* ex lege *Gratiani*, non autem Episcoporum caussas potuisse *Romæ tractari*.

tione ad *Romanam* Sedem delatas. Equidem ſcio, eas quoque interdum a *Romanis* Pontificibus judicatas quæ primæ cognitionis ſunt aut quemadmodum juriſperiti loquuntur, *in prima inſtantia*. Profecto *Dionyſium Alexandrinum*, qui apud *Romanum Dionyſium* accuſarunt, *quaſi qui Filium opus & non conſubſtantialem diceret*, ut *Athanaſius* ſcribit [14], non illum apud *Ægyptios* Epiſcopos antea hujus erroris inſimulaverant: primo ad *Romanum* Pontificem confugerunt, qui propterea primo de hac criminatione in *Romana* Synodo cognovit. Luculentiſſimum quoque hujus poteſtatis exemplum *Bonifacii* I. *Gallicanos* Epiſcopos epiſtola ſuppeditat. *Valentinæ*, inquit Pontifex [15], *nos clerici civitatis adierunt proponentes per libellum crimina, quæ* Maximum *teſte tota provincia adſerunt commiſiſſe*. Fatetur *Couſtantius*, *Gallos* Epiſcopos de hac cauſſa *nihil dum* noviſſe. Igitur Clerici non Metropolitani, aut Synodi judicium ante poſtularent, quam *Bonifacium* de tot *Maximi* criminationibus certiorem facerent. Quid ergo *Bonifacius*? Nullo licet Provincialis Synodi præeunte judicio *Romam Maximum* vocavit, ſed *audiendus heic præſentare ſe noluit* (16). *Dilationem* tamen dedit & decrevit, *in* Galliis *congregari Synodum*. Verum

(14) *in lib. de Synod.*
(15) *ep.* III. *col.* 1015. *edit.* Couſt.
(16) ibid. *col.* 1016.

rum cavit Pontifex, ne accusationibus discussis Episcopi decretoria illum sententia mulctarent; sed sibi supremum totius hujus negocii judicium adscripsit. *Quidquid autem* [en Pontificis verba] *vestra caritas de hac caussa duxerit decernendum, quum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet necesse est auctoritate firmetur*. Quid vero cum *Nestorio Cœlestinus?* Nulla illum Synodus condemnarat; ut tamen *Cyrillus* Pontificem de errorum monstris a *Nestorio* disseminatis commonuit, sententiam in eum tulit, atque ut eam exsequeretur *districto vigore Cyrillo* præcepit (17). Vides ergo non insolens, non usurpatum ex ambitiosis *Isidorianarum* Decretalium commentis jus illud, quo posteriores Pontifices de primæ cognitionis caussis non semel judicarunt. Libens tamen adsentior, ejusmodi caussas ex vetere disciplina ad Provinciarum Synodos consuevisse perferri, quodque id cum ad veritatem pernoscendam tum ad ferendam ex æquitate sententiam adcommodatius esse videretur, *Romanos* quoque Pontifices eas nonnisi raro ad suum tribunal evocasse. Hoc contendo, nulli illos, appellatione intercedente, se legi obnoxios agnovisse, ut in Provinciis potius, quam *Romæ* Episcoporum caussis extremam manum imponerent.

V. Enimvero ex *Petro de Marca*, *Quæs-*

(17) *ep. XI. col. 1106.*

nello, *Dupinio*, horumque discipulo *Febronio* percunctari liceat, an non *Basilidem* ac *Martialem Hispanos* Episcopos *Stephanus Romæ* audierit, suisque ipsorum Sedibus, unde dejecti fuerant, restituerit (18). Peto insuper: ubi *Julius* de *Athanasio* judicarit? Hæc certe de eo *Theodoretus* (19): *Is vero* (Julius) *Ecclesiasticam legem sequutus*, *&* IPSOS ROMAM VENIRE JUSSIT, ET ATHANASIUM AD DICENDAM CAUSSAM EVOCAVIT. *Et* Athanasius *quidem citationi obtemperans*, *statim iter adripuit: ii vero*, *qui fabulam composuerant*, Romam *venire noluerunt*, *eo quod mendacium facile deprehensum iri cernerent*. Negabuntne *Theodoreto* fidem? Negent ergo, si possunt, ipsi *Athanasio* cujus hæc sunt (20): *Judicatum est non semel secundum nos*, *sed sæpius*. *Primum quidem in nostra Provincia quum ad id coissent propemodum centum Episcopi*. *Secundo* Romæ *nobis ceterisque adversariis Eusebii*, *ad ejus criminosas litteras in judicio comparentibus*. *Romam* quoque *Petrus Athanasii* successor aufugit, ibique a *Damaso* sententiam tulit, qua pulso *Lucio* ab *Arrianos* intruso *Alexandrinæ* reddebatur (21). Audi jam, quid idem *Theodoretus* contentionem narrans, quæ

(18) Vide Cypr. *ep.* LXVIII. Baluz. *edit.* & Antifebr. T. II. *lib.* III. *cap.* II. *n.* 5.

(19) *hist. Eccles. lib.* II. *cap.* 4. Adi & heic Antifebron. *ibid. n.* 8.

(20) *Apol.* II.

(21) *Confer.* Antif. *cit. lib.* III. *cap.* IV. *n.* 1.

quæ *Flavianum* inter & *Paullinum* ob *Antiochenam* Sedem exarſerat, litteris prodiderit (22). " Qui (Imperator) ſæpius interpellatus, *Conſtantinopolim* eum adcivit, UTQUE ROMAM PROFICISCERETUR, MANDAVIT. Sed *Flavianus* quum & hybernum tempus cauſſatus eſſet, & ineunte vere facturum ſe imperata promiſiſſet, in patriam reverſus eſt. Porro quum *Romanæ* Urbis Epiſcopi, non ſolum admirandus *Damaſus* ſed ſucceſſor ejus *Siricius*, & poſt *Siricium* *Anaſtaſius* pium Imperatorem acrius perſtrinxiſſent; illum Tyrannos quidem, qui adverſus ipſum inſurgerent, opprimere dicentes; eos vero, qui legi Chriſti inſultarent, pati, tyrannicam dominationem exercentes, rurſus eum *Conſtantinopolim* evocatum cogere inſtituit, UT ROMAM NAVIGARET ". Quid clarius? De *Antiocheni* Epiſcopatus cauſſa judicium *Romæ* habendum erat: ideo *Damaſi*, *Siricii*, & *Anaſtaſii* Summorum Pontificum præcepto Imperator *Flavianum* *Romam* mittere coactus fuit. De *Johannne Chryſoſtomo* non diſſimilia proferri poſſent. Exſtat apud *Palladium* exemplum epiſtolæ, quam ſanctus Antiſtes ad *Innocentium* miſit, ubi ſe a *Theophilo* damnatum vidit: *Scribite*, inquit, *precor*, & *auctoritate veſtra decernite* (non ait: *indicite Synodum*, *quæ decernat*, ſed *decernite*, utique

(22) *hiſt. Eccleſ. lib. V. cap.* 25.

Romæ) *hujusmodi inique gesta*, *nobis absentibus*, *& judicium non declinantibus*, *nullius esse roboris* (23). *Zosimus* vero nonne *Proculum Massiliensem Romano* adesse judicio jussit, *licet ipse diu expectatus . . . convenire dissimularit*, ut *Zosimus* ipse ad Episcopos provinciæ *Viennensis*, *& Narbonensis secundæ* perscripsit (24), ac tandem illum in *Romana* Synodo condemnavit (25). Quæ idem *Zosimus* in *Cælestii* caussa *Romæ* gesserit, pervulgata sunt. *Danielem* Episcopum *Bonifacius Romam* vocavit, ut ab objectis criminibus se se purgaret (26). Magnus autem *Leo* nonne a. CCCCXLV: *Projecti* & *Chelidonii Gallicanorum* Præsulum (27), ac duobus post annis *Mauritanorum* Episcoporum [28], denique *Theodoreti Cyrensis* caussas *Romæ* absolvit? Quin ipse *Theodoretus* ad *Leonem* litteras dedit, quibus ut in Urbe judicaretur, etiam atque etiam sanctum Pontificem exoravit: *At ego*, inquit ille (29), *Apostolicæ Sedis exspecto sententiam*, *& oro*, *atque obtestor Sancta-*

(23) Adi & heic Antifebr. *T.* II. *lib.* III. *cap.* IV. *a num.* 7. & cl. David *cap.* VI. *art.* 5.

(24) *ep. V. col.* 959.

(25) *ep.* VII. *col.* 961.

(26) Bonifac. ep. IV. T. I. Coust. col. 1071. Daniel, *ut diximus . . . . a sanctitatis vestræ cœtu interim se noverit segregatum : qui se nostro judicio debet obijcere*, *si conscientiæ suæ novit confidentiam se habere*.

[27] Vide epistolam X. S. Leonis Ball. edit. cl. David *cap.* XIII. *art.* 3. Antifebr. T. I*I. lib.* III. *cap.* 5. *n.* 1. *seqq.*

(28) Confer *epist.* XII.

(29) *Ep.* CXIII.

ctitatem Tuam, ut mihi rectum, ac istum Tribunal Vestrum invocanti opem ferat jubeatque, AD VOS VENIRE.

VI. Sunt & alia ejusmodi post *Leonem*. Illustre illud est, quod ad *Acacii* caussam spectat. Is *Johannem Talasiam Alexandrina* de Sede eijci curaverat; *Johannes* autem *Romam* ad *Simplicium* Pontificem confugit, cui & libellum adversus *Acacium* obtulit. Moritur interea *Simplicius*. *Felix* porro III. in ejus locum suffectus litteras ad *Acacium* misit, quibus se *Romæ* sistere jubebatur rationem eorum, quæ contra canones perpetrarat, redditurus. *Et ideo* (ita in epistola legitur, quem Pontificis Legati *Vitalis* & *Misenus Constantinopolim* adtulerunt) *lectis subditis, frater carissime, ad hæc, quæ proposita esse cognoscis*, APUD B. PETRUM APOSTOLUM, . . . *in Conventa Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum* RESPONDERE FESTINA, In eamdem sententiam ad *Zenonem* Imperatorem scripsit: Acacius (*sicut* ECCLESIASTICIS NECESSE EST, ET VESTRIS LEGIBUS FIERI DEBET) *ad hæc, quæ de se pervidet intimari*, APUD BEATISSIMUM PETRUM APOSTOLUM DILUERE OBEDIENTER PROCURET, *nec ullo modo existimet differendum. Qui si, quemadmodum confidimus, bene conscius est, Apostolicum non debet judicium cum consacerdotibus sui, & moderationem abijcere*. Viden? *Acacium Constantinopolitanum* Episcopum non modo ad ju-

dicium

dicium *Romam* evocatum fuiſſe , ſed etiam ſecundum *Eccleſiaſticas leges* evocanti Pontifici parere omnino debuiſſe ? Sed infinitus ſim , ſi omnia perſequi velim , quæ Eccleſiaſticis ſunt hanc in rem monumentis conſignata . Aliqua tamen prætereunda non ſunt, quæ in S. *Gregorii* M. epiſtolis continentur. Intellexerat Magnus hic Pontifex , *Januarium Calaritanum* antiſtitem nonnulla crimina admiſiſſe. *Sabino* igitur *Sardiniæ* defenſori in mandatis dedit (30) ut *Januarium* SUMMA HUC EXHIBERE INSTANTIA NON OMITTERET, *ut eo coram poſito , ea , quæ perlata ſunt*, *ſubtili valerent indagatione perquiri*. Ex eadem porro ad *Sabinum* epiſtola diſcimus S. *Gregorium Epiphanij* cujuſdam Presbyteri *Sardi* cauſſam ad ſe traxiſſe . *Præterea* , inquit , *quoniam aliqua nobis de perſona* Epiphanii *Presbyteri facinora nunciata ſunt neceſſe eſt , ut diligentius cuncta perſcruteris ; & ſeu mulieres , cum quibus periſſe dicitur , ſeu alios , quos de cauſſa eadem ſcire aliquid ſenſeris* , HUC PARITER FESTINES ADDUCERE *quatenus Eccleſiaſticæ diſtrictioni liquide poſſint aperiri , quæ vera ſunt* . *Hadrianus* quoque *Thebanus* Epiſcopus quum *Romam* veniſſet , de *Johanne Lariſſæo* Epiſcopo, ac de *Johanne primæ Juſtinianæ* Antiſtite , quod injuſte ab his damnatus eſſet , apud *Gregorium* conqueſtus eſt. Hic vero ejus *indiſcuſſis petitionibus*

non

[30] *lib.* III. *ep.* 36,

non credens eadem, *quæ* apud utrumque *fuerant acta*, *relegit*. Ex illis autem quum *Hadrianum* contra jus fasque depositum fuisse comperisset, eum absque alio examine, nullaque in Provinciis indicta Synodo his verbis absolvit [31]: *Quod vero ad præsens adtinet*, CASSATIS PRIUS, ATQUE AD NIHILUM REDACTIS PRÆDICTÆ SENTENTIÆ TUÆ DECRETIS . . . Hadrianum . . . . *in suum locum*, *atque ordinem reverti*, *Christo comitante disponimus*; *ut nec illi Fraternitatis tuæ noceat contra justitiæ tramitem prolata sententia*. In epistola quoque ad *Johannem Syracusanum* (32) exstat luculentissimum rei, de qua agimus, exemplum. *In quod enim crimine* Byzacenus *Primas fuerat accusatus*, *&* *piissimus* IMPERATOR EUM JUXTA STATUTA CANONICA PER NOS VOLUIT JUDICARI. *Sed adceptis decem auri libris*, *tunc* Theodorus *Magister militum obstitit*, *ut minime fieret*. *Tamen piissimus Imperator admonuit*, UT TRANSMITTERETUR, *&* *quidquid esset Canonicum judicaremus*. Sed illud cum primis huc referendum, quod ad *Ravennatem* Episcopum *Marinianum Gregorius* scripsit (33). „ Scripta Fraternitatis vestræ suscepimus, in „ quibus indicatis quosdam de clero ac Po„ pulo clamitasse, contra leges, & canones „ esse,

(31) *lib.* VI. *ep.* 3.
(32) *lib.* IX. *ep.* 59.
(33) *lib. V. ep.* 24.

„ esse, ut inter Ecclesiam vestram & *Clau-*
„ *dium* Abbatem caussa heic examinari ac
„ judicari debeat. Qui si Ecclesiasticum or-
„ dinem, vel inter quos vertitur, nossent
„ advertere, a superflua querela modis om-
„ nibus abstinerent: Præsertim quia nec
„ caussa illic dici possit, ubi se prædictus
„ Abbas a Decessore vestro questus est in-
„ justitiam pertulisse, & ex ea hactenus la-
„ borare. Hoc enim poterat fortassis oppo-
„ ni, si non ad majorem recurreret, & a-
„ pud eum caussæ suæ meritum peteret ter-
„ minari. Numquid non ipse nosti, quia
„ caussa, quæ a *Johanne* Presbytero contra
„ *Johannem Constantinopolitanum* fratrem &
„ Coepiscopum nostrum orta est, secundum
„ Canones ad Apostolicam Sedem recurrit,
„ & nostra est sententia definita? Si ergo
„ de illa civitate, ubi Princeps est, ad no-
„ stram caussa cognitionem deducta est,
„ quanto magis negocium, quod contra vos
„ est, heic est veritate cognita terminan-
„ dum? Atque heic exemplorum finis esto.
Ea autem *Febronius* ubi perlegerit, velim meminerit, esse illa *Romanorum* Pontificum, qui & multo ante *Isidorianas* Decretales floruerunt, & sanctitatis fama præclarissima sunt, & *Sardicenses* præterea Canones quam sæpissime urserunt: tum enimvero intelliget, nihil ab eo potuisse falsius pronunciari, quam dum in *ambitiosum illud jus* Isidorianarum

De-

Decretalium Romana de Episcopalibus caussis judicia retulit.

VII. At quid de *Afris*, quorum verba *Febronius* recitavit? Quid de *Cypriano*, qui item ait, *negocia quæcumque in suis locis, ubi orta sunt, finienda, & caussas illic audiri oportere, ubi crimen est admissum?* Dicam quod *Quesnello* hæc eadem *Afrorum* & *Cypriani* testimonia obiicienti *Ballerinii* reposuerunt (34); idipsum scilicet etiam statuisse Imperatores *Valentinianum* & *Valentem* (35). " Id autem,
„ inquiunt laudati *Ballerinii*, respicit solum
„ quod expedit; & sicut Imperatores iis legi-
„ bus non sibi ademerunt jus, quod sibi
„ competebat, easdem caussas cognoscendi
„ per se, ubicumque essent; ita nec lauda-
„ ti Patres recitatis verbis eam jurisdictio-
„ nem Pontifici denegarunt, quam eidem
„ competere certissime cognoscebant. Quod
„ si nonnullis in locis ipsam jurisdictionem
„ aliquatenus perstrinxisse videntur; novum
„ non est, in disputationis æstu aliqua ver-
„ ba excidere, quæ aliquanto excedunt, &
„ nimis probant, quam deberent, & quam
„ ipsi vellent, a quibus illa adhibentur. [36]"

Finis Partis Tertiæ.

(34) T. II. S. Leon. *col.* 985.
(35) *l.* X. & XIII. Cod. *Theod. de accusat. & Inscriptionibus.*
(36) Quæ hoc capite diximus cum iis conferri velim, quæ *Charlasius* eodem de argumento disseruit *de libertat. Ecclef. Gallic. lib.* VI. *cap.* 6. *Leod. edit. pag.* 338. *seqq.*

ERRATORUM CORRECTIO

LECTOR BENEVOLE.

ETsi operarum vitio multi in primi & secundi Voluminis editione absente me curata errores irrepserunt, eos tamen heic tantummodo adnotabo, qui sententiam vitiant: ortographicos autem, aliosque facillimæ correctionis humanitati tuæ libens dimitto.

pag.	ERRATA	CORRIGE
2	delirescere	delitescere
4	*caussa status*	*caussa status*
5	*includet*	*includat*
7	Horreat	Horrent
9	Hulum	Aulum
10	*Lopsiensi*	*Lipsiensi*
13	sunt V.	sunt I.
14	*Pisauriensi*	*Pisaurensi*
21	æquitate actum	æquitate
23	not. 24 ad Romanum Pontificem, quemadmodum	ad Romanum Pontificem miserunt quemadmodum
59	adjudicantis	abjudicantis
60	ex Buddæo	& Buddeo
ib.	excerpimus	excerpsimus
78	Aaeque horum... alio	Atque horum,.. alia
87	efficiemus	effecimus
88	*disceptamus*	*disceptamus, appellare amamus*
91	adeo factum est	adeo falsum est
92	*in ea tamen*	*in eo tamen*
93	*& hunc*	& eos hunc
95	hi se	his se
100	quam in *Antisebronio*	quum in *Antisebronio*
117	excarpimus	excerpimus
123	Aeque inde factum	Atque inde factum
162	haud ostendant	haud ostendunt
169	*Grubenum*	*Gruberum*
ib.	Hine tamen	Hic tamen
171	uti assolet diligentissimo	uti adsolet, diligentissime Editum
172	Edictum	Editum
182	non inutile	non inutile erit

ERRATA	CORRIGE
pag.	
184 de habita	de habitu
185 qua demum	qua qua demum
. . . . detractent	detrectent
192 *Masbemius*	*Mosbemius*
208 tyrannicæ	tyrannice
221 Præfectum hisce	sed etiam Præfectum
. . . . *Æxius*	*Aerius*
222 forte corporis	forte corpus
229 indicatque mundi	indicatque finem mundi
231 stabilitum modo fuisset	stabilitum modo fuisse
264 in commentabatur	ita commentabatur
273 PRINCIPALIUM	PRINCIPALIUS
279 fuerunt *Joh. XX.*	fuerunt *Joh. XXI.*
. . . commissæ, illæ	commissæ: illæ
283 Schismaticos dicerent	schismaticos docerent
291 *in notis* (90)	(90) *de Eccles. Hierarch. lib. III. cap. XV. n. 9.*
292 qui diligenter	qui si diligenter
293 subijcere legibus	subijcere legibus, & decretis *Romanum* Pontificem
294 spectare jus	spectare, jus
295 at solus	ut solus
298 *Romanum* Pontificem	in *Romanum* tamen Pontificem
. . . in eumdem tamen Ecclesiæ	Ecclesiæ
299 divinius	divinitus
302 *peccata dedit*	peccata: dedit
309 sententia fuit?	sententia fuit.
312 *Exercitatione Biblia*	*Exercitatione Biblica*
313 supra adnot.	supra *adnot.* 13.
317 quod *illum supra*	quod illam *supra*
318 facile intelligit	facile intelliget
323 *quum voluisset*	*quam voluisset*
328 ostendisse me credo.	ostendisse me credo. Primum est, ea verba *immediate* & *directe* uni *Petro* dicta a *Christo* fuisse
332 (53) argumentum	(53) argumentum refellens
336 adnotasse, quibus efficeretur, summa	adnotasse. Summa
. . . *Compares*,	*Comparet*
340 *Æbaicas*	*Achaicas*
345 *Parisiensi*	*Parisiensi* Facultati

Errata	Corrige
pag.	
. . . illi thesim	illi thesi
351 indigne . . . quadam	indigna . . . in quadam
359 facile adverterer	facile advertet
366 Pontifex & Synedrii	Pontifex ex Synhedrii
377 redeamus autem a civitatibus *systematum* plane alienum est.	redeamus.
387 indirecta in Principes	indirectæ in Principes
. . . magnum sui	magnam sui
391 *super judicium*	*super judicum*
393 hac de re disputavit	hac de re disputarit
395 *Victembergæ*	*Vittembergæ*
396 Sankii	Sanckii
. . . Braes	Brayi
400 Dacheritum	Dacherium
404 Principes sæpe	alii sæpe Principes
420 in altero vero	in altera vero
439 Hauc equidem	Haud equidem
444 *Uligers*	*Wiggers*
457 at nihil ullis	ut nihil ullis
471 *adserta illi*	*adsuta illi*
. . . delegatus	delegatas
475 quod legibus	quot legibus
486 etiam & *Pereira*	etiam ex *Pereira*
488 in Canonicis	in Conciliorum
491 saltem jurabitur	saltem juvabitur
496 Constat hæc	Constant hæc
498 eum inde	eum det
503 veteratorie studet	veteratorie studuit
. . . actum est *Cyrillus*	actum est. *Cyrillus*
518 *Gothorum* Episcoporum	*Gothorum* Episcopum
. . . *muli illorum*	*multi illorum*

TOM. II.

1 adfectione	adfectiones
6 ut confirmatione	quam ut confirmatione
8 quum observasset	ut quum observasset
9 *Scardi*	*Soardi*
25 Episcopi adcensenut	Episcopis adcenseant
. . . quorum convenire	quoeum convenire
32 *Steyærtii*	*Steyaërtii*
55 *si ut summum*	si ut summam

pag.	Errata	Corrige
56	Pontificis auctoritatis	Pontificis auctoritati
67	libellus , quem	libellum , quem
74	majorem sancti	eo majorem sancti
75	si enim &	si enim ea
80	*tam realitatem . . . . tam*	*tum realitatem . . . tum*
93	gravi aliud	Gravi alio
99	ut altero	aut altero
109	eodem autem	eadem autem
117	*ut non erit*	*at non erit*
118	& Conciliis	ex conciliis
120	quod non huic	quo non huic
125	votum habeantur	Votum habeant
127	non judicium , sed	non judicum , sed
128	a Patricibus	a Patribus
. . .	ab Episcopi	ab Episcopis
129	vel memento	vel momento
133	ad judicio	ad judicii
. . .	dicere potuisset	discere potuisset
136	profecti sunt	professi sunt
. . .	tout le	tout ce
140	possint Episcopi Concilii	possint Episcopi post Concilii
150	etiam *Petro* , quam	etiam *Petro* , qua
. . .	DEBEAM *obedire*	DEBEAM *adhibere*
161	totius nomini	totius nominis
164	tribunal agnoscant	tribunal agnoscat
173	initiatus	invitatus
181	exiomate	axiomate
183	Apostolicam auctoritatem	Apostolica auctoritate .
184	& ipso Concilio	ex ipso Concilio
190	Videns	Viden ?
191	ubi tam	ubi tamen
201	paratos existens	paratos existentes
216	fuerent , Legati	fuerant , legatis
220	quasi in eodem	quas in eodem
228	& quia aliquid	Et quia aliquod
229	qui *Febronius*	qui *Febronianas*
230	a *Basil.* adhibitum	a *Basil.* adhibitam
231	credendum constituisse?	credendam constituisse ?
236	extrinxerunt	extinxerunt
. . .	sub Concilio finem	sub Concilii finem
239	dum actibus	dum a tribus
. . .	non illas quidem	non illos quidem
240	nominabo	non nominabo

261

pag.	ERRATA	CORRIGE
261	DEFINITAM	DEFINITUM
279	in Concilii juris	in Concilio juris
283	AT	UT
288	teſtimonii	teſtimoniis
290	aut integrum	aut integram
294	ſed manifeſte	ſed manifeſtæ
296	doctrinas pertinent	doctrinas pertinet
301	Chriſtianiſſime	Chriſtianiſſimi
304	*de fidei*	*de fidei rebus*
305	la pouvoir	le pouvoir
308	in Concilium coactis	in Concilium coactos
323	ut merita	ut meritæ
327	ſuborta fuiſſe	ſuborta fuiſſet
351	gubernaculis diſputandum	gubernaculis deputandum
365	derivarit	derivant
374	*ſæptus*	*ſæpius*
. . .	illud Eccleſiæ	illud Eccleſia
377	eoque infallibile	eoque infallibili
388	certum hic	certam hic
395	vel ſic	nec ſic
400	in hoc tandem	in hac tandem
405	l' indefaillibilitè	l' indefectibilitè
410	ſervit	ſeroit
414	ad noſtrum	ad noſtram
415	e qui	& qui
. . .	qui illam	& qui illam
432	definiendum ſenſere	definiendam ſenſere
433	qu' apparent	qu' apparente
435	leur attribuer	lui attribuer
443	adjudicaret ?	adjudicare ?
445	Cœleſtii libros	Cœleſtii libris
447	*numquo*	*numquam*
. . .	PURUM	PURAM
448	in indicatam	in indicatum
476	*confirmationem quo*	*confirmationemque*
477	Hanc . . . diſcrepantiam	Hæc . . . diſcrepantia.

ANTIFEBO:
NIUS
UINDICATUS
PARS .III.